

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI.

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ,

QUAS

IN COLLEGIO ROMANO S. J.

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU,

IN EOD. COLL. THEOL. PROF.

EDITIO LOVANIENSIS, DILIGENTER EMENDATA, ET VARIIS ACCESSIONIBUS AB AUCTORE LOCUPLETATA.

VOL. V

CONTINET TRACTATUS DE GRATIA ET DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LOVANI,

TYPIS ET SUMPTIBUS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHORUM.

—
1840.

SWITZERLAND

1911

100

100

100

100

100

100

TRACTATUS

DE GRATIA.

PROOEMIUM.

1. IN eum præcipue finem Unigenitus Dei Filius nostram sibi sumpsit naturam, tum ut homines a labe et pœna eriperet, quam ipsi et primi parentis culpa contraxerant et privata sua nequitia sibi quisque consciverat, tum etiam ut illos ad Dei consortium revocaret atque ad æternam felicitatem eveheret. Deus enim proposuit, ut loquitur Apostolus, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt in ipso* (Ephes. I, 9, 10). Hæc porro *instauratio* in impii justificatione potissime consistit, et in adjumentis sive subsidiis, quibus homines adjuvantur ad eam sibi comparandam, atque in eadem jam adepta perseverandum, fructusque vita æternæ dignos eliciendos, donec ad Dei perveniant adspectum. Hæc autem sunt, de quibus in præsentia agere instituimus, de gratia nempe, ut vocant, actuali, item de gratia sanctificante sive de justificatione, tum denique de merito; ex quibus profluit totius tractatus in tres partes distributio.

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

2. Si magna illa *instauratio*, quam Christus perfecit per sacrificium mortis suæ, in eo potissime consistit, quod hominem lapsum reparat, atque in pristinum, ex quo exciderat, statum revocat, patet talem ac tantam inter statum hominis innocentis et lapsi, ac demum per Christum reparati, intercedere necessitudinem ac dependentiam, ut alter ab altero divelli omnino non possit. Ex recta siquidem aut prava notione primæ conditionis primorum parentum, aut orthodoxa aut hæretica doctrina dimanat circa gratiam atque, ut deinceps videbimus, circa justi-

ficationem et meritum bonorum operum. Ex hoc enim primo veluti annulo, tota contexitur series aut veritatum, quæ doctrinam catholicam constituunt, aut errorum sibi mutuo adversantium, quos pro diversa indole hæretici professi sunt, ad illam quoquomodo labefactandam.

3. Ut igitur contrarius pateat aut veritatum aut errorum nexus, atque uno veluti intuitu dignoscatur primæ hujus tractatus partis conspectus, juverit hic subjicere diversa hæreticorum systemata, eaque conferre cum doctrina Ecclesiæ Catholicæ. Inde enim eruemus errorum seriem ex suo veluti principio, atque unitatem catholicæ doctrinæ ex suo pariter fonte profluentem. Magnam hinc præterea lucem mutuabimur ad intimius dignoscendam diversæ doctrinæ indolem, quam sive propugnare sive convellere nobis proposuimus.

4. *Primo* itaque Pelagiani, inficientes primum parentem ad statum supernaturalem per gratiæ collationem fuisse evectum, ac dono integritatis a Deo cumulatum, confecerunt, nullam dari primigeniam labem, quæ in posteros transmitteretur; nullum vulnus, nullam infirmitatem ex ea homines contrahere; homines sibi sufficere, neque eis opus esse alio subsidio seu gratia Salvatoris, sive ad mandata servanda, sive ad acquirendum qualemcumque ut ut sublimem perfectionis gradum, ipsamque ἀπελειαν sive *imperturbabilitatem* assequendam. Ad hæc enim sibi comparanda, in horum systemate, habent homines dona Creatoris, quibus instructi sunt; hinc omnem gratiæ interioris necessitatem rejecerunt.

5. *Secundo*. Sociniani cum Pelagianis plane conveniunt. Rationalistæ eadem sectantes vestigia, in eosdem errores lapsi sunt. In istorum enim systemate, homo paradisiacus non fuit nisi typus primitivus idealis perfectionis, ad quem in se referendum ejus posteri provocantur, cui additus est alius typus longe præstantior in Christo Jesu. Homo quippe ex principio naturali perfectibilitatis semper potest in perfectione adipiscenda ulterius progredi, ita ut non solum typum referre, sed etiam ipsum superare queat. Nullus datur status supernaturalis, ex quo homo exciderit, aut ad quem revocari debeat; nulla præterea ipsi

opus est gratia, sive ad malum vitandum, sive ab bonum prosequendum (1).

6. *Tertio.* Semipelagiani, quamvis peccatum originale admitterint ejusque in posteros Adæ propagationem cum præcipuis saltem consecrariis, quæ ex hoc dogmate profluunt, non tamen omnia ipsius consecraria fassi sunt. Parum namque sibi constantes, dum plus quam par est liberi arbitrii viribus tribuerunt, initium salutis in homine collocarunt ac perseverantiam absque peculiaris gratiæ subsidio. Quare cum Pelagianis tum gratiæ necessitati, quoad salutis initium et finem, tum ejus gratuitati detraxerunt, permiscentes statum integritatis cum statu elevationis ad ordinem supernaturalem per gratiam, qua primi parentes aucti a Deo sunt.

7. *Quarto.* Contra vero Novatores sæculi XVIⁱ, ex principio, quod constituerunt, protoparentum integritatem ac statum supernaturalem partem essentialem constituisse humanæ naturæ, confecerunt, 1^o per peccatum originale ita fœdatam in essentiali sua parte esse humanam naturam, ut nihil sani et integri ea retinuerit; 2^o amisisse hominem liberum arbitrium, ita ut omni actu et potentia sive intellectus sive voluntatis destitutus fuerit, non solum ad pios motus, sed ad ipsa opera moraliter honesta elicienda (2); 3^o hæc opera sine gratia peracta totidem esse vitia et peccata; 4^o gratiam hominem cogere ad agendum, seu gratiam humanæ voluntati ineluctabilem necessitatem inferre, aliaque ejusmodi, quæ ex eodem principio dimanant, quæque suo loco enucleatius exponemus. Interea ad scopum, quem nobis hic præstituimus, quod attinet, constat, hominem in istorum systemate passive sub gratia se habere, nihilque agere eidem gratiæ assentiendo aut cooperando.

8. *Quinto.* Bajus, et ex eo Jansenius ac Quesnellus, Novatorum systema adoptantes quoad primam protoparentum conditionem, dum autumarunt justitiam originalem cum donis ac

(1) Cfr. quæ de hoc argumento scripsimus tom. III, *De Deo Creat.* n. 490 et seq. cum notis appositis.

(2) Cfr. *ibid.* n. 483 et seqq. et in not.

privilegiis conjunctis debitam eis fuisse ex ipsa creatione, in eosdem scopulos impegerunt, tum circa amissionem libertatis et opera infidelium et peccatorum, tum circa gratiæ naturam et efficaciam, tum denique circa prædestinationem absolutam. Quocirca, si verba mutaveris, immo quandoque nec ipsa verba, recte vocaveris systema Jansenistarum systema Protestantium nova methodo propositum.

9. Porro Ecclesia Catholica ex opposito principio de integritate primi hominis, deque ejus elevatione ad ordinem seu statum supernaturalem tanquam dono naturæ superaddito, accidentali ac plene gratuito, a quo ille per peccatum excidit, et cum eo universa ejus propago; oppositas recensitis erroribus et contradictorias consecutiones deduxit. Ac 1^o quidem docet, tum integritate tum elevatione ad statum supernaturalem hominem per peccatum destitutum esse, seu ipsum penitus amisisse justitiæ originalem cum donis ipsi justitiæ conjunctis. 2^o In ordine ad statum supernaturalem et gratiam sanctificantem docet, hominem lapsum secundum animam mortuum esse; in ordine autem ad integritatem, ipsam secundum animam et corpus in deterius mutatum fuisse. 3^o Relate pariter ad hanc integritatem, liberum hominis arbitrium per peccatum viribus fuisse attenuatum et inclinatum. 4^o Cum vero hæc omnia relativa sint ad privilegia et dona gratuita naturæ superaddita eique accidentalialia, patet ex Ecclesiæ Catholicæ doctrina, hominem lapsum, his privilegiis et donis gratuitis expoliatum, in eum statum incidisse, in quo, dempta culpa, fuisset conditus, si Deus nolisset eum ad ordinem supernaturalem elevare ac integritate ceterisque donis cumulare; illi propterea imbecillitati obnoxium, quam per se postulat naturæ humanæ conditio. 5^o Hinc Ecclesia docet, nulla ratione posse hominem quidpiam sua virtute aut desiderare, aut velle, aut operari in ordine ad statum supernaturalem; sed ad eum recuperandum omnino necessariam ei esse gratiam Salvatoris. 6^o Quod consequens est, hanc gratiam esse prorsus gratuitam, atque ex mera Dei largitate propter Christi merita homini concedi. 7^o Cum tamen homo lapsus, ut diximus, liberum arbitrium, quale natura humana in se spectata exposcit, conservaverit, nec illud fuerit

debilitatum, nisi relate ad eum statum integritatis, ex quo excidit, hinc docet Ecclesia, hominem posse libere cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti per gratiam, atque etiam dissentire, si velit (1): respuit proinde doctrinam de gratia necessitatem inferente. 8° Ex eodem principio profluit ejusdem Ecclesiæ doctrina, juxta quam homo lapsus per liberum arbitrium, quo non fuit destitutus, potest aliquod morale bonum velle et efficere, ac opera moraliter honesta, seu sine gratia peracta, non esse totidem peccata (2). 9° Docet tamen, in arduis præceptis, et cum gravibus urgetur tentationibus, hominem lapsum gratia medicinali indigere, sive ad illa adimplenda, sive ad has superandas, prout auxilio aliquo, licet naturalis ordinis, pariter indigisset, si Deus homini a se condito neque adjecisset donum integritatis, neque eum elevasset ad ordinem supernaturalem (3). 10° Denum, cum Christus universum humanum genus instaurationem seu reparaverit, Deus vero, etiam supposita originali noxa, omnes homines salvos fieri voluerit, fideles præsertim ac justificatos, docet Ecclesia, Deum pro opportunitate auxilia necessaria omnibus conferre, præsertim fidelibus ac justis, ad ea præstanda, quæ propriis viribus præstare non possent (4).

10. Et hæc satis in præsentia sint quoad utriusque systematis hæretici ac doctrinæ catholicæ expositionem; cetera enim, quæ ex oppositis utriusque adversæ doctrinæ principiis consequuntur, sive sint errores sive veritates, pergemus explanare, ubi erit locus, cum scilicet de justificatione ac merito agemus, deinde etiam cum de Sacramentis.

11. Interea ex duplici conspectu, quem breviter ac summam exposuimus, tum errorum, in quos hæretici prolapsi sunt, tum veritatum catholicarum, quas tenet Ecclesia, cum cujusque origine, nexu ac dependentia, patet, quodnam munus nostrum

(1) Huc referuntur can. iv et v sess. vi Concil. Trid. ac propositiones in Bajo et Quesnello proscriptæ, quas inferius dabimus. Cfr. interea in tract. cit. n. 483 et seqq.

(2) Ex can. vii, sess. cit. Conc. Trid.

et propp. damnatis in Bajo et Quesnello, quas suo loco adducemus.

(3) Cfr. tract. cit. n. 338 et seqq.

(4) Cfr. quæ scripsimus tom. ii, Tract. *De Deo ejusque attributis*, n. 459 et seqq.

sit in prima hac tractatus parte (1). Agendum scilicet erit de gratiæ necessitate, de ejusdem, ut vocant, gratuitate, natura ac distributione. In totidem propterea capita hanc tractatus partem dispertiemur, exposita prius ejusdem actualis gratiæ multiplici acceptione ac divisione, ut methodo ac perspicuitati consulamus.

CAPUT I.

PRÆLIMINARE.

DE GRATIÆ ACTUALIS NOTIONE ET DIVISIONE.

12. 1^o Gratia generatim sumpta quodvis donum aut beneficium significat, sive externum sive internum, ex mera liberalitate a Deo rationali creaturæ tributum. Quo sensu creatio, conservatio, aliaque his adnexa, multo magis lex, doctrina, exempla atque alia his similia gratiæ nomine donari possunt. Id ipsum dicatur de donis illis, quæ vulgo *gratiæ gratis datæ* nuncupari solent, cujusmodi ex. gr. sunt potestas miracula edendi, vaticinia, etc., quæ in aliorum potius quam in illius, qui ea recipit, utilitatem cedunt.

13. 2^o Prout vero hic accipitur, gratiæ nomine intelligimus gratuitum illud internum auxilium, quod Deus per Christi merita homini lapsio largitur, tum ut ejus infirmitati consulat, atque ita ipse valeat mala declinare ac bona præstare, tum ut eum erigat ad statum supernaturalem, atque idoneum faciat ad actus supernaturales eliciendos, ut justificationem possit adipisci, in eaque jam adepta perseverare, donec perveniat ad vitam æternam.

14. Ex hac porro gratiæ notione non modo patet, agi hic de dono gratuito ac interno naturæ superaddito, cujus causa *efficiens* Deus sit, *meritoria* Christus, *finalis* vita æterna; verum etiam de dono illo agi, cujus duplex est effectus, tum scilicet

(1) Hæc autem, quæ vix hic admodum breviter, latius explanabimus in hujus primæ partis decursu, cum nempe veritates catholicas constituemus adversus contrariam doctrinam singulorum adversariorum.

subveniendi naturæ infirmitati per peccatum contractæ, tum hominem lapsum restituendi in statum supernaturalem, ex quo homo ipse per Adæ culpam exciderat, ut sic idoneus efficiatur ad actus supernaturales eliciendos, qui impetratorii quidem esse possunt justificationis, non autem meritorii ipsius justificationis aut vitæ æternæ. Hos enim, ut postea videbimus, non potest homo, nisi insuper gratia sanctificante sit instructus, elicere. Quatenus gratia hominem lapsum sanat ab infirmitate, quam per amissionem doni integritatis contraxit, eique præbet vires ad bene agendum, ad superandas tentationes atque ad malum declinandum, gratia *medicinalis* nuncupatur; quatenus autem hominem elevat ad statum supernaturalem, gratia *elevationis* vocari consuevit.

15. Quamvis passim utrumque officium simul gratia præstet, attamen duo hæc simul permisceri non debent, cum ex tali permutatione nec pauca nec levia incommoda oriantur. Fieri enim potest, ut gratia conferatur tantum ad robur addendum, ut homo ea præditus ardua perficere aut mala valeat declinare, uti in infidelibus contingit, etsi propterea ipsorum opera non possint dici supernaturalia; tum etiam fieri potest, ut detur gratia solum ad ponenda opera supernaturalia, aut etiam meritoria, etsi vires non addantur, cum nempe agitur de re facili, ad quam vires naturales pertingere possunt. Hinc est quod distinguere solent Theologi inter *substantiam* operis ac ejusdem, ut vocant, *supernaturalitatem*. Ad substantiam operis sufficit gratia supernaturalis *entitativa*, ut scholæ loquuntur; ad ejus supernaturalitatem requiritur præterea *objectum formale* seu *motivum* supernaturale. Quando vero duo hæc simul concurrunt, exurgit gratia illa, quæ proprie ac stricte sumpta supernaturalis est, et ita nuncupatur tum ratione *sui* tum ratione *modi*. Ceterum prius, quod recensuimus, gratiæ officium potissime afficit voluntatem; posterius afficit potissime intellectum.

16. Hæc enucleatius circa gratiæ notionem exponere volumus ad omnia adversariorum diverticula præcavenda. Si quis porro cuperet accommodatiorem gratiæ actualis definitionem, eam dicimus *donum Dei internum ac supernaturale creaturæ ra-*

tionali per Christi merita concessum in ordine ad vitam æternam.

17. 3^o Gratia sic exposita multifariam dividitur juxta varias ejus operationes aut etiam exitum. Nos potiores ac celebriores divisiones ad finem, quem intendimus, subjiciemus.

18. Prima partitio est in gratiam *prævenientem* sive *excitantem*, quæ et *operans* interdum dicitur, et in gratiam *cooperantem* sive *concomitantem*. In hanc divisionem concedunt veteres ac recentiores; ast non eadem fortasse veteribus ac recentioribus his nominibus significatio subest. Etenim S. Augustino gratia præveniens nihil aliud est, nisi gratia, quæ nullum antecedens meritum supponit, sed omne meritum *prævenit* (1); a recentioribus autem gratiæ *prævenientis* nomine intelliguntur motus illi indeliberati, qui ad bonum alliciunt, ac in nobis a Deo excitantur sine nobis, quatenus a nostra non pendent voluntate. Quod sedulo notandum est, tum ad S. Doctoris intelligentiam, tum ad præcavendam confusionem (2). Gratia *cooperans* est con-

(1) Nullus fortasse locus adduci potest ex S. Augustino, in quo ipse vocem *prævenire*, aut gratiæ, qua nos Deus *prævenit*, aut gratiæ *prævenientis* non usurpaverit eo sensu, quem diximus. Satis hic sit decretorium ipsius testimonium afferre ex *Epist. ccxvii, ad Vital.* n. 28, edit. Maur. (quod in posterum semper subintelligendum est), ut pateat, quænam sit ejus mens, dum vocem *prævenire* adhibet; sic igitur loquitur S. Doctor: *Hæc et alia testimonia divina... ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* Vid. etiam *Enchir.* cap. 32; *De Natur. et Grat.* cap. 31; *Contra duas epist. Pelag.*

lib. II, cap. 9, n. 21. Item. *ibid.* cap. 8, n. 17; cap. 6, n. 11; lib. IV, cap. 6, n. 13; *De gestis Pelag.* cap. 14, n. 34; *Epist. ccxiv, ad Valent.* n. 4; *De prædest.* cap. 3, n. 7, etc. Ac eodem sensu eandem vocem adhibet S. Prosper, *Epist. ccxxv*, inter Augustinianas, n. 3, 4, 5, 6. Præterea, quod animadvertendum est, ipsum Concilium Tridentinum, sess. VI, can. III, ad Sancti Augustini mentem hanc vocem adhibuit et eadem significatione; quod pariter præstitit, *ibid.* cap. 5, ubi exposuit, quo sensu declaraverit a Dei per Christum Jesum *præveniente* gratia exordium sumendum esse justificationis, dicens: *Hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.*

(2) Nam quatenus gratia significat illustrationem, non potest nisi immediate

cursus supernaturalis ad illud bonum volendum et eliciendum, ad quod per gratiam prævenientem excitatur humana voluntas, quia Deus gratia sua simul cum humana libera voluntate ad bonum faciendum cooperatur. Hoc inter utramque gratiam intercedit discrimen, quod gratia præveniens immediate in intellectum, mediate autem agat in voluntatem; gratia vero cooperans afficiat directe ac immediate voluntatem. Si motus, quos excitat gratia præveniens, sunt ordinis supernaturalis, tunc actio, quæ elicitur per gratiam cooperantem, erit supernaturalis; secus consistent in ordine naturalis honestatis, ut in infidelibus contingere solet. Utrique autem gratiæ simul sumptæ, prout supernaturalis est, convenit illa definitio S. Augustini, nempe gratia est *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus* (1), seu, ut alibi idem loquitur, quæ datur, *non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus* (2).

19. Partitio altera est in gratia *sufficientem* et *efficacem*. *Sufficiens* gratia ea dicitur, quæ caret effectu, seu cui voluntas non

afficere intellectum, qui solus capax est illustrationis; ac mediate afficit voluntatem, quatenus hæc motivis ab intellectu cognitis movetur ad aliquid optandum ac volendum. Sic etiam concupiscentia, per motus suos indeliberatos, nonnisi mediate et indirecte agit in voluntatem ipsam. Idque poscit natura ipsa creaturæ rationalis, quæ, nonnisi mediante intellectu, moveri potest ad aliquid volendum vel rejiciendum. Cum propterea affirmatur, gratiam *prævenientem* operari immediate in ipsam voluntatem, id intelligi debet, quatenus, ut diximus, in sensu veterum, gratia præveniens utramque gratiam complectitur *illustrationis* et *inspirationis*, seu, ut recentiores loquantur, gratiam *prævenientem* et co-

operantem. Cfr. Zorzi, *Prodromo della nuova enciclopedia italiana*, Siena 1779, Appendice *Grazia efficace*, n. 5 et seqq.

(1) *Lib. iv, ad Bonif. seu, Contra duas epist. Pelag. cap. 5, n. 11.*

(2) *De grat. Christi, lib. 1, cap. 12, n. 13.* Hæc est gratiæ idea, quam constanter prædicat S. Augustinus, qui, *De peccat. meritis, lib. 11, cap. 17, n. 26,* munus gratiæ demonstrat in eo esse, *ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat;* et ibid. cap. 19, n. 32, vocat gratiam *certam scientiam et victricem delectationem, ... lucem, qua illuminantur tenebræ, et suavitatem, qua dat fructum suum terra nostra.*

assentitur ; contra, *efficax* ea est, quæ obtinet effectum, ad quem datur, seu cui consentit voluntas. Utrum vero hic assensus vel dissensus voluntatis repeti debeat ex diversa gratiæ sufficientis et efficacis natura, an a sola libera hominis voluntate, non consentiunt doctores in scholis catholicis, ut suo loco exponemus.

20. Gratia sufficiens subdividitur in *proxime ac remote sufficientem*. *Proxime sufficiens* vocatur ea, quæ præbet immediate vires necessarias ad agendum ; *remote autem sufficiens* ea dicitur, quæ non nisi mediate, ex. gr. per orationem, ejusmodi vires suppeditat.

21. Cum interdum in hac ipsa prima tractatus parte necessario mentionem facere debeamus de gratia *sanctificante* seu *habituali*, ne penitus ignoretur, quid sub hoc nomine veniat, ipsius subjicimus notionem ad dicendorum intelligentiam. Gratia itaque *sanctificans* seu, ut aiunt, *habitualis* ea est, qua homo immediate conjungitur Deo, fit justus ac vitæ æternæ hæres, estque in homine permanens, et per modum habitus eidem inhærentis concipitur. Qui ea ornatus est, dicitur esse in statu gratiæ. Verum de hac postea.

22. His, quatenus opus erat, circa variam gratiæ acceptiorem et divisionem expositis, iter, quod nobis constituimus, jam aggredimur.

CAPUT II.

DE GRATIÆ NECESSITATE.

23. Quadruplici ratione gratia actualis dici ac esse potest necessaria : vel scilicet ad opus ordinis naturalis, vel ad opus ordinis supernaturalis, vel ad opus meritorium, vel denique ad perseverandum in bono usque ad vitæ exitum. Varii porro nobis occurrunt adversarii pro diversis hujus necessitatis respectibus, quos recensuimus. Pelagiani sub quovis respectu divini hujus auxilii necessitatem rejiciunt. Semipelagiani hanc necessitatem aggrediuntur tum quoad initium fidei tum quoad perseverantiam. Novatores ac Jansenistæ ex adverso nimis urgent hanc ipsam necessitatem, dum contendunt, sine gratia actuali nullum

opus moraliter bonum agere hominem posse, vel etiam non posse sine fide, imo neque præstare posse bonum opus qualecumque sine justificatione aut gratia sanctificante. Cum igitur ex contrario principio profluxerint ejusmodi errores, et alii per defectum, ut aiunt, alii vero per excessum æque impetant gratiæ necessitatem, ut perspicuitati consulamus, in quatuor distinctos articulos hoc totum argumentum partiemur; in quorum duobus prioribus adversus eos, qui per defectum, in duobus posterioribus adversus eos, qui per excessum pugnant circa gratiæ necessitatem, agemus. Sic enim, omnem evitantes confusionem, universam, qua late patet, doctrinam complectimur catholicam sub uno eodemque capite; ex quo deprehendemus, quid homo possit aut non possit propriis viribus tum in ordine supernaturali tum in ordine naturali, ac demum quousque sese extendat gratiæ necessitas ad opera sive supernaturalia sive moralia elicienda.

ARTICULUS I.

De erroribus Pelagianorum circa gratiæ necessitatem.

24. Cum primus hominum parens in systemate Pelagianorum, ut innuimus, neque supra naturæ suæ conditionem a Deo evectus fuerit per gratiæ sanctificantis collationem, neque auctus dono integritatis, hinc Adam per peccatum nec excidit a tali statu, nec ullam infirmitatem contraxit; id est, neque expoliatus fuit supernaturalibus, neque fuit vulneratus in naturalibus. Quapropter ejus filii sine peccato nascuntur, ac in eodem statu nascuntur, in quo primus homo a Deo conditus fuit, cum nativa illa imbecillitate, quæ propria naturæ humanæ est, obnoxii ignorantiae, concupiscentiæ colluctationi ac demum morti. In hac hypothese facile erat inferre, neque Adam post peccatum neque ejus posteros qualicumque indiguisset auxilio supernaturali, quo ad statum supernaturalem restituerentur, neque adjutorio, quo aut eorum intellectus illustraretur aut voluntas validior redderetur ac idonea ad bonum quodvis peragendum aut ad superandos tentationum impetus. Quod si a Deo ejusmodi conceduntur subsidia, ea quidem faciliorem efficient hominis laborem tum ad veritatis inquisitionem tum ad bonum

præstandum; verumtamen ejusmodi præsidia aut forent externa, aut si interna, absolute ac per se minime essent necessaria.

25. Tale est Pelagianorum systema, quod totam evertit gratiæ necessitatem. Illud tamen Pelagius aperte minime professus est; sed verbis est usus ad fallendum compositis, utpote qui et Catholicus videri et hæreticus esse vellet. Etenim 1^o gratiam fassus est; sed gratiæ nomine dona naturalia Creatoris significabat; 2^o gratiam aliam addidit præter naturam, nempe legem ac revelationem, 3^o exempla Christi ac peccatorum remissionem; 4^o his juxta aliquos adjecit aliquam interiorem illustrationem, qua indirecte saltem excitaretur hominis voluntas ad *facilius* operandum. Quo referuntur S. Augustini verba, lib. *De gratia Christi*, ubi, postquam commemorasset Pelagii dictum: *Ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*, subdit: *Tolle facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus* (1). Hic stetit Pelagius cum suis celebrioribus discipulis Cælestio et Juliano. Siquidem nunquam admisit necessitatem gratiæ, qua immediate excitaretur atque adjuvaretur voluntas ad actus supernaturales eliciendos, tum nempe quoad ipsius actus substantiam, ut aiunt, tum quoad modum; nunquam scilicet admisit gratiam voluntatis seu, ut aiunt, inspirationis. Quod vero spectat ad gratiam prævenientem, eo sensu nempe, quo eam recentiores Theologi exponunt, de motionibus indeliberatis, quibus per illustrationem excitamur ad bene agendum, eatenus eam admittere visus est, quatenus facilior nobis per ipsam redditur actuum salutarium ac mandatorum executio, minime vero quatenus ad actus singulos eliciendos sit absolute necessaria. Dixi eo sensu, quo gratiam prævenientem exponunt recentiores Theologi; siquidem, prout hanc vocem

(1) Cap. 29, n. 30. Nonnulli ex his Augustini verbis conjiciunt, Pelagium tandem aliquando admisisse veram gratiam interiorem illustrationis et inspirationis; ast perperam, ut patet ex iis, quæ scribit S. Doctor, ibid. cap. 26, n. 27: *Istam Dei gratiam in divinis*

eloquiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur, seque tamdiu contra sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat... Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat.

veteres accipiebant de gratia interioris illustrationis et inspirationis seu operante et cooperante; quæ omne meritum nostrum præveniret, eam, ut videbimus cap. seq., nunquam admiserunt Pelagiani.

26. Ex his colligimus, 1^o controversiam, quæ inter Pelagianos et S. Augustinum viguit circa gratiæ necessitatem, in postrema periodo tandem deductam esse ad necessitatem gratiæ, quæ immediate afficeret voluntatem eam præveniendo ac adjuvando; non autem, ut perperam contendit Jansenius, ad gratiam, quæ necessitatem inferret voluntati, quam a Pelagio admitti voluisset S. Augustinus (1). Colligimus 2^o hanc gratiæ necessitatem, quatenus complectitur et prævenientem et cooperantem, ad actus singulos salutare absolutam esse, ut adstruebat S. Augustinus, partes Ecclesiæ Catholicæ sustinens, secus ac volebat Pelagius ejusque discipuli (2). Ambæ propterea hæ veritates catholicæ sequen-

(1) Lib. v, *De hæresi Pelagiana*, cap. 11, pag. 110, edit. Rothomag. 1652, et sic in posterum, hac enim editione utor. Ibi igitur Jansenius totus in eo est, ut adstruat, quartum statum controversiæ pelagianæ in eo stetit, ut Pelagius contenderet, gratiam nullam inferre necessitatem libero arbitrio, ita ut voluntas ei semper possit resistere aut obtemperare, contra vero S. Augustinus juxta catholicæ Ecclesiæ fidem exigeret præterea, ut talem gratiam admitteret, quæ cogeret voluntatem ineluctabili necessitate ad agendum.

(2) Circa historiam pelagianæ hæreseos cfr. Petavius, *De Pelagianorum et Semipelagianorum hæresi*; lib. un. Card. Noris, *Histor. Pelagianæ*, lib. primo, Opp. edit. Veron. 1729, tom. 1; Joan. Garnerius S. J. *Dissert. in historiam Pelagianam*, quæ extat in appendice Augustiana Joan. Clerici, pag. 40 et seqq. nec non Marii Mercatoris opera

studio Joan. Garnerii, Paris. 1673, præsertim appendix posterior ad primam partem operum Marii Mercatoris, complectens dissertationes septem, in quibus integra continetur historia pelagianæ, pag. 125 et seqq. Tanti porro fecit Card. Norisius lucubrations Joan. Garnerii, etsi in omnibus ei non assentiatur, ut scripserit ad Magliabecum: *Hoc tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in scriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut si ejusdem de rebus pelagianis commentaria historiam, quam de eadem hæresi hoc anno patavinis typis excusam emisi, prævenissent, mea statim scripta (quod sincere affirmo ac sancte juro) in angulum omnino projecissem* (tom. III, opp. col. 1176). Cfr. præterea Nat. Alexander, *Hist. eccl. sæc. v*, cap. 3, *De hæresibus, quibus infestata Ecclesia est seculo v*, art. 2 et 3, necnon

tibus propositionibus propugnandæ sunt ac vindicandæ adversus expositos Pelagianorum errores. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Ad omnes et singulos actus salutare necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis.

27. Hæc propositio est de fide; duobus siquidem his canonicis eam confirmavit Concilium Trid. sess. VI, can. II: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit, anathema sit.* Et can. III: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet... anathema sit.* Præverant Concilio Tridentino in hac ipsa doctrina catholica adstruenda plura Concilia in causa Pelagianorum celebrata, ut Diospolitanum anno 415, in quo fuit proscriptus septimus Pelagii articulus his verbis conceptus: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina* (1); Milevitanum II, seu potius Cartag. III, anno 416, in cujus cap. IV statuitur: *Quisquis dixerit, gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit... Utrumque do-*

duæ egregiæ P. Livini Meyer dissertationes, quarum altera perstat ad calcem vol. I *Hist. de auxiliis*, edit. Antverp. 1705, pag. 734, sub hoc titulo: *Dissert. de genuinis Pelagii et Massiliensium erroribus*; altera ad calcem vol. II *Hist. de auxiliis vindicatæ*,

Bruxel. 1715, Diss. IV, cui titulum præfixit: *De Pelagianorum et Massiliensium contra fidem erroribus.*

(1) Cfr. *Acta Concil. Hard. tom. I, col. 2011.* De vafritie Pelagii ad Synodum Diospolitanam decipiendam cfr. modo citati auctores.

num Dei est, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus (1); pariter Arausicanum II anno 529, can. VII : *Si quis per naturæ vigorem, inquit, bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... hæretico fallitur spiritu* (2).

28. Hanc porro doctrinam sacras litteras tradere sic luculenter evincimus : Juxta Scripturam omnes ac singuli actus salutares gratiæ adscribendi sunt, si ex eadem nos sine gratia nec cogitare, nec velle, nec operari quidpiam possumus, quo ad salutem perveniamus ; jam vero id constanter de nobis prædicat Scriptura. Etenim ad cogitationem quod attinet, sic loquitur Apostolus : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. III, 5). Quoad voluntatem præterea et actionem idem Apostolus scribit : *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (Philipp. II, 13). Ac universim pronunciat : *Ipsius (Christi) factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (Ephes. II, 10). Ex quibus patet, nos in ordine ad æternam salutem comparari rebus non existentibus, quæ scilicet ex nihilo educuntur, ut sint, subsistant et agant. Hæc autem cohærent Christi ipsius verbis, Joan. VI. 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* ; et ibid. XV, 4 et 5 : *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites ; qui manet in me, et ego in eo, hæc fert fructum multum ; quia sine me nihil potestis facere. Quare nisi jugiter Christus gratia sua præsto sit homini, nihil omnino homo ex se potest aut cogitare, aut velle, aut operari, quod salutare sit. Optime propterea S. Augustinus, hæc Christi verba commentans, ait : Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest* (3). Hinc

(1) Ibid. col. 1218.

(3) *Tract. LXXXI, in Joan. n. 3.*

(2) Ibid. tom. II, col. 1099.

S. Jacobus, I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

29. Non alium porro fuisse Ecclesiæ sensum, multiplici ratione patet, quin singillatim Patrum testimonia adducere debeamus. Ac primo ex ipsa agendi ratione Pelagii, qui, cum primum innovare quidpiam circa hunc articulum nisus est, catholicis formulis hæresim suam tegere contendit, nec nisi ambiguis verbis vafritiem suam propinare ausus est (1). Argumentum igitur ineluctabile est, contrariam plane doctrinam in Ecclesia viguisse. Ex eo præterea constat, quod simul ac Episcopi suspicati sunt, dogma catholicum de gratiæ necessitate a Pelagio appeti, illico undique in Concilia coeuntes in heresiarchæ doctrinam inquisierint, eamque proscripserint; nec aliter valuit Pelagius damnationis sententiam effugere, quam repudiando (quamvis subdole id fecerit), articulos novæ doctrinæ, qui ipsi adscribebantur. Tertio tandem liquet ex eo, quod, detecta fraude et omni ambiguitate sublata, ab universa Ecclesia proscripta fuerit nova doctrina tanquam hæretica (2). Sane tum S. Hieronymus, qui omnium primus in arenam descendit adversus Pelagianos, ac deinceps S. Augustinus tanquam in novarum rerum auctores ac hæretica dogmata serentes insurrexerunt. Præscribebat igitur Ecclesiæ catholicæ doctrina hisce innovationibus.

30. Demum systema Pelagianum ratio theologica duplici ex

(1) Hac ratione fefellit Synodum Palæstinam, dum aliud teneret, aliud profiteretur; quare absolutus dimissus est. Postea tamen, fraude detecta, et iterum et sæpius damnatus est. Hic observare juverit, hæreticos ipsis suis innovationibus testimonium reddere avitæ fidei, quæ ante ipsos in Ecclesia obtinuit; dum enim numero pauci sunt, non nisi timide atque cunctanter novitates suas incautus propinant verbis ambiguis atque ad fallendum compositis, ita ut ipsam catholicam doctrinam profiteri videantur. Quum numero validio-

res fiunt, larvam deponunt, ac palam hæresim detegunt, quam jamdiu in animo condiderant; ita se se gessit Arius, ita Nestorius, ceterique omnes, cum constans hæc sit eorum ars.

(2) Id constat ex Concilio Ephesino œcumenico, quod can. iv damnavit sentientes cum Nestorio et Cælestio, apud Hard. tom. 1, col. 1623, et ex tot Synodorum particularium, ac Romanorum Pontificum decretis, latis adversus eandem Pelagianorum doctrinam, de quibus cfr. citati auctores qui scripserunt de Pelagiana hæresi.

capite evertit; ac primo ex falso principio, unde profluit, hominem scilicet paradisiacum ad statum supernaturalem minime fuisse evecum, nec proinde per peccatum ab eo excidisse amittendo justitiam originalem, cui ejusmodi elevatio erat conjuncta. Porro nos contrarium suo loco ostendimus (1). Secundo ex proportione, quæ intercedere debet inter finem ac media. Nam, si finis, ad quem homo per Christum reparatus pervenire debet, est supernaturalis beatitudo, ut pariter alibi a nobis demonstratum est (2), media item ad eum obtinendum supernaturalia esse necesse est. Quod si ejusmodi media sive subsidia supernaturalia sunt, id est, super naturæ conditionem posita eamque excedentia, evidens est, ea a solo Deo posse præberi, et nihil prorsus in tali rerum ordine hominem per se præstare posse, ac proinde summam et absolutam esse gratiæ necessitatem ad actus salutarum tum internos tum externos eliciendos, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

31. Obj. prima. Inter actus salutare principem locum obtinent fides, spes, charitas, conversio; rursum bona voluntas, opera pia, eleemosynæ, ex. gr. orationes, jejunia, actus misericordiæ in pauperes, aliaque ejusmodi. Quis porro sanus sibi persuadeat ad ejusmodi præstanda jugiter opus esse superaddito gratiæ auxilio, cum homo per se ultro hæc perficere possit? Etenim credere vel non credere in hominis potestate est; illi propterea, cui aliquid credendum proponitur, motiva adduntur, quibus credibile fiat, ex. gr. miracula, vaticinia, aliaque ejusmodi; ex conformitate insuper, quam ratio deprehendit in articulis fidei cum principiis sibi ab auctore naturæ inditis, eos vel rejicit vel admittit, quin alio auxilio indigeat; id ipsum dicatur de spe, quæ concipitur ex Dei promissis et ex possibilitate assecutionis ejus, quod promittitur. Multo facilius poterit homo Deum diligere, quam ejus animadvertit amabilitatem; respiscere poterit et converti, quam

(1) Cfr. tom. III, n. 377 et seqq. (2) Ibid. n. 579 et seqq.

terrore percellitur judiciorum Dei , quæ ipsi per revelationem proponuntur ; cetera denique propriis viribus hominem præstare posse , exempla tot honestorum ethnicorum , qui gratia destituti virtutibus excelluerunt , manifeste ostendunt. Nec aliter docent Sacræ Litteræ : *Prædicate* , inquit Christus , *Evangelium omni creaturæ ; qui crediderit salvus erit* , nec aliam conditionem injicit. Sic sexcenties sperare in Domino jubemur , quin ulla necessitatis ad id gratiæ mentio fiat ; ad Deum amandum provocamur , ad nos convertendos , et ad alia his similia præstanda , quæ frustra a nobis exigentur , nisi in nostra essent potestate posita. De voluntate demum aperte ac universim pronunciat Apostolus : *Velle adjacet mihi* (Rom. VII , 18). Ergo.

32. Resp. *Dist. min.* Prout hi actus in se spectantur , seu in sua , ut dicitur , *materialitate* , *trans.* ; de his enim inferius agemus ; prout actus salutares sunt ac supernaturales , seu ratione *modi* , *neg.* Duo hæc inter se permisceri nequeunt. Fieri enim quandoque potest , quod postea enucleatius expendemus , ut nonnulli actus in se spectati faciles sint , ac præstari proinde possint sine peculiari gratiæ auxilio , infirmitatem per peccatum contractam sanante. At de his hic non agitur. Sed quæstio versatur circa actus salutares ac supernaturales , quibus homo aut disponitur aut perducitur ad supernaturalem beatitudinem assequendam. Porro hoc ipso , quod hic ordo supra naturam hominis est , patet , hominem , nisi gratia præveniatur , excitetur ac adjuvetur ad ejusmodi actus eliciendos , in absoluta impotentia versari relate ad eosdem. Hinc est quod in fidei decretis , seu in sanctione catholicæ doctrinæ semper addatur : *sicut oportet*.

33. Hisce positis , per se concidunt , quæ objecta sunt , sive ex ratione , sive ex Sacris Litteris. Atque ad argumenta primum quod attinet ex ratione petita , ex iis ad summum hoc unum colligitur , quod nunc in controversiam non venit , posse hominem propriis viribus fidem naturalem habere , spem , amorem , posse item varia opera naturalis ordinis exhibere ; minime vero sequitur , sine gratia posse hominem hæc ipsa prout supernaturalia sunt velle aut perficere. Implicant enim ac se collidunt duæ hæc ideæ , nempe hæc opera solis naturæ viribus eliciuntur , et hæc opera super-

naturalia sunt; si enim sunt supernaturalia, ex naturæ viribus non proficiscuntur, et e converso.

34. Ad ea vero, quæ adjiciuntur ex Sacris Litteris, juxta principia ibidem posita et ex toto systemate patet, eas semper ac necessario supponere gratiam. Etenim si homo in ordine ad statum supernaturalem *mortuus* in Scripturis perhibetur (1), *cæcus* (2), ineptus sine gratia præveniente et excitante ad quidpiam cogitandum, volendum et operandum (3); si præterea, quoties agitur de fide supernaturali, trahi a Deo dicuntur, qui ad Christum veniunt, a Deo edocti (4), ita ut Deus dicatur cor adaperire eorum, qui fidem excipiunt (5), eos præordinare ad vitam æternam (6), nulli dubium subesse potest, quin in objectis locis, in quibus sermo occurrit de fide aliisque operibus salutaribus, subintelligatur gratia præveniente ac opitulante ea esse præstanda, cohærenter ad illa principia, etsi nulla expressa de ea mentio occurrat, ut passim in aliis fit.

35. Quod demum ex Apostolo objicitur: *Velle adjacet mihi*, ad præsens argumentum non refertur. Nos enim agimus de necessitate gratiæ ad actus salutare; Apostolus autem ibi loquitur de insita infirmitate in lucta, quam homo experitur in superanda concupiscentia, de qua inferius pertractabimus.

36. Inst. Homo a Deo fuit libero arbitrio instructus, quorsum vero hac libera facultate pollet, si ea uti nequeat ad finem, ad quem fuit a Deo conditus, ita ut homo semper ope gratiæ indigeat ad actus salutare eliciendos?

37. Resp. Ut libere gratiæ prævenienti et excitanti assentiat, ac libere, gratia cooperante adjutus, bonum operetur, atque hac ratione homo aut se disponat ad justificationem, aut, hac adepta, meritoria opera per gratiam efficiat, ut uberius suo loco ostendemus. Prout enim libertas naturalis facultas est, non ordinatur nisi ad opera naturalis ordinis, minime vero ad opera,

(1) Ephes. II, 1: *Cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*. Cfr. etiam I Cor. II, 14 et Joan. VIII, 34.

(2) Ibid. v, 8: *Eratis aliquando tenebræ*.

(3) II Cor. III, 5; Philipp. I, 6; Rom. IX, 16.

(4) Joan. VI, 44.

(5) Act. XVI, 14.

(6) Ibid. XIII, 48.

quæ hunc ordinem excedunt ac superant, cujusmodi sunt opera salutaria, uti exposuimus et ostendimus. Ad hæc enim elicienda opus est, ut Deus gratia sua hominem interius præveniat, excitet, illuminet ac adjuvet.

38. Obj. secunda, quæ est Rationalistarum : 1^o Operationes gratiæ *immediatas et supernaturales*, jam olim nonnulli recte monuerunt, nec diserte promissas esse in Libris Sacris nec necessarias, quum, quæ ad animum emendandum valeant, omnia legibus naturæ a Deo optime efficiantur, nec denique ita conspicuas, ut cognosci certa ratione et intelligi possint. 2^o Accedit, quod libertatem et studium hominum impediunt, Mysticorum somnia foveant, et Deum ipsum auctorem arguunt peccatorum ab hominibus non emendatis commissorum. 3^o Verum ipsi Scriptores Sacri multis in locis mediatos et naturales gratiæ divinæ effectus significant aut commemorant, sana tantummodo ratione et experientia confirmatos. 4^o In ea igitur sententia quiescendum esse censemus, Deum non modo virium humanæ mentis et legis moralis, animo quasi inscriptæ (Rom. II, 15), in universum, et modi, quo quisque his facultatibus instructus est, auctorem esse atque conservatorem, sed etiam fontem illius efficaciam, qua christiana religio bene intellecta ad recti bonique studium animos excitat, eosque spe ac solatio implet; 5^o denique ipsum Deum rerum physicarum æque ac moralium summum auctorem ac moderatorem, ad quem homo, vera pietate imbutus, supra causarum intermediarum nexum exurgens, evehitur, largissime præbere opportunitates et immittere incitamenta, quibus singuli homines, salvis quidem legibus et physicis et moralibus a Deo ipso institutis, ad doctrinam illam cognoscendam ejusque beneficiorum fructum percipiendum adducuntur. 6^o Omnis igitur de gratia divina disputatio rectius ad doctrinam de providentia Dei singulari et concursu refertur... Quem quicumque pie veneratur, is, omissis quæstionibus quibusvis argutis atque inexplicabilibus, præsentissimam quidem Dei vim et operam salutiferam in morali sicut in physico rerum ordine expectabit. 7^o Neque tamen ideo facultates et incitamenta ad animum emendandum ipsi suppeditata temere negliget, vel de iis optime

ad usum translatis tanquam de singulari suo merito gloriabitur (1). Ergo.

39. Resp. ad 1^m, *Dist.* Perperam tamen hoc illi monuerunt et contra apertam Scripturarum auctoritatem, *conc.*; recte, *neg.* Nam, ipsis Rationalistis fatentibus (2), scriptores saltem Novi Testamenti docent, homines christianos et Deo ipsi et Jesu Christo (3) ejusque Spiritui (4) et Spiritui Sancto (quem ipsi a Spiritu Christi distinguunt), varia in animos suos effecta salutaria immittentibus, tribuere debere: *primum* religionis christianæ cognitionem eamque profitendi consilium (5), *deinde* animi immutationem Evangelii præceptis convenientem (6), *tum* perseverantiam in fide Evangelio præstanda atque in virtute perficienda conspicuam (7), singulas *denique* virtutes et motus pios (8), dotes etiam singulares quasdam cum baptismo interdum conjunctas (9), vel eum præcedentes (10). Falsum igitur est et contra omnem veritatem, quod hi monitores adstruunt, operationes gratiæ *immediatas* et *supernaturales* nec promissas in Libris Sacris esse nec necessarias. Quod si hæc referant adversarii ad voces *immediatas* ac *supernaturales*, certe has non habent Sacræ Litteræ, prout non habent voces *mediatas* ac *naturales*, quas tamen ipsi usurpant. Quæstio porro est *de re*, non de *formulis*, quibus res significatur. Turpe autem est et contra dialecticæ leges a formulis

(1) Ita Wegscheider, § 152.

(2) Disserens enim cit. auct. § 148, de doctrina biblica circa gratiam divinam: *Ut homines*, inquit, *salute per Christum oblata, Deus ipse eos adjuvare decrevit; id quod testantur Scriptores Sacri, ac singulari attribuunt favori et gratiæ.*

(3) II Thess. II, 15 et 16; III, 3-5.

(4) Rom. VIII, 9; Gal. IV, 6; Phil. I, 19; II, 2 et 13; I Cor. III, 16; Coll. VI, 19; XII, 6; Rom. XII, 3 et seqq.

(5) Joan. VI, 44; Act. XVI, 14; I Cor.

I, 4-6; XII, 3; II Cor. IV, 6; Ephes. I, 17 et seqq. Phil. I, 3-6.

(6) Joan. III, 5; I Cor. VI, 11; Ephes. II, 5; Phil. II, 13; II Tim. II, 25; Tit. III, 4-6.

(7) I Cor. I, 8; III, 6; VI, 19; II Cor. I, 21; Ephes. III, 16 et seqq. Phil. I, 9; Col. I, 10; I Thess. V, 23; II Tim. I, 14; I Petr. V, 10.

(8) Gal. V, 22 et seqq. I Petr. I, 21; IV, 14; Rom. VIII, 26; Ephes. V, 18 et seqq.

(9) Joan. III, 5; Act. XIX, 5 et 6; Ephes. V, 26; Tit. III, 5.

(10) Act. X, 47.

ad rem transitum facere. Probationes, quas ex Scripturis adduximus ad dogma catholicum vindicandum, prorsus convellunt ea, quæ rursum pravi ejusmodi monitores obtrudunt, *omnia per leges naturæ a Deo optime effici, nec ita conspicuas gratiæ operationes esse, ut cognosci certa ratione et intelligi possint.* Dogma enim luculentissime traditum est, quod in præsentia sufficit.

40. Ad 2^m, *Neg.* Libertatem enim et hominum studium gratiæ operationes juxta doctrinam catholicam mirifice promovent, cum ea perficiant. Nam, si gratiæ operationes spectentur, prout naturales hominis facultates elevant ad ordinem supernaturalem, ac idoneas reddunt ad actus supernaturales perficiendos, qui non humanis viribus, sed instinctu influxuque divino elici debent, ut per se patet, nihil eis detrahunt; sed ea tantum adjiciunt, quæ libertas et hominum studium per se nec habebant nec habere poterant. Quod si gratiæ operationes spectentur, prout medicinales sunt, ac tollunt impedimenta, quæ ad bonum operandum opponunt infirmitas ac imbecillitas humanæ naturæ, tentationes et cupiditates, nemo est qui non videat, per eas libertatem et hominum studium maxime perfici, prout data opera inferius ostendemus. Ea vero, quæ adduntur de mysticorum somniis ac de Deo peccatorum auctore, relinquimus Lutheranis et Calvinisticis, quibus talia accepta referenda sunt.

41. Ad 3^m, *Neg.* Ut liquet ex iis, quæ nuper diximus, cum responderemus eidem difficultati a Pelagianis objectæ.

42. Ad 4^m et seqq. *Dist.* Spiritui privato obsequendo adversus divinam revelationem, *conc.*; hanc adhuc retinendo, *neg.* Siquidem systema Rationalisticum componi nequaquam potest cum divina revelatione, quæ eidem omnino adversatur. Hoc enim perinde est ac si quis sibi ex arbitrio velit religionem extruere. His vero principiis admissis, absonum est, adhuc ingerere mentionem de *religione christiana, ubi recte consideretur*; cum ex istorum mente, recta christianæ religionis intelligentia nil aliud sit nisi ejusdem eversio. Hucusque nondum pertigerat Pelagius cum suis. Ridiculum porro est, quod quinto loco subdunt hi rationalistæ de *vera pietate.* Quænam vera pietas fingi animo potest sine fide, sine gratia, sine revelatione? Quamnam pietatem præstolemur

ab iis, qui *præsentissimam Dei vim et operationem salutiferam in morali ac physico ordine expectant*? Ergone Christus ideo venit in mundum, ut in se typum moralem et physicum referret, ex quo rationalistæ demum facultates et incitamenta ad animum emendandum suppeditata non negligerent? Huc usque deducta res est apud Protestantes.

PROPOSITIO II.

Necessaria est Dei gratia homini lapsio, tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas.

43. Ad fidem catholicam spectat quoad omnes suas partes hæc propositio, quam S. Augustinus adversus Pelagianos vindicavit. Pelagius enim, ut præmisimus, inficiatus est, primum hominem integritate naturæ auctum a Deo esse; cumque propterea nullam ipse admitteret ex peccato originali naturæ corruptionem, intulit, non minus valere ejus posteros, tum ad verum cognoscendum, tum ad bonum perficiendum atque ad vincendas difficultates, quæ iisdem opponuntur, quam Adam ipse immediate a Deo conditus hæc præstare potuerit.

44. Porro ex doctrina catholica de peccato originali ejusque effectibus discimus, protoparentem illam integritatem naturæ a Deo accepisse cum justitia originali, eamque per peccatum amisisse, *totumque Adam*, ut loquitur Concilium Trident., *per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse* (1). Hæc autem totius Adam in deterius commutatio potissimum complectitur ignorantiam ex parte intellectus, in malum pronitatem ex parte voluntatis, et concupiscentiam ex animæ et corporis conjunctione. Nisi igitur hæc vulnera, homini inflicta per peccatum, medicinalis Christi gratia curet, ineptus homo est ad tria illa præstanda, quæ enumeravimus.

(1) Conc. Trid. sess. v, can. i.

45. Animadvertendum autem hic est majoris perspicuitatis causa, 1^o agi in præsentī propositione de sola operis moralis *substantia*, ut in scholis loquendi mos obtinet, non autem de *modo* seu de *opere supernaturali* aut *salutari*, adeoque agi de necessitate gratiæ, quæ supernaturalis quidem sit *ratione sui*, non autem *ratione modi* seu *finis*. Utrumque enim concurrat necesse est ad gratiam absolute supernaturalem constituendam ac proprie talem. Hæc autem omnium prima vocatio est ad fidem una cum interiori illustratione et inspiratione, ut postea dicemus. 2^o Notandum est, cum asserimus gratiam necessariam esse tum ad *omnes* veritates ordinis naturalis cognoscendas, etc., hoc non solum spectare nexum harum veritatum aut divinorum præceptorum, verum etiam et abstrusiores veritates ac difficiliora præcepta tum absolute tum relative, ac præcipue præceptum diligendi Deum super omnia. 3^o Notandum est, impotentiam, in qua nunc homo lapsus versatur respectu horum omnium, quæ recensuimus, *moralem* esse, non *physicam* (1); alioquin homo reus culpæ non esset, aut cum gravi tentationi cederet, aut cum arduum præceptum transgrederetur; nec viribus a natura esset comparatus, quæ proportionem servarent cum lege naturali seu

(1) *Physica* impotentia idem valet ac impotentia *absoluta*, quæ superari nullatenus potest; cujusmodi ex. gr. est in homine ad volandum, quia alis destitutus est. Impotentia *moralis* ea dicitur, quæ ægre quidem ac difficulter, attamen absolute vinci potest; qualis in ægroto concipitur ad pondus quoddam attollendum, quod ipsi molestiam afferrêt. Moralis porro hæc impotentia, seu verius difficultas, plures gradus admittit tum absolute tum relative; *absolute*, cum hæc oritur ex ipsa rei arduitate; *relative*, cum non solum ex arduitate operis pendet, verum etiam ex ratione temporis, loci, individui, aliorumque adjunctorum seu, ut vocant,

circumstantiarum, quæ negotium illud jam per se arduum comitantur. Quandoque vero eo pervenit talis moralis impotentia aut difficultas, ut *physicæ* seu absolutæ æquivalet; cujusmodi ex. gr. esset homini sanæ mentis nudum per vias incedere, se ex alta turri in terram dejicere, etc. Hæc autem sedulo animadvertenda erant, quia nonnulli inveniuntur scriptores præsertim ex factione Janseniana, qui, ad invidiam declinandam, quandoque *moralem* impotentiam nominant, at sub hoc vocabulo *moralem* summam, quæ *physicæ* et absolutæ æquipolleat, significant, et hac ratione fucum incautis faciunt.

moralis ordinis, ad quem suapte natura homo ordinatus est; nec vere libero arbitrio polleret. Moralis autem hæc impotentia plures gradus admittit, tum in se, tum respectu particularis cujusquam individui, spectatis præsertim temporis, loci aliisque individui ipsius adjunctis.

46. His ita positis, per partes assertam propositionem evincimus. Ac primo quidem non posse hominem absque gratiæ subsidio omnes ordinis naturalis cognoscere veritates, illa omnia evincunt, quibus ostendimus necessitatem supernaturalis revelationis adversus incredulos et rationalistas, argumento potissimum ducto ex omnium sæculorum experientia. Inde enim comperimus, tot ac tantis ignorantiae tenebris homines revelatione destitutos laborasse, ut nec populi rudes neque populi philosophorum doctrina et scientia exculti ita potuerint se ab iis expedire, ut in plures eosque gravissimos errores adversus sanam ethicen non impegerint. Comperimus præterea, philosophos ipsos, etsi omne studium in veritatis inquisitionem contulerint, in perniciosissimos tamen errores delapsos esse, non secus ac recentiores incredulos, qui seposita revelatione conati sunt novam sibi ethicen cudere; siquidem in desperationem acti propriam impotentiam demum ultro fassi sunt (1). Et hæc satis sint; nec est cur plura congeramus ex vitæ brevitate, mentis angustia, multitudine officiorum, ex difficultate applicationis eorundem officiorum ad praxin, ex collisione præceptorum, aliisque prope innumeris, quæ urgeri possent.

47. Quod vero secundo loco positum est, non posse scilicet hominem lapsum absque Salvatoris gratia universam legem implere, aperte evincit ex una parte summa difficultas, quæ inest quibusdam præceptis; ex altera autem insita homini imbecillitas. Injuriarum condonatio, inimici dilectio, continentia aliaque, quæ a lege præscribuntur non pauca, tantam præ se ferunt difficultatem, ut homo per se eam aut ægre omnino aut nullatenus superare valeat. Atque ut in continentia sistamus, libri Sapientiæ auctor de se profitetur cap. VIII, 21: *Ut scivi quoniam*

(1) Cfr. vol. I, *De vera relig.* n. 54 et seqq.

aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset donum, adii Dominum et deprecatus sum illum. Quo spectat et illud Apostoli dictum: *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio* (Rom. VII, 18.); imo huc integrum refertur caput VII Epist. ad Rom.; ubi graphice Apostolus describit hominis impotentiam ad legem sine Christi gratia servandam. Ex hæc porro difficultate, quam in se homo experitur ad continendum se in officio, origo potissima habetur idololatriæ ac polytheismi, quibus ad turpissima quæque cohonestanda gentes usæ sunt, ut sic conscientiæ stimulos et angores aliqua ratione suffocarent. Quibus si addantur nonnulli casus nec infrequentes, in quibus homo inter legis violationem ac vitæ discrimen colluctatur, inter delictum quod sibi innoxium fore pollicetur et lucrum constitutus, ad longum tempus profecto non subsistit (1). Quod autem de lege in universum dictum est, peculiari ratione affirmari debet de præcepto diligendi Deum super omnia, amore nempe *appretiativo*, qui observantiam totius legis includit, ut per se patet; nec pluribus ad id demonstrandum opus est.

48. In immensum denique prope augetur hæc difficultas ex eo, quod tertio loco constituimus, cum graves nempe tentationes animum pulsant, quas sine gratia sanante vincere homo non potest. Ejusmodi autem tentationes aliæ inditæ homini sunt, quas scilicet ingenerant cupiditates; aliæ externæ, quæ vel ex dæmonis assultibus, vel ex mundi blandimentis ac illecebris oriuntur. Vehementes quandoque et acres adeo stimulos cupiditates excitant, ut nonnisi ægre ab iis homo non abripiatur: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (Gal. V, 17), inquit Apostolus; qui præterea de se ex persona hominis sub lege contituti scribit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (Rom. VII, 23). Quod et viderunt ethnici ipsi juxta tritum illud poetæ dictum:

. *Aliud cupiditas, mens aliud suadet;*

Video meliora proboque, deteriora sequor.

(1) Cfr. Roberti S. J. *Della probità naturale*.

Quo quidem vocem naturæ foedatae ac in malum pronæ poeta expressit. His incitamentum addunt dæmonis insectationes, ut passim Scripturæ testantur, atque mundi blandimenta, ut infelix nimis experientia ostendit. Non aliter proinde poterit homo se his subducere eaque superare quam per Dei gratiam, qua opulante excitatur ad officia excolenda, eaque omnia præstanda, quæ muneris sui sunt, virtutemque sectandam. Quod declarat Apostolus loc. cit. ubi, postquam exclamasset: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* statim subdit: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (ibid. 24 et 25).

49. Constat igitur, quod proposuimus, necessariam scilicet esse Dei gratiam homini lapso, tum ad omnes veritates naturalis ordinis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas (1).

DIFFICULTATES.

50. Obj. prima. 1^o Humana ratio iis omnibus a Deo instructa est facultatibus, quibus satis exulta ad veritates sui ordinis, ethices præsertim ac religionis pervenire possit. 2^o Sane id, quod sunt brutis animantibus sensus et instinctus, est homini ratio; ergo, quemadmodum illa finem suum assequi possunt absque exteriori subsidio, ita et homo sola ratione potest ad finem suum pervenire per cognitionem veritatis, primæ præsertim, quæ Deus est; dein etiam officiorum, quibus adstringitur erga Deum, erga se ac societatem. 3^o Porro ratio ad instar seminis in homine latet, quod successu temporis evolvi debet, ut crescat, et perfectionem sibi propriam attingat. Institutione propterea indiget ratio et cultu, experientia, communicatione, ceterisque præsiidiis, ut perveniat ad veritatem; quæ si adsint, veritatem certe assequetur. Ergo.

51 Resp. ad 1^m, *Dist.* Physice et absolute, *conc.*; moraliter, *neg.* De hac vero morali potentia loquimur. Physica enim pote-

(1) Cfr. Bellarm. *De grat. et lib. arbit.* lib. v, a cap. 4 ad 9.

state ad veritates cognoscendas, ad quas ordinatus est, hominem lapsum adhuc pollere, non inficiamur; verum hæc non sufficit, cum expedita non sit, ac multis difficultatibus sit circumsepta, quibus omnibus superandis multo opus tempore, labore, vigiliis, ut experientia ostendit; ex qua præterea discimus, vel ipsos sapientes post plurimum seculorum conatus nunquam eo pervenisse, ut veritatem erroribus iisque gravissimis immunem cognoverint. Deinde semper deest ejusdem ad officia practica applicatio; quæ ut rite fiat, novis conatibus et eluctationibus opus est. Theoriæ, ut aiunt, ac mentis humanæ molitiones pulcherrimæ non raro sunt; brevi tamen experimentum eas evertit.

52. Ad 2^m, *Neg. paritatem*; cum bruta sensibus et instinctu necessario agantur; at homo per ipsam rationem liber fit, quæ, utpote certis finibus conclusa, non omnem veritatem agnoscit; unde et homo pravis cupiditatibus irretitus illa, heu! sæpius, nimis prave utitur. Cupiditates enim, institutio, auctoritas ceterorum hominum, anticipata judicia eam sæpe ita labefactant, ut verum dignoscere non valeat. Subsidio proinde indiget homo, ut recte incedat, et ad finem suum certo perveniat. Nec ei satis est, ut Deum cognoscat et officia generalia, quibus adstringitur; sed necesse insuper est, ut hæc in particulari cognoscat ac rite applicet. Hoc porro opus, hic labor est.

53. Ad 3^m, *Conc. antec. et neg. cons.* Utique ratio ad instar seminis est, quod germinare debet, ut maturitatem attingat; sed ut germinet, requiritur gratiæ subsidium, quod nisi præsto sit, tenuia illa ipsa principia facile corruunt ac prave inflectuntur; et nedum ad optatam perfectionem pertingant, extremam sibi perniciem consciscunt. Non aliter navis, etsi optimis instrumentis instructa sit ad mare trajiciendum, nisi ab experto nauta dirigatur, aut in syrtes incidet, aut ad scopulos se illidet (1).

(1) Nonnulli auctores, ut se ab hac difficultate expediant, recurrere consueverunt ad humanæ naturæ infirmitatem, quæ ex lapsu primorum parentum provenit. Ast hi ipsi non advertunt, eandem imbecillitatem lo-

cum habituram fuisse in hypothesi, quod Deus hominem noluerit dono ind debito integritatis adstruere, et tunc recurreret eadem difficultas solvenda. Si enim demas nonnulla accidentalialia, eadem fuisset conditio hominis non ele-

54. Obj. secunda. Scriptura passim ut certum assumit, posse hominem suis viribus totam legem implere. 1° Sic, Deuter XXX, 11, Moyses ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* Eccl. pariter XV, 16 dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* 2° Quare Apostolus universim pronunciat: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt* (Rom. II, 14); possunt igitur *naturaliter* seu naturæ viribus sine gratia legis naturalis præcepta servari. Prout 3° de semetipso testatur Apostolus, quod, cum nondum sub gratia esset, sed solum sub lege constitutus, *secundum justitiam, quæ in lege est, sit conversatus sine querela* (Philip. III, 6). 4° Hinc S. Joan. Chrysost. scribit: *Admiratione dignos esse* (gentiles), *quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quæ legis erant, præstiterint* (1); 5° cui cohærens S. Hilarius duplicem librum distinguit, ad illud Ps. LXVIII: *Deleantur de libro viventium*; alterum viventium, alterum justorum; affirmat autem: *Eos in viventium libro esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati omnia præscripta legis impleverint, de quibus secundum legem Apostolus Paulus ita docuit:* (Rom. X) *Quia qui fecerit ea, vivet in illis* (2). 6° Sane lex naturalis intra naturæ limites continetur, neque proinde naturalem hominis facultatem excedit. 7° Cavendum propterea est, prout scite concludunt Rationalistæ, ne, imbecillitatem istam naturæ humanæ nimium jactando, facilem peccantibus excusationem suppeditemus; in eo potius elaborare debent doctores publici, ut cujuslibet male facti pravitatem et turpitudinem vehementer prædicent, et facultatem homini, benigne a Deo concessam, vitiositatem quamvis superandi et, Deo

vati nec dono integritatis aucti, ac nunc est, postquam homo per peccatum dona illa amisit. Hoc solum intercedit discrimen, quod in tali hypothesis imbecillitas humanæ naturæ foret naturalis hominis conditio, nunc vero rationem habeat pœnæ ac infirmitatis. Cfr. quæ diximus tom. III, in Tract. *De Deo*

Creat. n. 337 et seqq.

(1) *Hom. v in Epist. ad Rom.* n. 5.
Διὰ τοῦτο γὰρ, φησὶν, εἰσὶ θαναταστοὶ,
ὅτι νόμου οὐκ εἰδὴθησαν, καὶ τὰ τοῦ
νόμου πάντα ἐπεδείξαντο.

(2) *Expos. in Ps. LXVIII,* n. 24,
 edit. Coust.

ipso juvante (juxta naturalem providentiæ ordinem), optima quæque efficiendi magis magisque explanent, ut eam homines diligentius excolant (1). Ergo.

55. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m prob., *Dist.* Per auxilium divinæ gratiæ, *conc.*; sine illo, *neg.* In his enim ac similibus testimoniis, in quibus sermo est de legis observantia, aut fit ad eam implendam exhortatio, semper subintelligitur gratiæ opitulatio cohærenter ad illa, quæ aut ibi aut alibi dicuntur. Etenim ante adductum ex Deuter. v. 6; testimonium jam dixerat Moyses: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.* Quo pariter spectant illæ Prophetarum preces, quibus a Deo petunt, ut aut sibi aut populo cor docile tribuat ad legis mandata custodienda; quæ innumeræ prope sunt (2).

56. Ad 2^m, *Dist. Naturaliter* gentes ea, quæ legis sunt, faciunt, quatenus opponitur legi scriptæ, *conc.*; quatenus opponitur gratiæ, *neg.* Scopus enim Apostoli in adducto testimonio est, ostendere, gentes, etsi legem scriptam ut Judæi non habuerint, non fuisse tamen sine lege; cum eam in cordibus suis velut insculptam gesserint, ut ex ipsorum bene aut male factis ostendebant, testimonium ipsis perhibente conscientia. Quemadmodum vero Judæi non sine gratiæ auxilio legem servabant, ita nec sine eodem gentes legem naturalem implebant. Non igitur gratiam excludit Apostolus; sed eam potius includit ac supponit (3).

57. Ad 3^m, *Dist.* Secundum justitiam legalem externam, seu coram hominibus, *conc.*; internam et proprie dictam coram Deo, *neg.* Alibi enim contrarium profitetur (4).

58. Ad 4^m, *Dist.* In sensu Apostoli mox exposito, *conc.*; in sensu adversariorum, *neg.* Expresse enim S. Doctor, Hom. XIII in eandem Epist. docet, legem sine gratia minime sufficere; nec salutis spem ac tentationum victoriam sine speciali Dei auxilio haberi posse (5).

(1) Wegscheider, § 118.

(2) III Reg. III, 9; toto Ps. cxviii, etc.

(3) Cfr. Bernard. a Piconio, *Triplex expositio*, in hoc. loc.

(4) Cfr. Epist. ad Titum, III, 3 et seqq. I Tim. I, 13; etc.

(5) N. 3 et seq. Imo in hac ipsa Hom. v, quæ objicitur ab adversariis,

59. Ad 5^m, *Dist.* In libro viventium in ordine ad vitam temporalem, *conc.*; in ordine ad vitam æternam, *neg.* Alioquin nimis probaret, posse nempe quempiam per opera moraliter honesta pervenire ad salutem æternam (1).

60. Ad 6^m, *Dist.* Non excedit naturalem hominis facultatem physicam, *conc.*; moralem, de qua loquimur, *neg.*

61. Ad 7^m, *Dist.* Si physicam inesse homini impotentiam doceremus et omni gratia hominem destitutum, urgente præcepto, *conc.*; si moralem tantum, nec sine gratia, urgente præcepto, hominem esse docemus, *neg.* Tunc enim solum peccanti facilis præberetur excusatio, si eum absolute impotentem ad legem servandam adstrueremus, ac sine omni gratiæ auxilio, cum grave aliquod præceptum urget, eum esse diceremus. Ast ab his sensibus abhorret doctrina catholica. Nemo quippe nisi volens ac libens peccato inquinatur. Quare adhortationes Rationalistarum optime quidem congruunt doctoribus protestantibus, qui docent, hominem per Adæ peccatum omnem amisisse libertatem, ac necessitate ineluctabili ad peccatum impelli, non autem catholicis, qui, etsi hominis lapsi imbecillitatem prædicent, nunquam tamen eum docent destitutum omni penitus gratiæ subsidio, cum præceptum instat, ad quod servandum impar ille sit, ut inferius adstruemus.

62. Obj. tertia. 1^o Si qua tentatio difficilis censi debet, ejusmodi profecto est comminatio mortis imminentis; jam vero hanc solis arbitrii viribus hominem superare posse, innumera prope exempla ostendunt, primo quidem Romanorum, qui non dubitarunt se passim morti devovere ex patriæ amore, secundo tot hæreticorum et schismaticorum, qui ad tuendas pravæ suas opi-

id aperte declarat S. Joan. Chrysost. n. 4 et 5.

(1) Id patet ex toto contextu, ubi duplicem distinguit librum, *viventium* nempe et *justorum*. Ad librum justorum asserit pertinuisse eos, quibus justitia Christus factus est; ad librum autem viventium eos pertinuisse affirmat,

qui legem sine Christi cognitione observarunt: *A quo libro, inquit, cum omnem populum deleri Moyses metueret, se primum deleri deprecatus est.* Metuebat autem Moyses, ne morti daretur populus, prout Deus comminatus fuerat.

niones gravissima interdum supplicia pertulerunt, nec tamen ad hæc sustinenda Christi gratia communiti erant. 2^o Pariter gravis æstimari solet tentatio, quæ ex concupiscentiæ colluctatione oritur; de ea tamen Gen. IV, 7 dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*. Potest igitur homo viribus suis concupiscentiam rationis imperio subjicere eique dominari. 3^o Hinc optime S. Hieronymus: *Liberi arbitrii, inquit, nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est* (1). 4^o Huic adstipulatur S. Thomas, qui aperte docet, motum voluntatis non ex necessitate sequi passionem, imo posse voluntatem *non velle concupiscere, aut concupiscentiæ non consentire*; et quidem viribus liberi arbitrii, quod ibi tuetur (2). Ergo.

63. Resp. ad 1^m *Dist. min.* Per vehementiorem validioremque cupiditatem aliamve similem causam, *conc.*; per motivum moraliter honestum, *subdist.*, accedente gratiæ auxilio, *conc.*; sine ipso, *neg.* Non inciamur, interdum nonnullos homines vehementi aliquo aut gloriæ stimulo, aut cupiditate qualicumque, aut ferocia animi ex pertinacia inflammata ita abripi, ut quævis superent, mortemque contemnant. Quis tamen hanc veram fortitudinem aut virtutem appellet? Huc porro referuntur quam plurima facinora Romanorum, aut etiam hæreticorum, schismaticorum aliorumque ejusmodi. Quod si ex motivo vere honesto compulsi nonnulli ex iis fuere ad talia perferenda, ex. gr. ex laudabili patriæ amore, aut ad adstruendam aliquam veritatem, non sine gratiæ auxilio tam arduum ac difficile opus aggressi sunt, ut docet S. Augustinus, qui lib. *De Patientia*, cap. XVIII, hoc gratiæ donum dicit esse, *non filiorum et hæredum, sed exhæridatorum*; quod scilicet non ad hoc eis conceditur, ut per ipsum ad regnum cœlorum promoveantur, sed ut mitius propter alia peccata puniantur. Comparans præterea ibid. S. Doctor, cap. XVII, patientiam ex concupiscentia cum patientia ex gratia parta hæc præclare scribit: *Concupiscentia, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior et*

(1) *Adv. Jovinian.*, lib. II, n. 3, (2) 1^a, 2^e, q. 10, a. 3, ad 1.
edit. Vallarsi.

ardentior, tanto fit quisque, pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum dolorumque patientior.... Non est ista patientia desursum descendens.... illi falsæ patientiæ potest sine adiutorio Dei humana voluntas sufficere, tanto durior, quanto cupidior, et eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor; huic autem, quæ vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper adjuta et inflammata, non sufficit, quia Spiritus Sanctus est ignis ejus.

64. Ad 2^m, *Dist.* Potest homo rationis imperio subjicere concupiscentiam eique dominari physice sive absolute, *conc.*; moraliter, *subdist.*; Deo adjuvante, qui non permittit nos tentari supra id, quod possumus, *conc.*; non adjuvante, *neg.* In exposito porro sensu objectum Geneseos testimonium intelligi debet (1).

65. Ad 3^m, Eadem esto distinctio. Tuetur enim S. Hieronymus liberum voluntatis arbitrium adversus Jovinianum; non posse autem hominem ex se omnem vincere tentationem, non semel ipse profitetur (2).

66. Ad 4^m, *Dist.* Docet S. Thomas, motum voluntatis non subjici necessitati physicæ, *conc.*; morali, *neg.* Patet ejus mens ex comparatione brutorum, qua hic utitur Angelicus Doctor. Contendit enim motum voluntatis liberæ activum ac sui juris esse, nec subjici physicæ necessitati; at non negat eam subesse necessitati morali (3).

ARTICULUS II.

De erroribus Semipelagianorum circa eandem gratiæ necessitatem.

67. Semipelagiani ita appellati sunt, quod errores cum Pelagianis quodammodo dimidiarunt. Ipsi necessitatem gratiæ admit-

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 8.

(2) Cfr. Bellarm. ibid.

(3) En ejus verba: *Immutatio hominis per passionem duobus modis contingit. Uno modo sic, quod totaliter*

ratio ligatur.... et de talibus eadem est ratio sicut et de animalibus brutis, quæ ex necessitate sequuntur impetum passionis.

tebant, sive ad augmentum fidei, sive ad opera salutaria fidem subsequenter; atque in hoc differebant a Pelagianis. Ipsi tamen consentiebant in repudianda necessitate gratiæ ad initium fidei et ad perseverandum in eadem fide usque ad finem. Hac ratione initium salutis atque in ea perseverantiam *a se ipsis* repetebant, non autem *a gratia Dei eorum voluntates præveniente* (1).

68. Origo istius erroris, ut supra innuimus, ex eo peti debet, quod Semipelagiani elevationem primi hominis ad statum supernaturalem permiscuerint cum ejus integritate; hinc, ex eo, quod non adeo depravatam existimarent per peccatum humanam naturam, ut non posset homo lapsus et ægrotus ex se saltem optare, velle ac petere sanitatem, inferebant, posse hominem per se habere initium fidei, imo et fidem ipsam, seu credulitatis affectum (2), atque in eadem perseverantiam usque in finem. Fide autem per proprias vires obtenta, docebant, eadem instructos deinde petere ac obtinere a Deo tum fidei augmentum tum opera salutaria. Ex hoc fundamentalis errore ceteri profluebant, in quos Semipelagiani delabebantur; gratiam scilicet juxta merita dari; Deum velle omnes homines salvos fieri, ita tamen ut prius id ipsi velint solo voluntatis arbitrio; nullam dari prædestinationem ad gratiam. De quibus ex parte egimus, et ex parte postea agemus.

69. Ut interea consistamus in eo Semipelagianorum errore, qui attingit necessitatem gratiæ ad fidei initium et in ea perseverantiam, ad præcavendas Jansenistarum fraudes animadvertendum est, Semipelagianos non omnimode negasse necessitatem gratiæ circa utrumque articulum recensitum, sed solum necessitatem gratiæ, quæ afficeret voluntatem; nam gratiam illustrationis

(1) Cfr. Carolus Joseph Tricassinus Ord. Capp. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, Paris. 1673, part. 1, sect. 1, § 3 et seqq. præsertim §§ 16 et 17. Hic autem revocandum in mentem est, quod adnotavimus circa notionem *gratiæ prævenientis* in sensu Veterum; quæ nempe complecteretur tum gratiam, quam nos

dicimus *illustrationis*, tum eam, quam vocamus *inspirationis*. Hæc enim animadversio hic nobis inservit.

(2) Hoc enim sensu Semipelagiani contendebant fidem ex nobis esse; nam *fidem formalem*, ut mox dicemus, gratiæ adscribebant.

sive intellectus necessariam esse ultro admittebant (1). Quare S. Augustinus, qui adversus eos disputavit, perpetuo urgebat necessitatem gratiæ, quæ ipsam voluntatem immediate attingeret. Ex hoc vero intulit Jansenius, Semipelagianos admisisse gratiam ad initium fidei, et in eo fuisse hæreticos, quod contenderent gratiam istam talem esse, cui voluntas posset resistere vel obtemperare. Quare hæc ejus propositio, quæ est n. IV^a: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*, proscripta fuit ab Innocentio X ut *falsa et hæretica; falsa* nimirum ex parte historica, *hæretica* ex parte theoretica (2).

(1) Nam Pelagiani ipsi admittebant necessitatem gratiæ, quæ dicitur illustrationis seu intellectus; sed nullam agnoscebant gratiam in voluntate necessariam; ut pluribus ostendit cit. auctor in op. *De prædestinatione ad gloriam*, part. II, sect. 3, § 10, punct. II. Jam vero Semipelagiani circa fidei initium et in ea perseverantiam, ac propterea circa *gratuitatem* gratiæ plane consentiebant cum Pelagianis, ut passim S. Augustinus testatur, ac facile adductis ex S. Augustino testimoniis ostendi posset, nisi ipsemet Jansenius id fatetur, *De hæresi Pelag. et Semipel.*, lib. VIII, cap. I, § qui incipit: *Non enim*, pag. 162, ubi scribit: *Certissimis enim divi Augustini et Prosperi testimoniis constat, doctrinam eorum (Semipelagianorum), qua ab Ecclesia dissidebant, non alio nomine fuisse repudiatam, quam quod Pelagianam hæresim restaurarent.*

(2) Post ejusmodi censuram mirum est, nonnullos Theologos catholicos

adhuc cum Jansenistis ausos esse adstruere, Semipelagianos agnovisse necessitatem gratiæ ad fidei initium. Hoc enim perinde est ac velle contradictoriam propositionem illi, quæ damnata est a Rom. Pontifice tamquam *falsa*, defendere ut *veram*. Hic admonendum est, Jansenium ideo statuisse Pelagianos ac Semipelagianos admisisse gratiæ necessitatem ad fidei initium, ut deinde inferret, totam controversiam, quæ inter Augustinum et illos viguit, agitatam tantum esse circa vim et efficaciam gratiæ; ita ut Pelagiani ac Semipelagiani contenderent integram seu indifferentem permanere libertatem sub gratia, S. Augustinus autem adstrueret adversus eos juxta catholicam doctrinam gratiam inferre necessitatem ineluctabilem voluntati. Dolendum propterea est, eosdem catholicos Theologos adstipulatos fuisse etiam ex hac parte Jansenio circa statum controversiæ inter Semipelagianos et S. Augustinum, saltem circa efficaciam gratiæ; secus

Adversus hunc Semipelagianorum errorem sequentem statui-
mus propositionem.

PROPOSITIO.

Sine Sancti Spiritus illuminatione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei et in fide perseverantiam usque in finem.

70. De fide est hæc propositio, ut constat ex definitione Concilii Trident. sess. VI, can. IV : *Si quis dixerit, sine Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere posse, sicut oportet... , ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Tridentino præiverat Conc. Arausicanum II, can. V : *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur; et can. VII : Si quis per naturæ vigorem... Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... hæretico fallitur spiritu (1).*

71 Ita vero catholicæ hujus fidei sanctiones ex Sacris Litteris in primis vindicamus : Divina oracula non soli externæ fidei prædicationi et illustrationi tribuunt fidem et fidei initium, sed interiori Spiritus S. operationi illuminanti atque inspiranti, si

ac veritas historiæ patiat, et auctoritas Romanorum Pontificum declaraverit. Hoc enim est catholicam causam proderet, ad privata placita inconsulto statuenda. Cfr. inter ceteros Nat. Alex. loc. cit. art. 2, de *Pelagianorum erroribus*, § 3 et seqq. Interim si secernatur gratia *illustrationis* seu intellectus, quam tam Pelagiani, ut diximus, quam Semipelagiani admiserunt ad fidei

initium, a gratia *inspirationis* seu *voluntatis*, cujus necessitatem utrique pertinaciter inficiati sunt; si præterea secernatur fidei initium a fide formali, quam Semipelagiani inter *opera ipsa* recensebant, et quibus eliciendis gratiæ necessitatem agnoscebant, tollitur omnis amphibologia.

(1) Cfr. *Acta Conc. Harduini*, tom. II, col. 1098.

docent, neminem nisi trahente Patre ad Christum pervenire posse, fidem donum Dei esse, quod non nisi ex misericordia et gratia conceditur, et ita concedi divinam hanc misericordiam, ut nemo gloriari possit in operibus suis, quasi illud non acceperit, si denique perhibeant eos, qui fidem susceperunt, id præstitisse Deo cor adaperiente ac præordinante ad vitam æternam. At hæc omnia luculentissime Scripturæ tradunt. Christus enim, Joan. VI, 14: *Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Apostolus autem, I Cor. VII, 25: *Misericordiam, inquit, consecutus a Domino, ut sim fidelis;* item ad Philipp. I, 29, scribit: *Vobis donatum est, pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini;* subdit vero, Ephes. II, 8: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.* Hinc I Cor. IV, 7, fidenter interrogat: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Quo præcipue testimonio,* ait S. Augustinus, *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis* (1). Ac rursus, Rom, XI, 35, interrogat Apostolus: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quæ omnia falsa essent in Semipelagianorum systemate. Verum illud demum evertunt facta ipsa in Libris Sacris relata. Etenim de Lydia purpuraria legitur, Act. XVI, 14: *Dominus aperuit cor (ejus) intendere his, quæ dicebantur a Paulo;* et ibid. XIII, 48, generatim dicitur: *Crederunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

72. Post hæc supervacaneum videretur, Patrum testimonia congerere; qui unanimiter omnes in eundem sensum conveniunt. Vix propterea ex uno aut altero, ne longiores simus, testimonia promemus, etsi vulgatissima sint. S. Cyprianus ex Latinis: *In nullo gloriandum,* ait, *quando nostrum nihil sit* (2); et S. Ambrosius:

(1) Lib. *De prædest. Sanct.* cap. 3, n. 7.

(2) *Testimon. ad Quirinum*, lib. III,

cap. 4. Hoc porro testimonium S. Cypriani laudat S. Augustinus, loc. cit.

Non in potestate nostra est cor nostrum et nostræ cogitationes (1). Ex Græcis S. Greg. Nazianzenus : *Qui dedit*, inquit, *quod primum est, dabit et quod secundum est* (2), id est, plenam et integram fidem (3).

73. Ad hæc accedit universalis Ecclesiæ sensus, quæ semper orare consuevit pro infidelibus, ut ad fidem a Deo perducantur, atque in ea semel accepta jugiter perseverent. Pro certo igitur habuit, tam fidem quam ejus initium atque in eadem perseverantiam totidem Dei dona esse. Neque enim, ut optime arguit S. Augustinus, ab alio poscimus, quod in nostra est potestate : *Quando enim*, inquit, *non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent... Nam, si hæc ab ipso (Deo) quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere, quod orat, a Domino, si hoc a seipso se sumere existimat, non ab illo* (4)? Etenim : *Oratio*, ut idem S. Doctor loquitur, *clarissima est gratiæ testificatio* (5).

74. Denique per hoc Semipelagianorum commentum tota labefactatur gratiæ œconomia.. Nam 1^o non amplius gratuita foret, secus ac exposcat ipsa gratiæ notio, ut inferius ostendemus. 2^o Primas in salutis negotio partes sibi homo vindicaret, non Deus. 3^o Homo per Adæ peccatum non excidisset omnino a statu supernaturali, nec opus Redemptore haberet ad eundem statum

(1) Lib. *De fuga seculi*, cap. 1, n. 1.

(2) *Orat. xliii, in Pentec.* n. 11 : *Δώσει, εἰ δῖδα, ὁ τὸ πρῶτον δούς καὶ τὸ δεύτερον.* pag. 710, tom. 1, edit. Paris. 1630.

(3) Cum Janseniani Patres græcos Semipelagianismi accusare non vereantur, ut pateat quam injuste hæc calumnia tot sanctissimis et doctissimis viris struatur, satis erit consulere egregium opus Isaaci Habert, Episcopi Vabrensis, quod inscribitur *Theologiæ Græcorum Patrum vindicatæ circa*

universam materiam gratiæ, vol. un. fol. Paris. 1646. Vide præsertim lib. 1, cap. 8; cui tit. *Gratiæ ad actum credendi et initium fidei summa necessitas ex mente perpetua græcorum Patrum*; ubi argumentum, de quo hic agimus, copiosissime evoluit, ac difficultates disjicit, quas ex istorum Patrum scriptis tum Jansenistæ tum ipsorum antesignani Calvinistæ promovere solent.

(4) Lib. *De dono perseverant.* cap. 23, n. 63.

(5) *Epist. clxxvii*, n. 4.

recuperandum. 4^o Demum, ceteris omissis, in eo peccat adversariorum systema, quod assumat, posse hominem, utcumque viribus naturalibus instructum, vel etiam in integritate naturæ, actum supernaturalem elicere ac salutarem, quod tamen falsum est (1). Hoc ipso enim, ut alias jam animadvertimus, quod *supernaturalis* est aliquis actus, excedit naturæ vires; nec nisi ab eo, qui supra naturam creatam omnem sit, dari potest, scilicet a Deo. Si autem a Deo datur fides, ab eo pariter debet conservari. Ergo tum ad fidei initium tum ad fidem ipsam atque ad perseverandum in ea, necessaria est Spiritus S. gratia, quæ et mentem interius illustret, et moveat voluntatem, prout ostendendum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

75. Obj. prima. Scriptura passim primas partes in salutis negotio, ac propterea circa fidem ejusque initium, homini tribuit. Sic, Prov. XVI, 1, dicitur: *Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam*; et v. 9: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus*; Zachar. I, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus, et convertar ad vos*. Sed clarius in N. T. id ipsum traditur; nam, Matth. XXV, 15, Christus perhibet, sub hominis parabola, Deum dedisse talenta *unicuique secundum propriam virtutem*; ac, Luc. XI, 9: *Petite, ait Christus, et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*. Hinc Apostolos suos instruens, Matth. VII, 6: *Nolite, inquit, dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; et ibid. X, 11: *In quamcumque*

(1) Quod animadvertendum est; siquidem fieri potuit, ut Deus primos parentes instrueret dono integritatis, nec eos elevaret ad ordinem supernaturalem, et e converso. Unum enim ab altero dono distingui ac dispesci potest. Deus tamen utrumque donum conjugere voluit in Adam, ut ostenderet divitias bonitatis suæ. Hinc ad utrum-

que reparandum diversa gratia opus est; ad reparandam enim infirmitatem ex peccato contractam indiget homo gratia *medicinali*, ad recuperandum statum supernaturalem indiget gratia *elevationis*; quando vero agitur de opere difficili ac supernaturali; utriusque gratiæ conjunctio et subventio necessaria est.

civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete. Ergo.

76. Resp. *Neg. ant. Ad. prob. Dist.* Divina gratia illustrati et adjuti homines animam præparant, disponunt viam suam, convertuntur ad Dominum, etc., *conc.*; solis naturæ viribus, *neg.* Hæc enim aliaque ejusmodi Sacrarum Scripturarum eloquia semper gratiam prævenientem supponunt, cohærenter ad alia loca, in quibus hæ ipsæ præparationes, dispositiones, conversiones ipsi Deo tribuuntur, et cohærenter ad ea, in quibus, ut vidimus, Deus dicitur operari in nobis velle et perficere, nihil sine eo nos efficere posse, non posse nos a nobis quasi ex nobis quidpiam salutare cogitare. Hinc non aliud significant prolati textus, nisi nos libere cooperari divinæ gratiæ, prout eos exponit Concilium Tridentinum illis verbis: *Cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Convertite nos, Domine, ad te, et convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur* (1).

77. Posito generali hoc principio, responsio patet ad ea, quæ Semipelagiani subtexuerunt. Etenim *virtutem* illam, de qua Matth. XXV sermo fit, non ex natura, sed ex prævia gratia illi sibi compararunt. Nam *unicuique nostrum data est gratia*, ut loquitur Apostolus, *secundum mensuram donationis Christi* (2).

78. Sic etiam, ut recte petamus et oremus, a Spiritu Sancto est, teste eodem Apostolo, scribente: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. VIII, 26).

79. Dum Christus, Matth. VII, Apostolos instuit, eos quidem monet, ne omnibus promiscue hominibus communicarent absque delectu doctrinam evangelicam, nec eam irrisioni ac pro-

(1) Sess. VI, cap. 5.

(2) Ephes. IV, 7. Cfr. in hunc Matth. locum Corn. a Lapide, qui putat, illud *propriam virtutem*, aut ad emblemata parabolæ pertinere, ideoque nullam intentam peculiarem significationem præ-

se ferre, aut spectare ad gratias gratis datas et status, ut magistratum, Episcopatum, Apostolatam, Sacerdotium, etc. quos status Deus naturæ viribus attemperare solet.

fanationi exponerent; at non asserit, eos, quibus debebant annunciare eandem doctrinam, illius dignos fuisse factos virtute propria. Dei enim solius est ex indignis dignos facere. Ex quo pariter solvitur, quod postremo loco propositum est.

80. Obj. secunda. Plura suppetunt ex Scripturis exempla eorum, qui propriis viribus sese ad fidem disposerunt atque eam promeruerunt. 1^o Illustria sunt exempla Zacchæi, Boni Latronis, Centurionis; qui aut desiderio Christum videndi, aut sua confessione, suisve orationibus et eleemosynis fidem et conversionem promeriti sunt. His addi potest alter Centurio, de quo, Matth. VIII, 10, ait Christus: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Quod si hanc fidem ex Dei gratia consecutus esset Centurio, miratus eam non esset Christus, ac dicere potius debuisset: *Non dedi tantam fidem in Israël.* 2^o Demum aliud hujus rei luculentissimum exemplum præbet David, qui, ut legitur III Reg. VIII, 17: *Voluit ædificare domum nomini Domini Dei Israël, et ait Dominus ad David.... Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum.* Jam vero hæc cogitatio profecto bona fuit, cum eam Deus commendaverit; nec tamen a Deo fuit, alioquin Deus non avertisset effectum (1). Ergo.

81. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Neg.* hæc aut similia, quæ afferri possent, exempla eorum, qui ad fidem conversi sunt, absque præveniente Dei gratia fuisse. Nam *manifestissime credendum est, inquit Concil. Araus. quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; et Zachæi, qui ipsum Dominum accipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ gratiæ largitate donata* (2). Idipsum dici debet de altero Centurione; cujus fidem si miratus est Chris-

(1) Hæc aliaque ejusmodi non pauca urget Cassianus, *Collat.* XIII, cap. 12. Adversus quem scripsit S. Prosper, suppresso tamen suo nomine. Cfr. edit. *Opp. Cassiani cum notis et commen-*

tariis D. Alardi Gazæi, ord. S. Bened. Paris. 1642.

(2) *Can. xxv* apud Hardoinum, loc. cit. col. 1102.

tus eamque commendavit, non præcise ob fidem ut donum Dei, sed ob liberam ejus cooperationem id fecit; in qua utique Centurio præ tot aut incredulis aut oscitantibus Israëlitis commendabilem se exhibuit.

82. Ad 2^m prob. *Neg. min.* quæ dicit eam bonam Davidis voluntatem a Deo non fuisse. Non autem obest, quod Deus ejus effectum seu executionem noluerit; simili enim ratione se gessit cum Abraham, cui etsi aperte immolationem Isaac imperasset, noluit tamen, ut eam executioni mandaret, sola voluntate et obedientia contentus; ut cetera exempla silentio præteream (1).

83. Obj. tertia. Patres græci ac latini pene omnes ante S. Augustinum eandem doctrinam, quam postea Semipelagiani amplexi sunt, omnino tenuerunt. Omnium vetustissimus Hermas in *Pastore*: *Quorum*, ait, *viderat Dominus puras mentes futuras, et servituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit poenitentiam* (2). S. Justinus M. qui inter cetera scribit: *Qui cum ratione vivere, christiani sunt, quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sunt; quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus atque iis similes* (3). Censuit igitur, sine gratia potuisse homines recte honesteque vivere. Neque ab eo dissentit Clemens Alex. qui præterea docet, veteres philosophos a philosophia justificatos fuisse (4), atque illud memorandum subdit: *Præparat ergo Philosophia (græca) ei viam muniens, qui a Christo perficitur* (5). Ex Latinis S. Ambrosius, ceteris omissis: *Ideo hanc gratiam, inquit, meruit (Ecclesia) a Christo, quia Verbum Dei quæsit, desideravit* (6). S. Optatus Milevit. scribit:

(1) Cfr. S. Prosper pro Augustino contra Collatorem ad calcem opp. S. Augustini, tom. x, edit. Maur. cap. 12, n. 33 et seqq. Ubi hanc aliasque Casiani objectiones disjicit.

(2) Lib. III, Simil. VIII, n. 6, apud Coteler. *Scripta Patrum Apost.* tom. 1.

(3) *Apolog.* 1, n. 46, edit. Prud. Maran. *Οἱ μετὰ λόγου βιάσαντες, Χριστιανοὶ εἰσι, καὶ ἄθεοι ἰνομισθησαν' οἷον*

ἐν Ἑλληνι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.

(4) *Strom.* lib. 1, n. 20, edit. Potteri, Venet. 1757, tom. 1, pag. 377.

(5) *Ib.* n. 5, pag. 331. *Προπαρασκευάζει τοίνυν ἡ φιλοσοφία, προσδοποιοῦσα τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ τελειούμενον.* Quod et sæpius ibidem repetit.

(6) *Apol.* II *David*, cap. 9, n. 47.

Est enim christiani hominis, quod bonum est, velle, et in eo, quod bene voluerit, currere; sed homini non est datum perficere, quia nostrum est currere, Dei autem perficere (1). Demum S. Hieronymus apertissime docet: Baptismum non servare iustitiam, quæ labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus (2). In quo porro differunt Semipelagianorum placita ab his Patrum dictis? Quid mirum proinde, si S. Prosper scripserit ad S. Augustinum, quod Semipelagiani obstinationem suam vetustate defendunt, et ea, quæ de Epistola Apostoli Pauli, Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant (3)? Ergo.

84. Resp. *Neg. ant.* Ac in primis eandem doctrinam non tenuit Hermas, qui cit. loc. tantum assert, , tribui a Deo pœnitentiam, seu peccatorum veniam bene dispositis non autem negat, hanc dispositionem a Deo profluere (4).

(1) *Hist. Donat.*, lib. II, edit. Al-
haspin. Paris. 1631, pag. 56.

(2) *Dial. contra Pelag.*, lib. III,
n. 1.

(3) *Epist. S. Prosp. ad. August.*
n. 3, quæ præmissa est libro ejusdem
S. Doctoris, *De Prædest. Sanctor.*

(4) Apposite Cotelarius, n. 79, ad
hunc loc. adnotat: *Porro imprudenter
existimatum fuit, in verbis Hermæ
caveri debere Pelagianismum. Neque
illa dubitationem habere mihi videntur.
Deus illis dedit pœnitentiam, a
quibus vidit mentes puras gestum iri,
nempe per gratiæ auxilium, per Spi-
ritum divinitus concessum, ut loqui-
tur Pastor. Quanquam et hæc emol-*

*lienda sunt; siquidem non ex præviso
hominum consensu Deus largitur gra-
tiam. Videtur mens Hermæ fuisse,
Deum iis gratiam pœnitentiæ non con-
cedere, quos prævidet ea abusus, ac
deteriores proinde evasuros. Quo spe-
ctant verba Augustini lib. *De dono per-
severantiæ*, cap. 10: *Quidam disputator
catholicus non ignobilis hunc Evan-
gelii locum (Matth. XI) sic exposuit,
ut diceret, præcisse Dominum Tyrios
et Sidonios a fide fuisse postea reces-
suros, cum factis apud se miraculis
credidissent, et misericordia potius
non eum illic ista fecisse; quoniam
graviori pœnæ obnoxii fierent, si
fidem, quam tenuerant, reliquissent,**

85. S. Justinus contendit, novam non esse religionem christianam, prout Ethnici, quibus respondet, opponebant; cum a Divino Verbo, cui participarunt quotquot recta ratione bene usi sunt, dimanarit omne verum. Vocem igitur *Christiani* improprie ac larga significatione usurpavit S. Martyr (1).

86. Clemens Alex. in adductis verbis nil aliud vult, nisi indicare veterem philosophiam exordium ac veluti præambulum fuisse sanctioris religionis, nempe christianæ; cui philosophia quodammodo viam stravit, duros et agrestes animos expoliendo, et hac ratione magis idoneos reddendo ad suscipiendam evangelicam prædicationem. Hæc autem nihil habent cum fide aut merito aut justificatione commune; cum non sint nisi dispositiones, ut vocant, negativæ (2). Hinc videmus, ut plurimum

quam si eam nullo tempore tenuissent. Verum et hoc pariter improbandum est, nisi eam adhibeas animadversionem, quam Petavius subjicit, *De Deo* lib. ix, cap. 4, n. 5 et 6.

(1) Cfr. Maran. *Præf. in opp. S. Just.* part. II, cap. 7, n. 5, ubi S. Martyrem pluribus egregie defendit a quavis suspicione.

(2) Quo spectat sensus prioris loci, qui objectus est: *Quamquam per se quoque aliquando Græcos justificabat philosophia.* Ad plenius tamen assequendam germanum sensum tum Justini tum Clementis, animadvertendum est, eos existimasse philosophiam apud gentes idem præstitisse, quod præstitit lex apud Hebræos; dum functæ sunt veluti munere pædagogi ad Christum ducentis. Hinc adstruunt, utramque donum Dei fuisse, licet longe aliter Deus duxerit Hebræos quam gentiles. Sic enim rursum Clemens, pag. 331, allatis verbis ex Prov. II, 3 et seqq. *Deus enim dat Sapientiam ex ore suo et sensum*

simul et prudentiam, et justis instar thesauri recondit auxilium, subdit: *Iis enim, qui a Philosophia fuere justificati, auxilium reconditur ea quoque consensio, quæ ducit ad pietatem in Deum. Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam; nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario præmittenda est ab iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt... Omnium enim honorum Deus est causa; sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti Veteris et Novi, aliorum autem per consequentiam, sicut philosophiæ... Nam ipsa quoque Græcos pædagogi more ducebat, sicut Lex Hebræos ad Christum.* Vid. textus Clementis, ad calcem voluminis. Neque ab hoc sensu abludit ipse Gerard. Joan. Vossius, *Hist. de controversiis Pelag.* Lugd. Batav. 1618, lib. III, pag. III, thes. XI. Ceterum idem Clemens, *Strom.* lib. II, vocat fidem *πράτην σωτηρίας εἴσοιν*, primam salutis inclinationem.

apostolicos homines prius in id incumbere debere, ut e sylvestribus efficiant homines, ut ita dicam, rationales, deinde vero efficiant Christianos per evangelicam prædicationem.

87. S. Ambrosius loquitur de merito per gratiam comparato, et quidem improprie sumpto. Absurdum enim est existimare, ethnicos præsertim, ex quibus pro majori numero coaluit Ecclesia, ex propria virtute sua quæsisisse ac desiderasse Verbum, quod ignorabant, ideoque meruisse Christum (1).

88. S. Optatus non disserit de perfectione, ideoque nec de voluntate in sensu Semipelagianorum, sed de ea perfectione, quæ nullum admittit peccatum, quam excepto Christo in terris nemo habuit, sed solum in coelis reservata Beatis est. Cum ergo dixit, hominis christiani esse bonum velle et illud operari, non de nudo arbitrio, sed de Christiano, qui jam instructus fide sit et Christi donis, intellexit (2).

89. Verba S. Hieronymi si attentius introspectantur, nullam præ se ferunt difficultatem; cum ipse non excludat a labore, diligentia ac industria nostra gratiæ subsidium, sed aperte in-

(1) Ibi S. Doctor, seu quivis sit auctor hujus apologiæ, exponit sensu mystico et allegorico lapsum Davidis, atque Ecclesiæ accomodat, quod de Bethsabæe legitur in Scriptura. Agnovisse autem auctorem hunc, Ecclesiam non sine gratiæ præsidio Christum meruisse, latiori scilicet sensu, patet ex verbis n. 46, ubi scribit: *Obliviscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam.*

(2) Id patet ex contextu; sic enim insurgit in Donatistas: *Et jam vos ipsi, qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis? quam Joannes Apostolus profiteri non audet, qui ait: Si dixerimus, etc. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reserva-*

vit. Deinde adjicit verba, quæ obijciuntur; tandem concludit: *Quia ipse solus (Deus) est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Ceteri omnes semiperfecti sumus.* Hinc admirationis causa est, quod Natalis Alex. scribere potuerit: *His verbis præformatus videtur Semipelagianorum error, vixque in bonum sensum flecti possunt* (Dissert. De necess. grat. art. II, quæst. 22, in secul. v). Idem fere judicium tulit Remig. Cellier, *Hist. des auteurs ecclésiastiques*, tom. VI, pag. 671, dum scripsit: *Il prétend contre la doctrine de saint Paul, que l'homme tombé non-seulement peut vouloir le bien de lui-même, mais aussi s'avancer dans le bien.* Ast talis non fuit mens S. Optati.

cludat, dicens: *Semper super omnia Dei clementia justitiam custodiri*; et clarius *Epist. CXXX*, ad Demetriadem: *Ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est*. Commendat itaque liberum arbitrium adjutum ac præventum a divina gratia in facilioribus, ut deinde per orationem uberio-rem gratiam ad difficiliora persequenda impetremus (1).

90. Ex his patet, longe Patres abfuisse a Semipelagianorum pravitate. Dum vero ipsi vetustate seu antiquorum Patrum auctoritate se tuebantur, decepti sunt ex nonnullis liberioribus formulis, quibus illi interdum usi erant, prout usu venit, nondum excitata quæstione, ac proinde nondum technologia constituta. Accedit, Patres antiquiores dimicare debuisse adversus oppositum errorem pro libertate, quam impugnabant Marcionitæ, Manichæi, aliique ejus temporis hæretici; nil mirum propterea, si locutiones minus accuratas interdum usurparant, quibus postea Semipelagiani abusi sunt. Hinc recte S. Augustinus ad expostulationem sibi a S. Prospero propositam respondit: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogenterent* (2). Sane ipsi cum universa Ecclesia orabant pro infidelium conversione, ac propterea hoc ipso fatebantur, fidem ac fidei initium dona Dei esse. Atque hac ratione exponi debent nonnulla S. Joan. Chrysostomi effata aliorumque, quæ difficultatem facessere videntur (3).

91. Etenim S. Joan. Chrysostomus, de cujus mente ob viri

(1) Cfr. Vallars. in not. (b) in hunc loc. ac rursus ibid. n. 10, not. (a). Adnotat porro editor, fuisse tunc temporis quoddam veluti proverbium: *Velle nostrum est*. Nempe eadem ferme ratione ac adagium illud apud nos obtinet: *Dio dice: ajutati, che io ti ajuto*; apud Gallos vero: *Aide-toi, le ciel t'aidera*. Quibus verbis non intendimus excludere divinum auxilium,

dum partes nostras implemus.

(2) Lib. *De prædest. Sanctorum*, cap. 14, n. 27.

(3) Cfr. Isaacus Habert, op. cit. lib. 1, cap. 2 et seqq. quoad Patres Græcos; quoad S. Hilarium, cujus duriuscula dicta objici solent, cfr. D. Constant. in præfatione ad opera hujus S. Patris, § 9, n. 259 et seqq.

auctoritatem præcipua quæstio agitur, et quem nonnulli non modo ex hæreticis (1), verum etiam ex Catholicis Semipelagianismi labe adpersum autumant, ea scribit, quæ omnem a se suspicionem repellunt. Sic enim loquitur : *Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes : non hoc vel illud, sed omnia quæ habes ; non enim hæc tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit* (2). Ad hæc igitur hisque similia non pauca (3) exigi debent, quæ duriuscula hinc illinc scripsit, ex. gr. cum de Abraham loquens : *Et vero, ait, istud ipsum, quod Patriarcha, qui ante gratiæ tempus et ante legem fuit, a se ipso, et scientia, quæ naturæ insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui : Vir ille multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus ejus singularem habuit curam ? Etiam id et ego*

(1) Calvinus, *Instit.* lib. II, cap. 2. Eandem calumniam, ut supra adnotavimus, ingeminat etiam Jansenius.

(2) *Hom.* XII, in I *Epist.* ad *Cor.* II, 1 et 2 : Οὐδὲν γὰρ οἰκοῦν ἤχεις, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβῶν..... οὐκοῦν λαβῶν ἔχεις, οὐχὶ τὸδε, καὶ τὸδε, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἔχεις. Οὐ γὰρ τὰ κατορθώματα ταῦτα, ἀλλὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος· καὶ τὴν πίστιν εἶπης, ἀπὸ τῆς κλήσεως γίγνεται. κ. τ. λ.

(3) Plura affert cit. Habert. loc. cit. ; inter cetera nobis videntur plane palmaria, quæ scribit S. Pater, *Hom.* IV in *cap.* I I *Epist.* ad *Ephes.* in illud : *Gratia salvati estis per fidem*, ubi hæc habet : *Ἴνα γὰρ μὴ τὸ μέγεθος τῶν εὐεργεσιῶν ἐπαρῆσιν, ἕρα πῶς σε καταστέλλει τῆς χαριτί· ἵστι σισωσμένοι, φησι, διὰ πίστεως. Εἶτα ἵνα μὴ πάλιν τὸ αὐτιξούσιον λυμῆνηται, ἔθηκε καὶ τὰ ἡμῶν· καὶ πάλιν αὐτὸ ἀνεῖλε, καὶ φησι· Καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ἡμῶν. Οὐδὲ ἡ πίστις, φησὶν, ἐξ*

ἡμῶν· εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν, εἰ γὰρ μὴ ἐκάλεισε, πῶς ἠδυνάμεθα πιστεῦσαι ;... Ὡστε οὐδὲ τὸ τῆς πίστεως ἡμίτερον. Θεοῦ, φησὶ, τὸ δῶρον· οὐκ ἐξ ἔργων.... Τοῦτο αὐτὸ Θεοῦ δῶρον ἵστιν, ἵνα μὴ τις καυχῆσεται, ἵνα εὐγνώμονας περὶ τὴν χάριν ποιῆσιν. Nam, ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide, quomodo te coercet et comprimit. Gratia enim, inquit, estis salvati per fidem. Deinde rursus, ne liberum perimeretur arbitrium, posuit etiam, quæ sunt nostra. Et rursus ipsum sustulit, et dicit : *Et hoc non ex nobis. Ne fides quidem, inquit, est ex nobis. Nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere ?.... Quare nec fidei donum est nostrum, sed Dei, non ex operibus ; non enim suffecisset, inquit, fides ad salutem.... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis gloriaretur, ut nos gratos efficiat circa gratiam. Alia recole loc. cit.*

*fateor. Verum nisi primus et ipse, quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset.... Vidistis, quomodo ab initio, quæ a se ipso erant, attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit?... Cum viderit (Deus) sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio suo nos adjuvat (1). Sic illa, quæ scribit in Epist. ad Hebr: *Nostrum quidem est, præeligere et velle, Dei autem est perficere... quando nos elegerimus tum multum nobis affert auxilium (2). Nec enim hæc aliaque ejusmodi dicta sunt ad exclusionem gratiæ prævenientis et excitantis, cujus necessitatem prædicavit, sed comparate ad uberiora auxilia, quæ Deus nobis cooperantibus cum primis illis gratiis adjicit. Præclare enim animadvertit Petavius, quod hæc uberiora auxilia veteres illi gratiæ nomine, nempe completæ ac plenæ, insignire consueverint: Non raro, inquit, veteres, cum de gratia loquuntur, plenam et perfectam intelligunt, non inchoatam, ac rudem, quæ prima nominatur, cujus plerumque mentionem non habent.... ut Theodoretus, Photius, Oecumenius, Theophylactus, atque ipse quoque Chrysostomus.... Non enim primum voluntatis motum et rationis in gratia numerant, veluti pia desideria, quibus ad plenioram quærendam (fidem), ac Dei notitiam, et amorem excitamur; quæ sunt excellentiora gratiæ**

(1) Καὶ αὐτὸ δε τοῦτο, τὸ τὸν πατριάρχην καὶ πρὸ τῆς χάριτος, καὶ πρὸ τοῦ νόμου γεγονότα, οἰκοῦεν καὶ ἀπὸ τῆς ἐν τῇ φύσει κειμένης γνώσεως εἰς τοσοῦτον μέτρον ἀρετῆς ἐλθεῖν, πάσης ἡμᾶς ἀπολογίας ἀποστερηθῆσαι δυνήσεται. Ἄλλ' ἴσως ἐροῦσί τινες, ὅτι πολλῆς ἀπέλαυσε τῆς κατὰ τοῦ Θεοῦ κηδεμονίας ὁ ἀνὴρ, καὶ πολλὴν ἐπεδείξατο τὴν περὶ αὐτὸν πρόνοιαν ὁ τῶν ὄλων Θεός. Καὶ, ὁμολογῶν ἄλλ' εἰ μὴ πρότερος τὰ παρ' ἑαυτοῦ καὶ αὐτὸς ἐπεδείξατο, οὐκ ἂν τῶν παρὰ τοῦ Δεσπότου ἀπήλαυσε... Εἶδες πῶς ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐκ προοικίαν τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσέφερε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ παρὰ τοῦ

Θεοῦ καθ' ἑκάστην ἐκαρπούτο μετὰ πολλῆς τῆς δαψιλείας;... Ὁ γὰρ τὰ ἀπόρρητα τῆς διανοίας ἡμῶν ἐπιστάμενος, ἐπειδὴν ἰδὼν ὑγιῆ γνώμην ἐπιδεικνυμένους, καὶ πρὸς τοὺς τῆς ἀρετῆς ἀγῶνας ἀποδύεσθαι ἐσπουδακότας, παραχρῆμα καὶ τὴν παρ' ἑαυτοῦ παρέχει βοήθειαν. *Hom. XLII in Genes. n. 1.*

(2) Ἡμῶν γὰρ τὸ προελίσθαι καὶ βουληθῆναι, Θεοῦ δὲ τὸ ἀνύσαι καὶ εἰς τέλος ἀγαγεῖν... et supra jam dixerat: Ὅταν δὲ ἡμεῖς ἐλώμεθα, τότε πολλὴν εἰσάγει τὴν βοήθειαν ἡμῖν. *Hom. XII in epist. ad Hebr. n. 3.*

munera, proindeque gratiæ nomen ac titulum præcipue merentur (1).

92. Obj. quarta. 1^o Deus hominem libero instruxit arbitrio, quod, etsi per peccatum inclinatum sit ac debilitatum, non est tamen extinctum; quorsum vero libertate Deus hominem distasset, si ista nequidem valeret ad sanitatem optandam, volendam, ac ad medicum et remedium efflagitandum? 2^o Ergo medici quidem est infirmum sanare, sed ægri est velle sanari. 3^o Hinc constanter hanc salutis œconomix ideam ingerunt Scripturæ, quod nempe Deus aliquid exigat a nobis, ut sua dona conferat: *Si credideris, salvus eris*; ex quo patet, alterum offerri a Deo, nempe æternam salutem, alterum exigi, quod in nostra potestate sit, nempe fidem. 4^o Profecto si ex eo, quod petimus, recte inferitur, illud in nostra potestate non esse, pariter ex incitamentis, exhortationibus, quibus provocamur ad petendum, ad volendum, ad nos ipsos convertendum, colligitur, in nostra potestate esse petere, velle et inchoare conversionem nostram; alioquin supervacaneæ forent omnes exhortationes. 5^o In Semipelagianorum demum hypothesi omnia facile declinantur absurda, quæ ex dogmate catholico dimanant; quare nempe fides ejusque initium donum Dei sit, et non omnibus concedatur, cum Deus tamen velit omnes homines salvos fieri; quare excusabiles non sint qui in infidelitate permanent; quare denique Deus censi nequeat personarum acceptor, dum aliis tribuit, quod aliis denegat. Ergo.

93. Resp. ad 1^m, *Dist.* Deus hominem libero instruxit arbitrio ad ea, quæ ordinis sunt naturalis, et quidem intra quosdam limites, *conc.*; ad ea quæ sunt ordinis supernaturalis, *subd.*

(1) *De Deo*, lib. ix, cap. 4, n. 8. Operæ pretium est perlegere tanti Scriptoris capp. 4 et 5, in quibus præclare ostendit, Græcos Patres, qui accusari solent Pelagianismi aut Semipelagianismi, immunes prorsus ab hac macula esse. Si ad ista principia attendisset Vasquez, non adeo facilem se præbuis-

set in reprobando, seu saltem deserendo S. Joan. Chrysostomo (*Disp. xci in 1 part. S. Thom. cap. viii*). Nec obest, quod Cassianus magistrum habuerit S. Joan. Chrysostomum; potuit enim a magistri instituto desciscere, aut prave ejus mentem assequi, quod non infrequenter fit.

ut libere gratiæ præveniendi consentiat, *conc.*; ut præveniat gratiam, *neg.* Hoc enim absurdum est, cum natura terminos suos minime transgredi possit; transgredederetur autem, si homo per liberi arbitrii vires posset se elevare ad gratiam sibi comparandam, ad credendum, aliaque præstanda, quæ ad ordinem supernaturalem spectant. Porro quæcumque demum liberi arbitrii vires sint, ut jam animadvertimus, ad ejusmodi ordinem supra naturam constitutum assurgere non valent. Necesse proinde est, ut gratia hominis, sive in statu naturæ integræ sive in statu naturæ lapsæ, præveniat quemcumque conatum, desiderium, petitionem, ut illuc pertingere possit.

94. Ad 2^m, *Dist.* In naturalibus, *trans.*; in supernaturalibus, *neg.* Majus enim aut minus robur, quo pollet homo, respicit tantum *substantiam* operis, non autem *modum*, ideoque quæcumque proferantur, ejusmodi argumenta erunt semper extra rem. Addo, et gratiæ munus esse, quod homo se ægrotum cognoscat et sentiat, ideoque et sanitatem optet ac velit, et medicum quærat, a quo sanetur.

95. Ad 3^m, *Dist.* Exigit Deus consensum nostrum et cooperationem ad primum, ut ita dicam, gratiæ aditum, per quem ad uberiora dona conferenda sibi viam parat, *conc.*; quin ipse nos prius excitet ac præveniat, *neg.* Hinc illud: *si credideris*, perinde valet ac si diceretur: si obtemperaveris et obsecutus fueris iis, quæ tibi invidi, fidei primordiis, ac deinceps si usque ad plenam et completam fidem perveneris, ac reliqua præstiteris, quæ fides ipsa exigit a cultoribus suis, salvus eris (1).

96. Ad 4^m, *Dist.* Sensu modo exposito, *conc.*; ad gratiæ prævenientis exclusionem, *neg.* Ingens porro inter est discrimen in eo, quod nos petimus, et in exhortationibus, quibus provocamur ad petendum, ad nos convertendum, etc. Nam, cum ex Scriptura, ut vidimus, nos nec cogitare, nec optare, nec velle, nec petere quidpiam ad salutem conferrens absque gratiæ munere possimus, exhortationes, quibus ad ea præstanda provocamur, supponunt solum, has primas gratias gratis omnino nobis con-

(1) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 4, n. 9.

cedi, ut deinceps dependenter a cooperatione nostra reliquæ conferantur majori vel minori copia pro majori aut minori fidelitate nostra ac sedulitate. Sane ipsi Semipelagiani has exhortationes supervacaneas minime esse putabant, quibus post acceptum fidei donum nos provocamur ad pia salutis opera perficienda, etsi tamen in ipsorum systemate ad hæc pia opera inchoanda ac perficienda, quæ fidem subsequuntur, necessariam gratiam esse ultro faterentur (1).

97. Ad 5^m, Negamus, ex doctrina catholica ea profluere absurda, quæ adversarii sibi fingunt. Etenim non profluit *primum*; quia, hoc ipso quod Deus velit omnes homines salvos fieri, omnibus prorsus hominibus, ut inferius ostendemus, subsidia necessaria largitur, quibus si bene homines utantur, poterunt ad fidem pervenire; si iisdem obluctentur ac obstant, sibi tantum tribuere debent, non autem Deo, si ad eam non pertingant. Nempe eadem ratione ac sibi, non Deo, imputare fideles debent, si opera pia, quæ fidem consequuntur, præstare negligunt, etsi ad hæc, fatentibus Semipelagianis, necessaria sit gratia, quæ omnibus præsto est, urgente præsertim præcepto.

98. Non profluit *alterum* absurdum; quia, si, ut diximus, Deus omnibus gratiam confert, qua rite homines utentes ad fidem pervenire possunt, jam abunde liquet, inexcusabiles esse infideles, ut vocant, positivos, hoc ipso quod fidei gratiam immediate sibi oblatam repulerint; inexcusabiles etiam esse infideles negativos, non ob fidei defectum, sed quia primis gratiis sibi collatis obstiterunt, quibus si cooperati fuissent, et ipsi ad fidem pervenissent. Infideles propterea negativi damnantur ob peccata actualia, quibus se commacularunt, aut saltem ab æterna salute excluduntur ob peccatum originale, quod contraxerunt.

99. Non profluit denique *tertium* absurdum de personarum acceptione apud Deum; quia acceptio personarum aut supponit jus aliquod in eo, qui in collatione donorum negligitur, aut respectum personalem, qui datorem moveat ad illud conferendum;

(1) Cfr. Tricassinus, *De indifferenti* § 3 et seqq.
lapsi hominis arbitrio, part. I, sect. I,

neutrum vero in Deum cadere potest. Præterea, hoc ipso quod Deus omnibus gratiam conferat, sequitur, non ex Deo esse, quominus homines ulteriora auxilia non accipiant, ac ideo fidem non consequantur (1).

ARTICULUS III.

De erroribus Novatorum sæculi XVI et Jansenistarum, circa gratiæ necessitatem.

100. Novarum doctrinarum repertoires sæculi XVIⁱ seu, uti eos jam vocant Protestantes, *emendatores Sacrorum*, ex contraria, quam sibi straverunt, via circa statum hominis primordialis, in errores prolapsi sunt plane contrarios iis, quos Pelagiani ac Semipelagiani sunt professi circa gratiæ necessitatem. Nam, cum novatores isti autumaverint, justitiam originalem cum donis seu privilegiis adnexis partem essentialem constituisse humanæ naturæ eidemque connaturalem esse, collegerunt, hominem lapsum per peccatum amisisse *imaginem Dei* (2), mortuum ad quod-

(1) Præclare S. Joan. Chrysostomus, *Hom 1 in epist. ad Ephes.* explanans illa verba Apostoli: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*, etc. hæc habet: Οὐ γὰρ ἀπὸ πέναν οὐδὲ κατορθωμάτων τοῦτο γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ ἀγάπης, οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς. Εἰ γὰρ δὴ ἀπὸ ἀγάπης μόνης, ἐχρῆν ἅπαντας σωθῆναι· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς πάλιν μόνης, περιττὴ ἡ παρουσία αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ οἰκονομηθέντα. Ἄλλ' οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνης, οὔτε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς, ἀλλ' ἐξ ἀμφοτέρων. *Non enim nostris ex laboribus vel recte factis hoc suppetit, sed ex charitate, nec ex charitate solum, sed etiam ex virtute nostra. Nam, si id e sola charitate penderet, salvari omnes oporteret. Sin autem sola ex virtute nostra,*

et quæcumque sunt ab eo administrata. Verum neque sola ex charitate neque sola ex virtute nostra illud accidit, sed ex utroque. Hanc autem virtutem ex Dei munere et gratia esse juxta S. Doctorem, patet ex iis, quæ paulo post ibid. subdit: Τὸ γὰρ ἐναρέτους γενέσθαι καὶ πιστεῦσαι καὶ προσελθεῖν, καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἦν τοῦ καλέσαντος, πλὴν ἀλλὰ καὶ ἡμῖτερον. *Etenim virtute esse præditos et fide, atque ad Deum accedere, fuit id quidem vocantis ipsius beneficium; sed nihilominus et nostri aliquid fuit.* Ex quibus magis magisque apertum fit, Chrysostomum illam ipsam affectionem animi nostri, causamque prædestinationis ad gratiam, in nobis ipsis non oriri sine Dei auxilio putasse.

(2) Sic enim legitur in *Solid. declar. 1, De peccato origin. § 9,*

cumque bonum naturale seu morale esse, neque aliam retinuisse aptitudinem nisi ad peccandum (1). Hominem nondum *renatum* in omnibus operibus suis peccare, nihil ab eo prodire, quod damnabile non sit, ideoque omnia infidelium opera totidem peccata esse, ac philosophorum virtutes totidem vitia (2).

101. Bajus et Jansenistæ, cum Novatorum principium amplexi sint circa statum primi parentis, statuentes, debitam homini esse justitiam originalem, ac partem saltem integram constituisse illius naturæ, eo adducti sunt, ut eorundem novatorum errores debuerint profiteri circa statum hominis lapsi. Ac 1^o pro certo habent, hominem lapsum sine gratiæ subsidio nullum omnino morale bonum efficere posse, nullam vel levem tentationem superare. 2^o Statuunt fidem formalem, ut vocant, primam gratiam esse, quam Deus homini conferat, nec ullam prorsus ante fidem a Deo homini tribui. 3^o Inde inferunt, omnia infidelium opera, quæ in hoc systemate sine gratia fiunt, totidem esse peccata ac vitia proprie dicta, quæ æternam damnationem merentur. 4^o Constituunt, fidem illam, quæ in ipsorum hypothesis prima gratia est, inseparabilem esse a charitate seu justificatione, ac propterea homines non justificados peccare in omnibus operibus suis; unde concludunt, desideria, conatus, orationes ipsas, quibus peccatores nituntur justificationem adipisci aut re-

pag. 64: *Docetur, quod peccatum originis sit horribilis defectus concretae in paradiso justitiæ originalis et amissio seu privatio imaginis Dei.*

(1) Ibid. § 31, pag. 616 et 617: *Repudiantur, qui docent, hominem ex prima sua origine adhuc aliquid boni, QUANTULUMCUMQUE etiam et quam exiguum atque tenue id sit, reliquum habere, CAPACITATEM videlicet et AP- TITUDINEM et vires aliquas in rebus spiritualibus.* Reliqua documenta cfr. apud Cl. Moehler, *La Symbolique*, trad. de l'alle. Besançon, 1836, p. 52 et seqq. et p. 80 edit. Bruxel. 1838.

(2) Sic Melancton. *Loc. theol.* pag. 22: *Esto, fuerit quædam in Socrate constantia, in Xenocrate castitas, in Zenone temperantia... non debent pro veris virtutibus, sed pro vitiis haberi... Negant tamen (Pelagiani, id est, Catholici) eam esse vim peccati originalis, ut OMNIA hominum opera, OMNES hominum CONATUS sint peccata.* Calvinus, *Institut.* lib. II, ita inscribit caput 3: *Ex corrupta hominis natura nihil nisi damnabile prodire.* Cfr. Moehler, ibid. pag. 73 seqq.

cuperare per sinceram conversionem ; totidem lethalia peccata esse, et eo deteriores peccatores fieri, quo majores et frequentiores sunt ipsorum conatus ad Deum redeundi (1).

102. Doctrina catholica, quæ inter duo hæc, tum Pelagianorum et Semipelagianorum tum Novatorum ac Jansenistarum, extrema medium iter tenet, ex principio de elevatione gratuita ac superaddita humanæ naturæ ad statum originalis justitiæ infert, post peccatum originale naturam humanam in suis essentialibus integram permansisse; detritam quidem fuisse imaginem Dei in homine per amissionem superadditi integritatis doni, non autem omnino deletam; sauciatam naturam, non autem extinctam in suis essentialibus facultatibus. Unde sequitur juxta doctrinam catholicam in ordine morali, 1º hominem lapsum posse sine gratia aliquas ordinis naturalis veritates cognoscere, et opera saltem faciliora naturalis honestatis peragere, levesque superare tentationes, ac propterea non omnia infidelium opera totidem esse peccata. 2º Ante collationem fidei concedi seu tribui a Deo gratias necessarias, quibus instructus homo lapsus possit difficiliora opera moralis ordinis efficere, et graves vincere tentationes. 3º Fidem posse subsistere sine charitate, ac propterea peccatorem fidelem per gratias; quæ ipsi a Deo tribuuntur, posse se disponere ad justificationem recuperandam. 4º Quamvis autem opera, quæ fidem seu fidei vocationem præcedunt, sint tantum ordinis naturalis (etsi non absque aliquo gratiæ auxilio patrata), ideoque sterilia in ordine ad salutem, non tamen peccata esse. 5º Multo minus peccatis esse accensenda opera supernaturalia, id est, quæ fidem subsequuntur et gratiæ ope sunt parta a peccatore, quamvis nondum sint meritoria in ordine ad vitam æternam, utpote patrata ante justificationem.

103. Talia sunt catholicæ doctrinæ capita, quæ adversus Novatores et Jansenistas vindicanda a nobis sunt circa gratiæ necessitatem. Quod quidem præstare sequentibus propositionibus aggredimur.

(1) Hæc constabunt ex iis, quæ inferius proferemus.

PROPOSITIO.

Potest homo lapsus absque speciali gratiæ auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, ac leves tentationes superare.

104. Spectat hæc propositio ad doctrinam catholicam, ut patet ex thesi in Bajo damnata, n. XXVII: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet*; cujus contradictoria est: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei ad aliquid præter quam ad peccandum valet*, id est, valet ad aliquod efficiendum opus, quod peccatum non sit; jam vero non potest liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio, prout ostendimus, difficiliora opera moralis ordinis efficere, neque graves superare tentationes; ergo saltem ad faciliora molienda, levioresque repellendas tentationes homo lapsus libero voluntatis arbitrio absque speciali subsidio valeat necesse est. Huc pariter referuntur propositiones in Quesnello proscriptæ (1). Opus autem bonum et honestum illud vocamus, quod tale est ex officio et fine saltem proximo.

105. His porro facilioribus operibus, quæ cum libero voluntatis arbitrio sine peculiari superveniente auxilio hominem lapsum patrare posse contendimus, accensemus etiam amorem Dei ut auctoris naturæ, seu in ordine naturali, imperfectum et inchoatum, illum scilicet amorem, quo homo nondum diligit Deum

(1) XXXVIII: *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris*; XXXIX: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnium mali, est incapax ad omne bonum*; XL: *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*, etc. Quarum omnium propositionum unus est sensus, nempe sine

gratia hominem nullum omnino bonum etiam ordinis naturalis efficere posse, ac propterea nihil sine gratia in homine esse, quod peccatum non sit. Hæc autem propositiones proscriptæ sunt a Clem. XI, anno 1713, in Constitutione dogmatica, *Unigenitus*. Cfr. eadem propp. cum animadversionibus et adnotationibus P. Faure in *Appendice monumentorum Ecclesiasticorum ad Manuale controversiarum* Becani, Colon. 1750, pag. 69 et seqq.

super omnia , non quasi ei aliquid positive præferat , in quo vitium intercederet , sed *negative*, quatenus ab omni comparatione præscindit.

106. Jam vero sic per partes assertæ propositionis veritatem ostendimus. 1^o Posse hominem lapsum veritates aliquas naturalis ordinis cognoscere , constat ex omnibus illis Scripturæ locis , in quibus cognitio Dei ac legis naturalis , quoad generaliora principia , homini tribuitur , ac ita tribuitur , ut eas cognitiones aut ex inspectione creaturarum hauriat , aut quodammodo in corde insculptas gerat. Ejusmodi porro sunt prope innumera ; sic , Sap. XIII , 5 , dicitur : *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Rom. I , 18 : *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum , qui veritatem Dei in injustitia detinent ; quia quod notum est Dei , manifestum est in illis ; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius , a creatura mundi , per ea quæ facta sunt , intellecta conspiciuntur , sempiterna quoque ejus virtus et divinitas , ita ut sint inexcusabiles.* De lege autem naturali loquens idem Apostolus , ait , ibid. II , 14 : *Ejusmodi legem (scriptam) non habentes , ipsi sibi sunt lex , qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Nec Patres ab his dissentiunt. Unus audiatur Augustinus , qui inter cetera hæc habet : *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri , ne feceris alteri. Hoc et ante quam lex daretur , nemo ignorare permissus est , ut esset , unde judicarentur , et quibus lex non esset data* (1).

107. 2^o Posse item perficere hominem lapsum opera faciliora ex propriis viribus , pariter Scripturæ testantur. Etenim Apostolus arguit philosophos , qui , cum cognovissent Deum , *non sicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt* (2). Ergo supponit , hos sapientes eadem ratione , qua naturali lumine Dei existentiam agnoverunt , potuisse illum naturalibus viribus ut auctorem na-

(1) *Enarrat. in Ps. LVII , n. 1. De gratia , et lib. arbit. lib. v , cap. 9.*
Reliqua testimonia cfr. apud Bellarm. (2) Rom. 1 , 21.

turæ glorificare, tribuere nempe eidem gloriam tanquam rerum omnium principio, eum saltem imperfecte amare ut auctorem omnium bonorum, cum amor præcipua ratio sit Deum glorificandi (1). Rursum idem Apostolus disserens de lege naturali scripta in cordibus nostris, ait: *Gentes, quæ legem (Mosaicam) non habent.... naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. Etsi vero fateamur, ut superius animadvertimus, ibi vocem *naturaliter* non per oppositionem ad gratiam usurpari ab Apostolo, sed ad legem scriptam; attamen, ubi non agitur de difficilioribus præceptis, aut ubi gravi tentatione homo non urgetur, in quibus gratia necessaria est, patet, hominem naturæ viribus eam servare posse, saltem ad breve tempus, et in peculiaribus nonnullis actionibus, ex ipso systemate adversariorum, qui negant Deum gratiam aliquam largiri homini lapsa ante fidem supernaturalem et theologiam. Etenim ethnici illi, de quibus loquitur Apostolus, juxta adversarios nec fidem habuerunt nec gratiam; atqui tamen quæ legis sunt *naturaliter faciunt*, teste eodem Apostolo; ergo ethnici naturæ viribus legem servabant; non servabant autem quoad præcepta difficiliora absque gratia, ut ostendimus; ergo saltem faciliora legis præcepta absque gratia adimplebant. Placet id ipsum confirmare auctoritate S. Augustini, qui explanans hæc Apostoli verba: *Habentes opus legis scriptum in cordibus*, ait: *Id est, non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam et ipsi homines erant,*

(1) Hinc S. Augustinus, *Epist. CLXVII*: *Quid est pietas, nisi Dei cultus? et unde ille colitur, nisi charitate?* Quare vel ipse Estius, in II *Sent. dist. XXVI*, § 28: *Apostolus, inquit, eo loco non negat, illos, qui sic Deum cognoverunt, dilexisse Deum; sed negat, sicut Deum glorificasse, et gratias egisse, sine quibus duobus stare potest aliqua dilectio. Quod autem talis dilectio non sit ex gratia Dei per Christum, sic probatur; non enim habet ordinem ad beatitudinem supernaturalem, nec*

ad spem vitæ æternæ. Admitto quidem hujus Theologi sententiam; ast mihi non probatur ratio, quam adducit, ut ostendat philosophos illos sine gratia Dei per Christum potuisse habere Dei dilectionem. Quasi nempe in censu gratiarum referri non debeant auxilia illa medicinalia, quæ a Deo, et quidem per Christum, conferuntur ad sanandam infirmitatem naturæ. Hoc enim falsum est. Cfr. tamen ejusdem *Comment. in Epist. ad Rom.* in hunc loc.

et vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit (1).

108. 3^o Demum, quod proposuimus de victoria levium temptationum in ordine ad bonum morale solis naturæ viribus, sequitur ex dictis. Nam, si potest homo lapsus vi sua morales veritates aliquas cognoscere, si valet præterea faciliora legis implere, quidni poterit leves etiam tentationes propulsare ac vincere, quæ eidem bono honestoque adversantur? Huc spectat propositio XXIX. Baji, quæ a Summis Pontificibus notata est: *Non soli fures iis sunt et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est, aliquam justitiam) conscendi posse docent, AUT TENTATIONI ULLI sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur* (2).

(1) Lib. *De spiritu et littera*, cap. 28, n. 48.

(2) Ex hujus propositionis censura colligitur, perperam Vasquezium docuisse, in 1^m 2^m S. Thom., disp. cxc, hominem sine supernaturali gratiæ auxilio nullum posse morale opus perficere, nullamque vel levem superare tentationem. Vellet quidem ipse se a censura liberare in Baji propositionem prolata, tum quia, inquit, tam hæc quam multæ aliæ Baji propositiones ob acre iudicium, quo Doctor ille aliorum propositiones criminabatur, damnatæ sunt; tum quia se alio sensu suam sententiam profitetur adstruere ab eo, quem tenuit Bajus. Verum, ut animadvertit Suarez, *Proleg. vi, De scriptis probatam de gratia doctrinam continentibus*, cap. 2, n. 12: *Pontifices aperte et sine ulla distinctione declarant, illas sententias IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO tali censura dignas esse. Quæ verba, si*

attente spectentur, duo continent; unum est, assertiones illas in proprio verborum sensu esse tali censura dignas; aliud est, illum sensum fuisse ab assertoribus intentum... Quoniam alias unicuique liberum erit, proprium sensum, tanquam ab auctore intentum, illis verbis assignere, et illi accommodare iudicium Pontificis, ut propriam opinionem verbis magis consentaneam ab illa censura liberet; et declaratio illa Pontificis inutilis fiet, quia non ad certam doctrinam confirmandam, sed ad excitandas verborum contentiones deserviet. Sed cfr. ipse Suarez, tum hic, tum *De gratia*, lib. 1, cap. 6, cap. 23, et cap. 29. In quo postremo capite etiam refellit Bellarmini sententiam, qui adstruit, hominem non posse sine peculiari auxilio Deum diligere, neque perfecte neque imperfecte, nec ut auctorem naturæ nec ut auctorem gratiæ.

109. Ratio vero, qua triplex evertitur error, quem hic impugnavimus, petitur ex falsitate fundamenti, ex quo profluit adversariorum systema; ideo enim adversarii negant, quidpiam veri aut boni in ordine naturali ac moralis honestatis posse cognosci ab homine lapso, aut perfici solis naturæ viribus, quia originalem justitiam cum privilegiis, quæ ipsam comitabantur, debitam fuisse humanæ naturæ ac ejus partem constituisse autumant. Hac per peccatum amissa, consequens esse contendunt, amissam pariter esse ac prorsus deletam imaginem Dei, nec propterea quidpiam aut cognoscere aut velle aut moliri hominem posse, absque superveniente gratiæ subsidio, etiam in ordine morali. Hoc autem principium falsum est, ut suo loco ostendimus (1). Ergo falsæ etiam sunt doctrinæ, quæ illinc deducuntur. Hinc præclare S. Augustinus: *Quia, inquit, non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere* (2). S. Augustino consentiens S. Thomas, scribit: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ* (3).

(1) Cfr. Tract. *De Deo creat.* n. 550 et seqq.

(2) Lib. cit. *De spiritu et litt.* cap. 28, n. 48, ubi notandum est, adducere S. Doctorem in confirmationem hujus doctrinæ verba Apostoli: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Unde

patet, a S. Augustini doctrina recessisse Bajum, qui in prop. xxiii^a asserit: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 1: Gentes, quæ legem, etc. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

(3) 1^a 2^æ, q. 109, a. 2.

DIFFICULTATES.

110. Obj. prima. 1^o Scripturæ Patres, et Concilia omnia, adversus Pelagianos ac Semipelagianos celebrata, omnia bona opera nostra divinæ gratiæ referunt accepta. 2^o Sane opus moraliter honestum vel per legem fit vel per gratiam; porro per legem fieri nequit, teste Apostolo, Rom. IV, 15: *Lex enim, ait ipse enim, iram operatur*; et, cap. V, 20: *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. 3^o Hinc optime S. Augustinus: *Agnoscamus, inquit, gratiam, quæ facit prodesse doctrinam; quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam* (1); quod quidem iterum atque iterum inculcat adversus Pelagianos. 4^o Nisi propterea admittatur gratiæ necessitas ad quodvis opus honestum perficiendum, frustra S. Doctor pugnasset adversus eos hæreticos, frustra sæpe adeo clamasset in istorum hypothesi evacuatam esse crucem Christi, frustra Christum nobis gratiam promeruisse. 5^o Cohærenter ad hæc inconcussa S. Augustini principia Concilium Araus. II: *Multa, ait, facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; NULLA vero facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo* (2); et clarius etiam: *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via* (3). Ergo.

111. Resp. ad 1^m, *Dist.* Bona supernaturalia, *conc.*; naturalia, *subd.* ardua ac difficilia, aut gravi urgente tentatione, *conc.*; omnia prorsus, *neg.* Sic innumeris prope testimoniis, quæ in medium ab adversariis adduci solent, occurrendum est, nec est cur singula inutili labore discutiamus.

112. Ad 2^m, *Dist.* Si sermo sit de difficiliore opere aut gravi pulsante tentatione, fit per gratiam, *conc.*; si de faciliore, ac ubi nulla obsistit gravis tentatio, *neg.* Ad probat. vero, sive ad objecta Apostoli testimonia, *Dist.* *Lex iram operatur, aut subintravit lex, ut abundaret delictum*, per accidens et ex causis ex-

(1) *Epist.* cccvii, ad Vital. cap. 4,
n. 12.

(2) Can. xx, loc. cit.

(3) Can. xxii.

trinsecis, *conc.*; per se, *neg.* Lex enim data est ad coercendum delictum; sed inde homo occasionem nactus est gravius delinquendi ex malitia aut infirmitate legem transgrediendo, sive cum gratia in difficilioribus præceptis, sive sine gratia in facilibus, atque ita Dei in se iram provocavit. Si quid enim evincunt hæc aliaque his similia loca, ostendunt, legem per se gratiam minime conferre, hominemque se reum constituisse in transgressione legis tam cum gratia quam sine gratia (1).

113. Ad 3^m, *Dist.* Ita ut ex mente S. Doctoris disputantis adversus Pelagianos homo sine gratia medicinali non possit universam legem implere, *conc.*; ita ut faciliora saltem legis præcepta servare nequeat absque gratia Salvatoris, *neg.* Nec aliud demonstrant citata verba aliaque his affinia, quæ semper legem universam complectuntur, nec attingunt causam quam tuemur (2).

114. Ad 4^m, *Neg.* Siquidem duo profitebatur Pelagius, quæ longe distant ab assertionem nostram, tum scilicet hominem posse per solas naturæ vires universam legem implere, omnes superare tentationes, omniaque peccata vitare; tum hæc opera moraliter honesta meritoria esse gratiæ et vitæ æternæ (3). In hac hæretica hypothesis utique Christi crux evacuaretur, ac frustra gratiam Christus nobis promerisset.

115. Ad 5^m, *Dist.* In ordine supernaturali, *conc.*; in ordine moralis honestatis, et in iis quæ faciliora sunt, *neg.* Non aliam mentem fuisse Concilii Arausici, constat ex ejus scopo, qui fuit damnare Semipelagianorum doctrinam, qui a propriis viribus repetebant fidei initium, ac propterea sibi arrogabant initium salutis.

116. Obj. secunda. 1^o Sine gratia homo lapsus adeo infirmus est, ut nequeat concupiscentiæ aut tentationi resistere, nullumque valeat declinare peccatum nisi per aliud peccatum. 2^o Quod ex ipsa rei natura patet; homo enim sine gratiæ auxilio non agit nisi ex timore pœnæ et non ex amore justitiæ, ex cu-

(1) Cfr. Bellarm. *De grat. et lib. arb.* lib. v, cap. 9 et seqq. Suarez, *De grat.* lib. 1, cap. 19.

(2) Cfr. auctores citati.

(3) Cfr. Suarez, *Proleg.*, cap. vi, 7 et 8.

piditate et non ex charitate; jam vero, qui sic agit, peccat, ut passim docet S. Augustinus: *Sub lege est, inquit, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim mala voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat* (1); et alibi: *Regnat enim, ait, carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas* (2). Qui præterea 3^o nullam aliam agnoscit in homine bonam voluntatem nisi charitatem: *Quasi vero, dicens, aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam, ut filii ejus essemus* (3). Ergo.

117. Resp. ad 1^m, *Dist.* Si vehementior sit concupiscentia aut tentatio, *conc.*; si levior, *neg.* Sic etiam: peccatum declinare non valet homo infirmus nisi per aliud peccatum, *Dist.* ut plurimum, *trans.*; semper, *neg.* Hoc enim absonum est. Adde, non semper requiri, ut homo distinctum bonum opus agat, ad declinandum peccatum, nec semper superandam ei esse concupiscentiam et tentationem, ad quodvis opus bonum explendum, ut cum honorat parentes, et similia efficit.

118. Ad 2^m, *Neg.* Ad probat. pariter *neg.* hominem non agere nisi ex timore pœnæ aut ex cupiditate; cum enim ipse flectitur miseratione, et operit nudum, aut fovet ægrotum, aliaque ejusmodi peragit, quinam timor aut cupiditatis motus in his invenitur?

119. Ad primum autem Augustini textum, *Dist.* Et loquitur S. Doctor de timore, ut vocant, servili serviliter, *conc.*; loquitur de timore simpliciter servili, *neg.* ut patet ex ipsis ejus verbis. Sed de hoc timore alibi erit sermo.

120. Ad alterum vero textum, *Dist.* Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas habitualis, quæ tamen non semper vim suam exerat in actus singulos, *conc.*; quæ jugiter in actus

(1) Lib. *De nat. et grat.* cap. 57,
n. 67.

(3) *De grat. Christi*, cap. 21,
n. 22.

(2) *Enchir.* cap. 117.

singulos influat, *neg.* Sæpe enim, ut vidimus, homo non agit ex carnali cupiditate, etsi gratia non sit instructus. Quare opposita doctrina proscripta est in Bajo et Quesnello (1).

121. Ad 3^m, *Dist.* Cum agit de bona voluntate, quæ requiritur ad opus supernaturale et meritorium adversus Pelagianos, *conc.*; cum agit de bona voluntate, quæ requiritur ad bonum naturaliter honestum, *subdist.* Non aliam agnoscit bonam voluntatem quam charitatem naturalem et improprie dictam, *conc.*; charitatem theologicam et proprie dictam, *neg.* Etenim S. Augustinus duplicem agnovit et admisit charitatem *divinam et humanam*, seu theologicam et naturalem, et hanc declarat quandoque licitam quandoque vero illicitam; illius autem textus inferius afferemus. Quo posito, cum in adducto testimonio bonam voluntatem vocat charitatem, loquitur, ut ex ejus verbis liquet, de charitate theologica adversus Pelagianos, aliam non excludens (2).

122. Obj. tertia. 1^o Ex doctrina S. Augustini omnis amor rei creatæ vitiosus est, nisi amoris Dei subordinetur. 2^o Hinc, cum omnes hominum actiones vel ex amore Dei prodeant vel ex

(1) Propositiones Baji, quæ huc referuntur, sunt: xxviii^a, *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* xl^a, *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Propositiones vero Quesnelli sunt: xliv^a, *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.* xlv^a, *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo regnet cu-*

piditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

(2) Huc pariter spectant propositiones Baji et Quesnelli a Rom. Pontificibus proscriptæ, Baji quidem xxxiv^a: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum Sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.* Quesnelli xli^a: *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.*

amore mundi, cumque nulla ex amore Dei actio elici possit absque gratia, sequitur, omnem actionem, absque gratiæ subsidio elicitam, malam ac vitiosam esse. 3^o Quod quidem ex alio S. Augustini principio confirmatur, quo adstruit, absque gratia veram inesse in homine lapsa necessitatem peccandi: *Multum erras*, ut loquitur contra Julianum, *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est* (1); quod et sæpius repetit, sive cum 4^o tradit, nullam sine gratia esse in homine lapsa libertatem ad bonum (2), sive cum 5^o docet adversus eundem Julianum, nullum opus bonum sterile esse, ut ille contendebat, sed quodlibet bonum opus promereri vitam æternam; unde manifestum fit, nullum opus bonum sine gratia juxta S. Augustinum fieri posse; alioquin per opus moraliter honestum homines promererentur vitam æternam, secus ac fides doceat. Ergo.

123. Resp. ad 1^m, *Dist.* Nisi amoris Dei subordinetur vel naturali vel supernaturali, *conc.*; supernaturali tantum, *neg.* Si autem actio bona sit ex officio et fine proximo, ut jam diximus, hoc ipso subordinata est amoris Dei naturali. Ad hoc autem, si sermo sit de opere facili, non requiritur speciale gratiæ auxilium.

124. Ad 2^m, Responsio patet ex modo dictis; elici enim potest actio moralis ex amore Dei naturali. Sed falsum præterea est, quod assumunt adversarii, omnem actionem, quæ fiat ex amore mundi seu creaturæ, esse vitiosam; etenim tunc solum vitiosa esset, cum eliceretur ex amore creaturæ inordinato; quo sensu affirmat S. Augustinus, vitiosam esse actionem ex amore mundi aut creaturæ profectam, qua ex. gr. ita homo in ipsa creatura hæreat atque consistat ut in fine ultimo, aut creaturam præferat creatori, etc., non autem si quis ex. gr. diligat parentes ex amore naturali ac ordinato.

(1) *Op. imperf.* lib. 1, cap. 105.

(2) Præsertim lib. 1, *Ad Bonif.* cap. 3, n. 3, ubi sic loquitur: *Nec*

potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est, gratia per J. C. D. N.

125. Ad 3^m, *Dist.* Adstruit S. Augustinus esse in homine lapso absque gratia necessitatem peccandi vagam, generalem et respectu totius legis, et quidem moralem, *conc.*; necessitatem proprie dictam in singulis actionibus, *neg.* Quod patet ex ejus scopo in controversia cum Pelagianis, contendentibus, posse hominem in præsentī statu universam legem propriis viribus adimplere, ac omnia collective vitare peccata.

126. Ad 4^m, *Dist.* Nullam esse absque gratia libertatem ad bonum supernaturale, *conc.*; ad bonum naturale, *subd.* Ad arduum ac difficile expeditam libertatem non habet, *conc.*; ad facile, *neg.* Responsio patet ex dictis.

127. Ad 5^m, *Dist.* Contendit S. Doctor, nullum esse opus moralis honestatis sterile in hypothesi pelagiana, quæ nullam agnoscebat distinctionem inter ordinem naturalem ac supernaturalem, *conc.*; in sententia catholica, *neg.* Hinc arguebat S. Augustinus ex adversariorum principiis, qui, cum nullam admitterent elevationem ad ordinem supernaturalem, contendebant tamen, opus bonum intra limites moralis honestatis sterile esse posse ad vitam æternam (1); quod profecto absurdum erat et contradictorium.

128. Obj. quarta. Saltem nequit haberi absque Dei gratia aliquis Dei amor. 1^o Scripturæ enim nullum alium amorem Dei agnoscunt præter supernaturalem, nempe charitatis, quæ, I Joan. IV, 7, *ex Deo* esse dicitur, et per Spiritum Sanctum *diffusa in cordibus nostris*, Rom. V, 5, atque interfructus Spiritus numeratur, Gal. V, 22. Quare 2^o S. Augustinus a nobis amorem Dei naturalem excludit in celebri illa sententia: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (2); et Concilium Arausicanum: *Prorsus donum Dei est*,

(1) Tricassinus, qui alias strenue adversus Calvinum et Jansenium germanam tuetur S. Augustini doctrinam, in op. *De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data*, contendit, part. II, sect. 2, § 5 et seqq. S. Augustinum nullas unquam agnovisse actiones ex omni parte bonas in

infidelibus, qui saltem veri Dei cognitionem non habuerunt, quæ proinde actiones steriles essent in ordine ad vitam æternam. Quid de hac sententia censendum sit, paulo infra significabimus.

(2) *Epist. cxvii, ad Vital.* cap. 4, n. 12.

inquit, *diligere Deum* (1). Ergo si *prorsus*, profecto nullus amor ejusmodi est, qui non sit Dei donum. 3^o Quod vel ex ipsa rei natura patet; nec enim duplex fides datur, altera naturalis, supernaturalis altera; ergo nec duplex Dei amor. 4^o Si enim daretur amor Dei naturalis, reperiri posset in homine infideli et peccatore; quod fieri nequit, alioquin Dei amici essent. 5^o Hinc vel ipse Bellarminus nullum agnoscit Dei amorem, sive perfectum, sive imperfectum aut inchoatum, qui non sit ex gratia Dei. Ergo.

129. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m prob. *Neg.* Ex Apostolo enim vidimus, supponi amorem Dei naturalem in illis, *qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; allati autem textus non loquuntur nisi de charitate supernaturali, quæ utique ex gratia est.

130. Ad 2^m, *Dist.* Ad diligendum Deum amore supernaturali, *conc.*; naturali, *subd.* amore perfecto, seu super omnia, *conc.*; imperfecto et inchoato, *neg.* Atque hac eadem ratione exponendus est sensus Concilii Arausicani, quod loquitur de amore supernaturali et salutari adversus Semipelagianos.

131. Ad 3^m, *Dist.* Fides theologica et salutaris, *conc.*; humana ac sterilis ad salutem, *neg.* Idem dicatur de duplici Dei amore.

132. Ad 4^m, *Neg. sequelam*; cum ex imperfecto Dei amore ac naturali nemo possit constitui Dei amicus; vel *Dist.* Amici Dei essent respectu operis, quod Deo non displicet, *conc.*; ratione sui, *neg.*

133. Ad 5^m, *Dist.* Ita ut dissentiat potius verbis quam sententia a communi doctrina, *conc.*; secus, *neg.* Nam Bellarminus ipse fatetur, homini inesse quamdam naturalem in Deum propensionem; opera moraliter bona, quæ faciliora sint, sine gratiæ speciali subsidio fieri posse; quæ tamen bona esse nequeunt sine virtuali saltem fine ad Deum. Ceterum argumenta, quæ ipse profert ad sententiam suam tuendam, ut animadvertit Suarez, non efficiunt, nisi Dei amorem supernaturalem, in quovis

(1) Can. xxv; cfr. Suarez, lib. i, *De necess. grat.* cap. 29, n. 13 et seqq.

gradu demum sit, ex gratiæ munere provenire (1); præterea scripsit ante exortam hæresim Jansenianam.

134. Obj. quinta. 1^o At omnis tentationum victoria a Scriptura, Conciliis et Patribus gratiæ tribuitur. 2^o Nos indiscriminatim Deum oramus, *ne nos inducat in tentationem*; ergo etiam ad leves superandas tentationes ope divini gratiæ indigemus; 3^o alioquin gloriam victoriæ nobis adscribere possemus, quod nequit admitti. Ergo.

135. Resp. ad 1^m, *Dist.* Victoria salutaris, *conc.*; naturalis, *subd.* si gravior sit tentatio, *conc.*; si levior sit, *neg.* prout toties exposuimus.

136. Ad 2^m, *Dist. cons.* Ope gratiæ indigemus ad quaslibet tentationes superandas victoria salutari, *conc.*; victoria sterili quoad vitam æternam in levioribus, *neg.*

137. Ad 3^m, *Neg.* Siquidem omne bonum, quod in homine est, sive illud naturale sit, sive supernaturale a Deo est, aut ut auctore naturæ, aut ut auctore gratiæ (2).

PROPOSITIO II.

Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere, nec omnia propterea infidelium opera vitia sunt aut peccata.

138. Et hæc propositio spectat ad catholicam doctrinam; contradictoria enim propositio proscripita est in Bajo, prop. XXV, quæ his verbis exprimitur: *Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia* (3).

139. Notandum autem est, 1^o hæc infidelium opera moraliter honesta fieri posse aut sine gratia, si de facilioribus sermo sit,

(1) Loc. cit. et cap. 33, n. 2 et seq.

(2) Cfr. Suarez, lib. cit. cap. 23, n. 14 et seqq.

(3) Hinc pariter spectat prop. XLVIII Quesnelli: *Quid aliud esse possunt nisi aberratio et nisi peccatum sine*

fidei lumine, sine Christo, sine charitate? Hanc doctrinam Bajus, Jansenius et Quesnellus mutuati sunt a Novatoribus, ut ex documentis superius allatis aperte constat.

aut cum auxilii superadditi ope , si agatur de operibus difficilioribus , juxta ea quæ hactenus adstruximus. Hæc autem opera ante fidem peracta , quacumque tandem ratione peracta sint , seu cum gratiæ adjutorio seu sine illo , non prætergrediuntur limites operis naturaliter honesti , cum sine fide nullum detur opus supernaturale. Notandum præterea est , 2^o ejusmodi opera naturaliter honesta nihil conferre ad salutem. Notandum denique , 3^o hic agi de peccato aut vitio proprie dicto ad mentem adversariorum , qui contendunt , nulla opera infidelium , ut ut bona ac honesta videantur , culpa vacare , ob quam infideles æternum puniri non debeant,

140. Hanc vero doctrinam Scripturæ , Patres , ratio denique ipsa plane evertunt. Sane Scripturæ nonnulla ethnicorum opera commendant , præmio aliquo digna exhibent , imo et consulunt. Obstetrices enim ægyptiacas , quæ *timuerunt Deum* , atque Pharaonis jussis non sunt obsecutæ , servantes infantes masculos Hebræorum , laudat Scriptura , ac præmio a Deo donatas exhibet , dicens : *Benefecit Deus obstetricibus , et , quia timuerunt Deum , ædificavit eis domos* (1). Quamvis vero postea mentitæ sint , hoc tamen subsequens ipsarum mendacium non coinquinavit opus bonum antea peractum : *Non est in eis* , apposite inquit S. Augustinus , *remunerata fallacia , sed benevolentia ; benignitas mentis , non iniquitas mentientis* (2). Sic etiam apud Ezechielem Deus testatur , se dedisse regi Nabuchodonosor terram Ægypti , ad eum remunerandum ob bellum feliciter gestum adversus Tyrios , prout ei imperaverat : *Dedi ei terram Ægypti , pro eo quod laboraverit mihi , ait Dominus Deus* (3). In quæ verba S. Hieronymus scribit : *Ex eo , quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis , intelligimus , etiam ethnicos , si quid boni fe-*

(1) Exod. i , 20 , 21.

(2) Lib. *Contra mendac.* cap. 15 , n. 32.

(3) Ezechiel. xxix , 20. Quod luculentius etiam apparet ex verbis v. 18 : *Fili hominis , Nabuchodonosor rex*

Babylonis servire fecit exercitum suum adversus Tyrum... ET MERCES NON EST reddita ei neque exercitui ejus , de Tyro , pro servitute , qua servivit mihi adversus eam.

cerint , non absque mercede Dei judicio præteriri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati (1). Denique eundem regem Daniel excitavit ad eleemosynas , dicens : Peccata tua eleemosynis redime , et iniquitates tuas misericordii pauperum (2). Atque , ut cetera omittam , lib. I Machab. cap. VIII , celebrantur virtutes Romanorum. Jam vero , si ethnicorum seu infidelium opera totidem peccata essent , Deus remuneratus esset peccata , Scriptura eorum peccata celebrasset , peccata consuluisset ; quæ dictu impia sunt et blasphema. Fatendum igitur est , posse hominem lapsum , antequam assequatur fidei donum , opera naturaliter honesta perficere , nec omnia ipsius opera totidem esse peccata.

141. Doctrinam Lutheranam et Jansenianam Patres pariter evertunt , dum pro certo sumunt , ab infidelibus opera moraliter bona interdum fieri , dum eos ob hæc ipsa opera laudant , dumque ob hæc ipsa a Deo temporalibus præmiis eos affectos aperte docent. Hæc porro omnia de infidelium operibus tradit S. Augustinus , qui , disputans adversus Julianum , scribit : *Quanto ergo tolerabilius illas , quas dicis in impiis esse virtutes , divino muneri potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati (3) ?* Et postea : *Ex quo colligitur , etiam ipsa bona opera , quæ faciunt infideles , non ipsorum esse , sed illius qui bene utitur malis (4).* Pro certo igitur habet S. Doctor , infideles aliqua bona opera peragere , quamvis Dei auxilio adjutos. Alibi vero duplicem distinguens charitatem divinam et humanam , et hanc rursus in licitam et illicitam , sic exhortatur plebem sibi commissam : *Liceat vobis humana charitate diligere conjuges , diligere filios , diligere amicos vestros , diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina necessitudinis habent vinculum et gluten quoddam charitatis. Sed videtis , illam charitatem esse posse et impiorum , id est , paganorum , Judæorum et hæreticorum (5).* Ergo cen-

(1) Lib. ix , *In Ezech.* loc. cit.(4) *Ibid.* n. 32.

(2) Dan. iv , 24.

(5) *Serm.* cccxlix , *De temp.* capp. i(3) *Cont. Julian.* lib. iv , cap. 3 , 16. et 2.

suit S. Augustinus, infideles posse habere charitatem licitam. Sed certum præterea est, ipsum docere, Deum Romanis terrenam excellentissimi imperii gloriam concessisse, *ut redderetur merces*, ut ipse loquitur, *bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitabantur* (1). Ac deinceps enumerat has ipsas virtutes, dicens: *Privatas res suas pro re communi, hoc est, republica, et pro ejus ærario contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio libero; neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii. His omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium et gloriam* (2). Neque aliter loquitur S. Hie-

(1) *De civ. Dei*, lib. v, cap. 15.

(2) Jansenius, lib. iv, *De Statu naturæ lapsæ*, cap. 6, totus in eo est, ut evincat, S. Augustinum non de veris virtutibus hæc scripsisse, sed de virtutibus fucatis, quæ speciem quidem præ se ferrent virtutum, sed re ipsa non essent nisi vitia, saltem ex fine perverso, quo infideles illas actiones præstiterunt. Ex quo concludit, Deum quidem præmio donasse infideles ob actiones ex officio bonas, sed eos punivisse ob finem malum. Verum in eo hic auctor hallucinatur, quod existimet, S. Doctorem nomine *veræ virtutis* significases opus moraliter honestum atque steriliter bonum, cum tamen loquatur S. Augustinus de virtute illa, qua homines perducuntur ad æternam vitam, qualis certe non erat virtus infidelium. Ceterum, S. Augustinum nonnullas saltem actiones agnovisse in infidelibus, quæ non fuerint ex omni parte malæ, constat etiam ex iis, quæ scripsit, Lib. *De spir. et litt.* cap. 27: *Impiorum, nec Deum verum veraciter justequè colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum*

justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectequè laudamus; quanquam, si discutiat, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur; et cap. 28: *Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*. Ergo ex S. Doctore, etsi raro, tamen nonnulla dantur in infidelibus opera ex omni parte bona, id est, tum ratione officii, tum ratione finis, saltem proximi et immediati. Perperam Jansenius declinare contendit vim hujus argumenti, asserendo, S. Augustinum non ex propria sententia, sed ex suppositione et in sensu Pelagianorum esse locutum; nam contextus contrarium plane evincit, ubi duas subjecit interpretationes textus Apostoli: *Gentes, quæ legem non habent*, etc., alteram scilicet de gentibus ad fidem conversis, alteram de gentibus infidelibus; utramque porro dat ex proprio

ronymus : *Ex quo perspicuum est , inquit , natura omnibus inesse Dei notitiam , nec quemquam sine Christo nasci , et non habere semina in se sapientiæ et justitiæ reliquarumque virtutum.. Unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sancte , ut parentibus obsequantur , ut inopi manum porrigant , non opprimant vicinos , non aliena diripiunt (1). Hinc S. Thomas , ex eo quod in infidelibus non omnino corruptum sit bonum naturæ , concludit : Manifestum est , quod infideles... opera bona , ad quæ sufficit donum naturæ , aliquantulum operari possunt. Unde non oportet , quod in omni suo opere peccent (2).*

142. Ratio ipsa abhorret ab hoc paradoxo , illudque penitus evertit. In hypothesi enim adversariorum infidelis , qui sibi vim inferret ad superandam vitiosæ naturæ inclinationem , qui commiseratione commotus stipem indigenti tribueret , qui proximum ab imminente mortis periculo liberaret , qui obsequeretur parentibus , ipsorum necessitatibus subveniret , atque id genus alia perageret , deterior fieret coram Deo. Consulendum proinde ei esset , quum nullo præsertim impellitur præcepto , ut ab iis se retraheret , ne in peccatum incideret , ac pœnam inde promeritam incurreret ; quæ quam absurda sint , societati perniciosa atque a communi hominum sensu et æstimatione aliena , nemo est qui non videat. Deinde quid vetat , quominus homo , recta ratione utens , actionem eliciat , quæ ex se , seu quoad suam substantiam , bona sit ac honesta , et ex honesto fine ipsi quodammodo insito , cujusmodi esset stipem erogare ad alienam sublevandam inopiam ? Nonne in hoc aut alio simili casu actio honesta tum ex officio tum ex fine proximo haberetur ? Porro finis , qui proxime bonus

sensu. Addo , agi hic *de facto* , nec potuisse S. Doctorem affirmare , *nulla prorsus infideles opera efficere potuisse nisi ex perverso fine.* Hoc enim constare non potest nisi uni humanorum cordium scrutatori , qui Deus est.

(1) *Comm. in cap. i Epist. ad Galat.* pag. 391 , edit. Vallarsi. Reliqua Pa-

trum testimonia , quæ hanc veritatem adstruunt , vid. apud Bellarm. *De grat. et lib. arb.* lib. v , cap. 9.

(2) 2^a , 2^m , q. 10 , a. 4 , qui totus est de hoc argumento ; quærit enim S. Doctor : *Utrum omnis actio infidelis sit peccatum ;* respondet autem : *Negative.*

est, pondere, ut ita dicam, suo fertur in finem bonum ultimum, eumque saltem virtualiter, ut aiunt, includit. Sic præritur adversariis præcipuum fundamentum, quo adducuntur ad asserendum, nulla ab infideli opera elici posse, quæ non sint inquinata peccato. Constat igitur, sive Scripturarum, sive Patrum auctoritatem consulamus, sive rationem ipsam, posse hominem lapsam, antequam fidei gratiam assequatur, opera naturaliter honesta patrare, seu non omnia infidelium opera totidem esse peccata, prout ostendere nobis propositum erat (1).

DIFFICULTATES.

143. Obj. prima. Neque sine gratia, neque cum gratia sine fide potest homo lapsus aliquod bonum moraliter honestum elicere. 1^o Etenim Apostolus, Rom. XIV, 23, ait: *Quod non est ex fide, peccatum est*; 2^o et Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo*. Cui principio insistens idem Apostolus, 3^o de infideli, ad Tit. I, 15, ait: *Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia*. 4^o Eidem consentit Joannes, dum I Epist. II, 16, de mundo seu de infidelibus per oppositionem ad fideles pronunciat: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*; 5^o imo et Christus ipse, docens, Matth. VI, 23: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Quæ quidem omnia aliaque his similia eo recidunt, ut affirmant, nihil absque fide in Christum homini inesse, quod malum, pollutum, inquinatum non sit, aut ob principium, ex quo profluit, aut ob finem, in quem tendit. Ergo.

144. Resp. Neg. antec. Ad 1^m probat. Dist. Quod non est ex fide, id est, juxta practicum conscientia dictamen, conc.; id

(1) Cfr. S. Thom. in 11 Sent., dist. xli, q. 2, a. 2, ubi scribit: *Ratio naturalis vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum; et, quia ille finis proximus est ordina-*

bilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur, ideo in infidelibus, quorum actus per rationis vim diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate.

est, juxta fidem theologicam, *neg.* Jam nemo est, qui aliter exponat hoc Apostoli dictum; cum subjecta materia, quæ est de delectu ciborum, eam expositionem necessario postulet. Patres omnes græci ac latini ante S. Augustinum, et alii plures post ipsum hunc ei sensum tribuerunt; imo Concilium ipsum œcumenicum Lateran. IV, cap. XLI, illud de conscientia dictamine exposuit dicens: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis* (1).

145. Ad 2^m, *Dist.* Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad salutem, *conc.*; in ordine ad moralem honestatem, *subd.* ratione operantis, *conc.*; ratione operis, *neg.*

146. Ad 3^m, *Dist.* Infideli, id est, judaizanti nullus cibus mundus est ob erroneam, qua laborat, conscientiam, *conc.*; infideli proprie dicto nulla actio munda est seu honesta, *neg.* (2).

147. Ad 4^m, *Dist.* Omne, quod est in mundo, id est, mundi amatoribus, et operantibus juxta prava mundi dictamina, *conc.*; non operantibus juxta illa, ut sæpe contingit, *neg.*

(1) *Act. Conc.* Hard. tom. vii, col. 50. Agitur vero in hac sanctione de præscriptione, quæ sine bona fide nec incipere nec continuari potest. Quare concluditur: *Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Cfr. etiam Bernardinus a Piconio, in hunc Apostoli textum. Sed quod caput est, ipsemet S. Augustinus in hoc ipso lib. iv, *Contra Julian.* n. 24, non abnuit, Apostolum hic locutum esse de cibis.

(2) Refutat hic S. Paulus errorem judaizantium, qui certos cibos immundos reputabant, quasi lex mosaica adhuc vigeret; contra quos Apostolus docet, nullum cibum, aut natura sua, aut Dei præcepto, Christianis immundum esse. Itaque *mundis*, id est, Christianis in sanguine Christi mundatis,

omnia munda sunt, seu nullus cibus ex se, vel ex lege, immundus est. *Coinquinatis autem et infidelibus*, id est, immundis et infidelibus, seu judaizantibus, nullus cibus est mundus, ob eorum scilicet infidelitatem et conscientiam erroneam. Putant, juxta legis mosaicæ præscriptum, sibi a carne suilla ex. gr. abstinendum; vel ergo abstinent ab illa, et sic contra fidei veritatem peccant superstitione: vel non abstinent, et sic peccant contra conscientiam, dictantem sibi abstinendum esse. Hoc significant verba Apostoli: *Inquinatæ sunt eorum mens et conscientia: mens* per errorem suum; *conscientia*, per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est. Ita Bernard. a Piconio in hunc loc.

148. Ad 5^m, *Dist.* Si quis operetur juxta perversam intentionem, quæ significatur per oculum nequam, *cont.*; si præter hanc intentionem operetur, *neg.* (1).

149. Ex his patet nihil inveniri in Sacris Litteris, quod faveat conclusioni adversariorum; neque unum ex objectis testimoniis esse, quod ad rem præsentem faciat.

150. *Obj. secunda.* Omnia infidelium opera totidem esse peccata, doctrina germana est S. Augustini, qui ex professo hanc thesim tuetur adversus Julianum, contendentem, veras inesse gentilibus virtutes seu opera moraliter bona, etsi fateretur, eas steriles esse ad salutem. Hinc docet S. Augustinus: 1^o Nullum opus vere bonum esse, nisi tale sit tum ratione officii tum ratione finis; 2^o Sine fide officia quidem posse interdum bona esse, nunquam vero finem, quia, *quod non est ex fide, peccatum est*; et *sine fide impossibile est placere Deo*; 3^o Nullum opus ex omni parte bonum sterile censi posse in ordine ad vitam æternam; ac propterea rejicit distinctionem Juliani inter opus sterile et opus meritorium. 4^o Urget S. Doctor Julianum ex eo capito, quod, si infideles possent vel unum actum ex omni parte bonum, ex objecto nempe et fine, elicere, gratis Christus mortuus esset. 5^o Concludit, infideles ob ejusmodi opera, bona quidem ex objecto, sed vitiosa ex fine, fore puniendos in die judicii, licet *mitius*, qui opus bonum ex objecto patrarunt, at vitiatum ex fine; *gravius*, qui opus malum ex objecto et fine posuerunt, utpote pejores. Nullo modo igitur, inquit, *homines sunt steriliter boni* (ut autumabat Julianus); *sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali* (2). Ex qua postrema animadversione facile componuntur, quæ in systemate S. Augustini sibi adversari videntur; cum ex. gr. laudat et extollit virtutes Romanorum ac nonnullorum philosophorum, ac simul contendit, eas virtutes vitia fuisse; cum adstruit, bona illorum opera absque gratiæ subsidio facta non esse ac præmio donata, et simul docet, ob hæc ipsa opera infideles mitius puniri; nempe celebrat infi-

(1) Cfr. Maldon. in hunc loc.

(2) Ita lib. IV, *Cont. Julian.* toto cap. 3.

delium opera ratione objecti , carpit ratione finis seu intentionis operantis. Hoc ipsum systema S. Augustini refert S. Prosper , dum ex ejusdem S. Doctoris sententia scribit : *OMNIS infidelium vita peccatum est , et NIHIL est bonum sine summo bono ; ubi enim deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis , falsa virtus est etiam in optimis moribus* (1); et alibi : *Manifestissime patet , in impiorum (infidelium) animis NULLAM habitare virtutem , sed , OMNIA opera eorum immunda esse atque polluta* (2). Ergo vel deserenda doctrina S. Augustini , qui tamen eam adstruit tanquam fidei dogma (3), vel admittenda doctrina Janseniana et Quesnelliana.

151. Resp. *Neg. antec.* Id enim est pervertere sensum et doctrinam S. Augustini. Ut germanus ejus sensus habeatur , necesse est inquirere in doctrinam Juliani , quem S. Doctor impugnat. Julianus enim ex principio pelagiano fundamentalis , quo asserebat , primum hominem minime fuisse evecum ad statum et ordinem supernaturalem , ac propterea per ejus peccatum posteros nullam contrahere labem , sed nasci in eo statu naturalis justitiæ , in qua primus homo conditus est , hæc inferebat : 1^o Posse hominem suis viribus totam legem servare ; 2^o per actus seu virtutes moraliter honestas (nullas quippe supernaturales admittebat) posse hominem promereri sibi gratias ad facilius etiam legem adimplendam ; 3^o per has actiones vitam æternam obtinere. Actiones porro naturaliter honestas vocabat eas , quæ tales essent ex objecto , non autem ex fine , qui in ipsius hypothesi operi superveniebat , et juxta quem homo actus moraliter ac intrinsece bonos dirigit aut ad temporalia aut ad æterna ; si ad temporalia a voluntate dirigantur ejusmodi actus , docebat , eos fieri steriles ; si ad æterna , eos meritorios evadere contendebat (4). Ad-

(1) In libro *Sententiarum S. Augustini* , quæ est ordine cxi , et sic inscribitur : *Quod tota infidelium vita peccatum sit.*

(2) In lib. *Contra Collatorem* , cap. 13 , n. 39.

(3) Ita Tricassinus exponit systema

S. Augustini circa opera infidelium , in op. cit. *De necessaria ad salutem gratia* , part. II , sect. 2 , §. 5 et seqq.

(4) Id patet ex verbis S. Augustini , *Contr. Julian.* lib. IV , cap. 3 , n. 21 : *Noveris , inquit , non officiis , sed finibus a vitiis discernendas esse virtu-*

versus hanc theoriam S. Augustinus excipit : 1° non nisi per gratiam medicinalem Salvatoris universam legem servari posse ; 2° per virtutes morales neminem posse gratiam promereri , multo minus consequi vitam æternam ; 3° demum , quod controversiæ caput erat , contendit S. Doctor , actiones moraliter honestas atque ex omni parte bonas esse non posse ex solo objecto , sed præterea bonas intrinsece eas constitui ex fine , qui influit ad intimam actionis bonitatem constituendam , et non extrinsece solum , ut autumabat Julianus , quod pluribus ostendit. Ex quo principio rejicit illam ejusdem Juliani distinctionem inter opera steriliter bona ac meritoria ; quia , si actus boni sunt ex solo objecto , nec ulli dantur in hypothesi pelagiana actus nisi morales , concludit , inanem esse distinctionem proveniente ex fine extrinseco superveniente , seu a voluntate dirigente peculiare actus ex se bonos ad aliquem finem extrinsecum actibus ipsis (1). Hinc , cum finis , juxta S. Doctorem , influens in intimam actus naturam , eamque intrinsece bonam aut malam constituens , quo actus referatur ad æterna , haberi nequeat absque fide , dedit , aut nullum in infidelibus esse posse actum moraliter honestum et ex omni parte bonum , ex defectu finis supernaturalis in operante , minime vero ex defectu finis operis ; aut , si quis sit , eum esse meritorium , sed in hypothesi Juliani ; quod si ejusmodi opus ex omni parte bonum in infideli daretur , non posset vocari

tes. Officium est autem , quod faciendum est ; finis vero , propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid , ubi peccare non videtur , si non propter hoc facit , propter quod facere debet , peccare convincitur. Quæ tu non attendens , fines ab officiis separasti , et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti.

(1) S. Doctorem agnovisse in aliis locis ac admisisse distinctionem inter opera moraliter honesta ac steriliter bona , et inter opera supernaturalia ac meritoria , evidenter patet ex iis , quæ

scribit , lib. *De spir. et litt.* cap. 28 , n. 48 : *Nam et ipsi homines erant , et vis illa naturæ inerat eis , qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit ; sed pietas , quæ in aliam vitam transfert beatam et æternam , legem habet immaculatam , convertentem animas , ut ex illo lumine renoveantur. Quo etiam referantur , quæ paulo post ibidem subdit , et alias retulimus : Sicut non impediunt a vita æterna , etc... sic ad salutem nihil prosunt impio aliqua bona opera , etc.*

sterile, sed in hypothese Juliani; quod si daretur ejusmodi opus meritorium vitæ æternæ, Christus gratis mortuus esset, sed rursus in eadem hypothese.

152. Ut autem magis evertat Juliani theoriam, S. Augustinus ostendit sine fide vix aut ne vix quidem in opere præsertim arduo dari actum, qui inquinatus non sit ex aliquo fine perverso, prout late disserit; quia aut inani gloria, aut avaritia, aliove pravo affectu ut plurimum infidelis ad operandum movetur; quod verissimum est. Deinde ostendit, nullum dari posse actum moraliter honestum et meritorium vitæ æternæ sine fide; quia deest semper in quacumque infidelium actione finis; quo absente, quævis actio relate ad vitam æternam vitiata est et inquinata; quod si præterea ad hæc accedat perversio intentionis seu finis moralis, prout in plerisque operibus infidelium contingit, tunc fiunt proprie dicta peccata, ob quæ puniri merentur, qui sic operantur. Hac ratione intelligitur sensus verborum, quæ profert S. Prosper.

153. Ceterum, nisi hæc esset mens S. Augustini, plura sequerentur ex ejus doctrina absurda et contradictoria, ac 1^o necessariam esse gratiam ad opus ponendum, quod semper ac natura sua esset vitiatum et peccato intrinsece infectum ex defectu finis, qui solum per fidem haberi posset (1); 2^o Deum ratum habere ac præmio ornare opus intrinseca peccati labe pollutum (2);

(1) Nam S. Augustinus passim docet, *voluntates bonas infidelibus a Deo esse inspiratas*, quas Deus in cordibus eorum *interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operatur*, ut loquitur, lib. I. *De grat. Christi*, cap. 24, n. 25. Et lib. IV *Contra Julian.* cap. 3, n. 16, fatetur, in infidelibus esse virtutes, sed *divino muneri tribuendas; bona opera*, sed simul *dona Dei*.

(2) *Epist. cXLIV*, n. 2, agnoscit in infidelibus *justitiam et actus strenuos*, quibus ipsi *a Deo temporale promerentur præmium*, ut alia præteream

superius commemorata. Ex his sequitur, aut S. Augustinum reipsa admisisse in infidelibus aliquot opera bona seu moraliter honesta, aut sanctissimo Doctori tribuendam esse doctrinam adeo execrabilem, qua statuatur, *Deum interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum*, tanquam *sua dona et cælestia munera* approbare, ac remunerari præmio ea, quæ juxta eundem Hippo-nensem antistitem *solus impius neget esse peccatum*. Quasi nempe Deus, qui inspiravit opus bonum, et vires ad illud

3^o excitari non posse homines ad opera moraliter honesta elicenda, quæ tamen ex mente ejusdem S. Doctoris, ut vidimus, ratione officii et finis saltem proximi bona sunt, et ab ipso commendantur. Hæc quidem aliaque ejusmodi evidenter ostendunt, alium prorsus sensum fuisse S. Augustino disputanti adversus Julianum, quum adhibuit voces *peccati et operis naturaliter honesti*, ab eo, quo easdem voces usurpat in aliis libris suis. Scilicet in his agnoscit actus bonos morales, at intra limites moralis honestatis, seu, ut nos dicimus, ordinis naturalis, qui nullam dicant relationem ad vitam æternam, aut ad gratiam. In libris vero contra Julianum ob rationem adductam nullos admittit actus bonos morales in infidelibus; sed, cum eos vocat *actus morales*, loquitur in sensu Juliani, et designat reipsa actus supernaturales. Hac autem ambiguitate abutentes Janseniani, contendunt, nullum unquam agnovisse S. Augustinum in infidelibus actum moraliter honestum, eumque contendisse, omnia opera infidelium totidem esse peccata proprie dicta et pœna digna (1).

154. Obj. tertia. Omnes, ac propterea etiam infideles tenentur cunctas actiones suas referre in Deum, ut bonæ esse possint, juxta generale præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Hoc autem præceptum exponens Apostolus, scribit, 1 Cor. X, 31: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; et Coloss. III, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum*; et 1 Cor. XVI, 14: *Omnia vestra in charitate fiant*. 2^o Porro infideles, præsertim qui verum Deum non noverunt, neque ex charitate neque propter Deum tanquam finem ultimum agunt, necesse propterea est, ut in omnibus operibus suis peccent. 3^o Quare

efficiendum præstitit, non potuerit inspirare bonum finem, saltem naturaliter honestum. Hæc absurda sunt.

(1) Cfr. Scipionis Maffei *Historia Theologica*, lib. xv, cap. 1, n. 2 et seqq. Francofurti ad Mænum 1756; præsertim vero P. Fontaine S. J. Con-

stitutio UNIGENITUS *theologicæ propugnata*, Romæ 1719, tom. II, part. II, in Prop. XLIV et in Propos. XLVIII, cap. 4, ubi doctus et eruditus auctor doctrinam S. Augustini præclarissime explanat.

infidelibus recte Christi verba accommodari possunt : *Non potest arbor mala honos fructus facere*. Ipsi enim hæc arbor mala sunt , 4^o quorum opera a Deo esse non possunt ; alioquin inutilia non forent , cum quod bonum est inutile esse nequeat. Ergo

155. Resp. ad 1^m, *Dist.* Tenentur etiam infideles omnes actiones suas referre in Deum tanquam in auctorem gratiæ , *neg.* ; tanquam in auctorem naturæ , *subd.* sive explicite sive implicite , *conc.* ; explicite ac semper , *neg.* Etenim absurdum in primis est contendere , omnes infideles teneri præcepto referendi omnes actiones suas in Deum tanquam in finem ultimum supernaturalem ; cum hoc præceptum ignorent. Si itaque præcepto aliquo tenentur dirigendi actus suos in Deum , satis est , ut eos referant in Deum tanquam auctorem naturæ , ut huic præcepto satisfaciant. Deinde , ut infideles hoc præceptum adimpleant , necesse non est , ut singulas actiones suas explicite , ut aiunt , in Deum referant ; verum sufficit , si implicite seu virtualiter id præstent per opus bonum , quod fiat propter bonum aliquem finem proximum ; nam hoc ipso ejusmodi opus cedit in gloriam Dei tanquam auctoris omnis moralis honestatis (1). Et hæc quidem in hypothesi , quod existat ejusmodi præceptum positivum semper referendi omnes actiones in Deum ; plures enim , nec immerito , contendunt , hoc præceptum esse potius negativum , ita ut per ejus vim nulla eliciatur actio , quæ in Deum referri non possit ; quo sensu exponunt textus Apostoli , qui nobis opponuntur (2) ; imo nec desunt , qui in citatis verbis nonnisi consilium insinuari contendant (3).

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 11 , n. 24. Jam supra retulimus verba S. Thomæ , quæ eundem sensum referunt.

(2) Cfr. Bernard. a Pic. in hunc loc. Epist. ad Coloss.

(3) Animadvertendum vero hic est , Jansenistas cum Novatoribus contendere , in citatis Apostoli verbis contineri præceptum positivum referendi actualiter omnes actiones in Deum tan-

quam in finem ultimum , et quidem explicite , ita ut , si omittatur ejusmodi actualis intentio in Deum per se dilectum , actio evadat peccatum lethale , ac pænæ proinde æternæ digna. Jam vero plures theologi catholici sentiunt , in Apostoli verbis non haberi nisi præceptum *negativum* , ita ut nihil quispiam operari debeat , quod non sit honestum in se et ex fine proximo , ac proinde natura sua ferri non possit

156. Ad 2^m, *Dist.* Infideles non agunt ex charitate supernaturali, *conc.*; naturali, prout exposuimus, *neg.* Ita pariter non agunt infideles propter Deum ut auctorem ordinis supernaturalis, *conc.*; non possunt saltem agere propter Deum ut auctorem naturæ, *neg.*

in Deum. Ita Bern. a Picon. loc. cit. nec non Gammachæus, Duvallius, Ysambertus, doctores Sorbonici, in *Comment. in 1 part. S. Thom.* q. 109, a. 4; sic etiam Malderus doctor Lovaniensis, Sylvius Doctor Duacenus, Alfonsus Curellius et Montesinos Doctores Salmanticenses, Pesantius Doctor Romanus; Capreolus et Medina Ord. Præd., Puteanus Ord. S. Aug. Præterea Domin. Soto Ord. Præd. ac Theologus in Conc. Trid. asserit, omnes scholas impugnare contrariam sententiam Gregorii Ariminensis, qui id fatebatur. En verba Dom. Soto, ex lib. *De nat. et grat.* cap. 20: *At vero non immerito scholæ omnes Theologorum sibi (Gregorio Arim.) reclamant, ut ipse fatetur.* Andreas Vega alter Theologus Concilii Tridentini, *Opusc. de justificatione*, q. XII, contendit, doctrinam peculiarem Gregorii Arim. similiter adversari tum rationi tum Scripturarum auctoritati; et lib. VI, *De justif.* cap. 41, scribit: *Sed illius opinio summo quidem jure explosa est ab scholis.* Alii censent, non præ se ferre Pauli verba nisi piam admonitionem et consilium, ut Bellarminus, loc. cit. Estius, *Comment. in 1 ad Cor. x, 31*, in verbis Apostoli agnoscit quidem præceptum positivum, sed ita tamen, ut 1^o ad ipsum adimplendum satis sit, si *virtute*, ut ipse loquitur, aut *habitu*

ad Deum actiones referantur; 2^o non respiciat illud præceptum *infideles*, sed solos fideles. S. Thomas 1^o *Quæst. unic. de Char.* art. 11, ad 2^m, exponit istud præceptum *negative*, et subdit: *Hoc pertinere ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, quod omnia virtute referantur in Deum.* 2^o *Lect. VII in 1 ad Cor. x, 31*, exponit de relatione *implicita*: *Relatio hæc, inquit, intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi; quæ non est solum in bonis, sed etiam in indifferētibus.* 3^o *Lect. III, in Epist. ad Coloss. cap. III*, explicat de relatione *habituali*, quæ ex gratia sanctificante exurgit, quæque nequidem excluditur per peccatum veniale: *Quidam dicunt, scribit, quod hoc est consilium; sed non est verum. Sed dicendum est, quod non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu... Venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter, quia licet non actualiter, tamen habitualiter omnia refert in Deum.* Eadem repetit, *Quæst. VII, De malo*, a. 1, ad 9^m. 4^o Statuit, hoc præceptum utpote affirmativum non obligare *ad semper*, ita ut in concursu duorum præceptorum fieri possit, ut quispiam unum sine altero adimplere possit sine transgressione alterius; sic enim scribit, 1^a, 2^m, q. 100, a. 10, ad 2: *Et cum*

157. Ad 3^m, *Dist.* Infideles arbor mala sunt, cum agunt ex principio infidelitatis aut ex aliquo perverso fine, *conc.*; cum agunt ut homines et ex recto fine proximo, *neg.*

158. Ad 4^m, *Dist.* A Deo esse non possunt ut auctore or-

ista (præcepta referendi omnia in Deum et honorandi parentes) *sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare. Et ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.* Doctus Card. de Aguirre Ord. Ben. in *Theologia S. Anselmi*, disp. cxxx, sect. iv, fusius ostendit; sententiam contrariam peculiari Gregorii Arimin. doctrinæ esse germanam sententiam SS. Thomæ et Bonaventuræ, quos omnes secuti sunt posteriores scholastici, ita ut vix quispiam reclamaverit adversus illam, si paucos hæreticos excipias. En ejus verba ex sect. iii, n. 20: *Hanc sententiam luculenter tradere videntur duo sancti Ecclesiæ Doctores Thomas et Bonaventura... quos Scotus, Durandus ac ceteri posteriores scholastici tum veteres tum recentiores indubie sequuti sunt, nullo pene usque ad hanc diem contradicente, nisi paucis quibusdam hæreticis seculi præcedentis.* Demum concludit ibid. sect. xiv, n. 148: *Quis autem credat, Deum piissimum et amantissimum Ecclesiæ suæ, singulis hisce seculis præditæ viris doctissimis ac sanctissimis, doctrinam adeo salutarem ipsi invidisse, aut noluisse manifestam facere nisi hæresiarchis præcedentis seculi, et postea Michaeli Bajo ac Jansenio, atque ex horum*

traditione paucis quibusdam? Inter hos paucos recenset Contensonium, quem plurimum deditum doctrinæ recentiorum Lovaniensium dicit. Attamen Jansenistæ perfricta fronte audent fidei dogmatibus accensere doctrinam de obligatione referendi singulas actiones explicite et in actu ad Deum propter se dilectum. *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Cfr. citt. Estius, loc. cit. Aguirre, tota disp. cxxx, quæ complectitur xv prolixas sectiones; Fontaine, op. cit. in proposit. xlvi Quesnelli, cap. 2 et seqq. Ex his patet, futilem esse distinctionem, quam nonnulli introducunt inter opus et operantem, quasi opus infidelium bonum sit in se, sed malum semper ob finem operantis. Nam, præterquam quod hæc distinctio componi nequit cum censuris latis a Clemente xi in Const. *Unigenitus*, in prop. lxxxii: *Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo;* et ab Alex. viii, in prop. xxxii: *Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum respectu;* repugnat tum theoriæ S. Augustini, qui contendit, finem influere in intimam actionis naturam, tum doctrinæ S. Thomæ, quem cfr. 1^a, 2^a; q. 18, a. 4, et 2^a, 2^a, q. 10, a. 4, in quæ loca vid. Cajetanus refellens Gregorium Ariminensem.

dinis supernaturalis, *conc.*; ut auctore naturæ, *neg.* Actus autem naturaliter honestus utilis est, tum ad satisfaciendum præcepto naturali, tum ad pœnam vitandam, tum denique ad præmium temporale promerendum.

PROPOSITIO III.

Potest homo actuali gratia adjutus, ante adeptam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata.

159. Propositio hæc est de fide adversus Wicleffitas et Hussitas, quorum articuli, qui huc referuntur, proscripti sunt in Conc. Constantiensi (1); tum adversus Lutheranos et Calvinistas, quorum doctrina proscripta est in Concilio Tridentino, quod, sess. VI, hunc ipsis canonem opposuit, qui est n. VII: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eo gravius peccare, anathema sit.* Cum vero horum novatorum errorem instauraverit Bajus prop. XXXV^a his verbis concepta: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est,* Summi Pontifices Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII iterum eum confixerunt. Eamdem doctrinam denuo damnavit Clemens XI, in Constit. *Unigenitus*, proscribens prop. XLV Quesnelli: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat;* et prop. LIX: *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

(1) Art. 16: *Si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et, si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat om-*

nes actus hominis virtuosi. Alter articulus proscriptus hic est: *Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter.* Vid. *Acta Concil.* Hard. tom. VIII, col. 912, et ibid. col. 405.

Denique a Pio VI, in Const. *Auctorem fidei: Doctrina Synodi (Pistoriensis) de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis, enuncians, hominem sine gratia, esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere: quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, declaratur falsa, perniciofa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Bajo damnatum art. XL (prop. XXXIII) (1).*

160. Licet vero hic error communis sit, ad rei substantiam quod attinet, tum Lutheranis et Calvinistis, tum Jansenianis, non idem tamen est principium, ex quo profluxit. Novatores enim ideo docuerunt omnia peccatorum opera vera esse peccata, quia ex ipsorum systemate, de justitia *naturali* hominis primordialis seu paradisiaci amissa per peccatum originale, hoc peccatum juxta ipsos tanquam *positiva qualitas ipsius naturæ humanæ* semper influit in omnes hominis lapsi actiones tum bonas tum malas, ut enucleatius, ubi erit locus, exponemus; quæ propterea totidem peccata sunt, et quamvis justis non imputentur, imputantur tamen peccatoribus, qui nondum justificati sunt per externam imputationem justitiæ Christi. Quare ex istorum mente opera ac peccata hominis lapsi non sunt nisi *manifestationes peccati originalis* (2). Jansenistæ contra ex principio affini, de justitia

(1) Art. XI Baji, hic citatus, ita se habet: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

(2) Sic porro exponit Cl. Moehler doctrinam Reformatorem circa hunc articulum: *Selon les symboles réformés, les fautes actuelles ne sont plus*

que les fruits du mal héréditaire, que sa manifestation successive dans des cas particuliers. Pour eux aussi le péché d'Adam est le seul péché; c'est la source unique à laquelle puisent tous les mortels sans jamais l'épuiser; source infinie, toujours vivante, qui

originali debita primo homini tanquam sequela creationis, docent, per peccatum hominem adeo debilitatum fuisse, ut nihil boni efficere per se valeat, et agi necessario debere a cupiditate dominante per peccatum, quamdiu non agatur a dominante charitate per gratiam sanctificantem, quam per justificationem adipiscitur. Hæc porro cupiditas, quamdiu in homine dominatur, influit ex istorum systemate in omnes ejus actiones, easque maculat ac vitiosas efficit utpote a vitioso principio exortas. Hoc igitur intercedit discrimen inter utrumque systema, quod juxta theoriam Novatorum actiones peccatorum totidem peccata sint ex principio intrinseco naturæ corruptæ et infectæ per concupiscentiam, in qua consistit qualitas positiva, et formalis ratio peccati originalis, quod se manifestat in singulis hominis lapsi actionibus; juxta theoriam vero Jansenistarum hoc provenit ex principio extrinseco et hominem excitante ad peccandum in singulis actionibus per cupiditatem dominantem. Hac de causa autumarunt Janseniani, doctrinam suam minime fuisse per Tridentinum canonem in Novatores latum proscriptam. Sed frustra; cum enim conclusio eadem sit, parum interest, an principia, ex quibus dimanant, diversa sint, ut patet ex nota, quæ inusta fuit propositioni nuper relatæ Synodi Pistoriensis.

161. His præmissis, ad enunciatae propositionis veritatem vindicandam descendimus. 1^o Ex demonstratis in superiori propositione, patet non omnia infidelium opera esse peccata; ergo multo minus peccata censenda sunt omnia opera peccatorum. Præterea Scriptura tum dictis tum factis constanter supponit, opera bona et salutaria a peccatoribus ante conversionem elici; imo ad hæc præstanda eos hortatur, et laudat, cum ea præstiterint. Sic, Ezech. XVIII, 30, legitur: *Ait Dominus Deus: Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*; Luc. XVIII, 13, exhibetur Publicanus a longe consistens, qui non audebat in cœlum oculos suos attollere; *sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*. De Cornelio centurione

se nourrit de ses propres eaux; péché à jamais se reproduire à la lumière. actif, sans cesse agissant, qui veut Symbolique, tom. 1, pag. 87, edit. cit.

legitur , Act. X, 1 et seq. *Vir erat... religiosus ac timens Deum cum omni domo sua , faciens eleemosynas multas plebi , et deprecans Deum semper.* Porro in Novatorum ac Jansenistarum hypothese Deo ipse adhortatus esset homines ad peccatum ; Publicanus et Cornelius per illos humilitatis ac pœnitentiæ actus , per illas eleemosynas et orationes novis se peccatis commaculassent , ac Deum propterea ad iracundiam provocassent. At Deus passim arguit Israëlitas , eo quod noluerint se convertere ; Christus exhibet Publicanum justificatum a Deo ; Deus misit Angelum ad Centurionem. Adeo nempe Scripturæ divinæ sensus et doctrina abhorrent a sensibus et doctrina Novatorum et Jansenistarum !

162. Concilium Arausicanum II declarat , can. XXV , manifestissime credendum esse , ut superius vidimus , nec pii latronis , nec Cornelii centurionis , nec Zachæi conversionem sine divinæ largitatis dono accidisse ; ergo censuit , illos actus , quibus isti ad conversionem accesserunt , bonos ac salutare fuisse , nec sine fide elicitos , nec propterea totidem peccata fuisse , ut adversarii autumant.

163. Post hæc supervacaneum est , confirmare hanc fidei veritatem auctoritate S. Augustini , qui ubique et constanter prædicat , peccatores esse inexcusabiles , si non convertantur , eo quod neglexerint opera misericordiæ præstare , noluerint pœnitere et confiteri peccata sua , noluerint orare , ceteraque efficere , quibus veniam a Deo ac justificationem impetrare potuissent. Ergo hoc ipso censuit S. Doctor , non omnes peccatorum actiones totidem esse peccata. Hæc autem ejus testimonia inferius afferemus (1).

164. Demum id ipsum efficitur ex eo , quod si omnes actiones ante justificationem elicite vitiate et corrupte essent ac totidem peccata , præcluderetur omnis via peccatoribus sese convertendi , sese in Dei gratiam recipiendi ac sese disponendi ad justificationem ; quæ omnia absurda sunt ac universam justificationis , œconomiam labefactant. Accedit quod falsa sunt principia ,

(1) Cum scilicet agemus de gratiæ *De gratia ad salutem necessariâ*, part. I, distributione. Interea cfr. Tricassinus , sect. IV , § 3 et seqq.

ex quibus profluit doctrina Novatorum et Jansenistarum; nempe aut peccata actualia non esse nisi manifestationes peccati originalis; quod perpetuo homini lapsi inhæreat ut positiva qualitas, quæ inficiat omnes ejusdem hominis lapsi actiones, ut Novatores autumant; aut hominem peccatorem semper operari ex cupiditate dominante, quæ corrumpat omnes ejusdem actus, ut contendunt Jansenistæ; cum sæpe sæpius neque justi agant juxta sanctitatis normam, neque peccatores juxta cupiditatis influxum (1).

DIFFICULTATES.

165. Obj. Opera peccatorum Deus in Scripturis indiscriminatum tanquam mala rejicit ac damnat. 1^o Etenim, Prov. XV, 8, dicitur: *Victimæ impiorum abominabiles Domino. Isaïæ I, 13: Incensum abominatio est mihi... Calendas vestras et solemnitates vestras odovit anima mea.* 2^o Siquidem, ut dicitur Matth. VII, 18: *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* 3^o et *Deus peccatores non audit*, ut legitur, Joan. IX, 31. Nec mirum, 4^o siquidem peccator semper agit ex cupiditate; ergo semper peccat juxta illud Apostoli, I Timoth. VI, 10: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Ille enim agit ex cupiditate, qui non agit ex charitate; nam nullum est medium, atqui peccator non agit ex charitate, alioquin esset justus; ergo agit ex cupiditate. 5^o Hinc S. Augustinus: *Ubi non est dilectio, inquit, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur* (2). Ergo.

166. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m prob. *Dist.* Victimam impiorum ac incensum abominatur Dominus, si ex perverso fine ac perversa voluntate offerantur, *conc.*; si, ut decet, ad Deum honorandum ac placandum, *neg.* Putabant enim illi, quos arguit Scriptura, satis sibi esse cautum, dummodo sacrificia offerrent, etsi gravissimis interim sceleribus se commacularent et affectum ad peccatum retinerent (3).

(1) Cfr. P. Fontaine, op. cit. in prop. XLV.

(2) Lib. *De grat. Christi*, cap. 26.

(3) Cfr. Cornel. a Lap. in hunc loc. tum Bellarm. loc. cit. cap. 10, n. 1.

167. Ad 2^m, *Dist.* Quamdiu homo agit ut arbor mala, seu ex prava voluntate, *conc.*; Si non agat ut arbor mala, seu ex prava voluntate, *neg.* Arbor enim bona aut mala est bona aut mala voluntas; jam vero peccator non semper operatur ex perversa voluntate (1).

168. Ad 3^m, *Dist.* Ad alios seducendos per miracula, *conc.*; ut peccator est, qui resipiscere velit, *neg.* Talem esse sensum horum verborum cœci nati, patet ex contextu (2).

169. Ad 4^m, *Neg.* Ad argum. *Dist. maj.* Nullum datur medium inter cupiditatem et charitatem habitualement, seu inter statum justitiæ et peccati, *conc.*; nullum datur medium inter cupiditatem et charitatem actualem theologicam et proprie dictam, *neg.* Datur enim charitas improprie dicta, seu voluntas recti et honesti, juxta quam homo, etsi peccator sit, sæpe adjutus præsertim divina gratia, bonum vult et operatur. Apostolus autem loquitur de amore pecuniæ, seu de avaritia, quam vocat omnium malorum, temporalium scilicet et æternorum, fontem (3).

170. Ad 5^m, *Dist.* Ubi non est dilectio, id est, bona voluntas aut pia affectio, *conc.*; id est, charitas theologica et proprie dicta, *neg.* Hoc porro sensu vocem dilectionis a S. Augustino passim usurpari, ad denotandam scilicet bonam voluntatem aut piam affectionem, constat inter cetera ex iis, quæ scribit in lib.

(1) Cfr. Maldon. qui existimat, hanc Salvatoris sententiam esse accipiendam sensu, ut aiunt, morali, nempe ex communiter contingentibus, adeo ut fieri non possit, quin falsi prophætæ, qui simulatione sanctitatis pravam doctrinam confirmare contendunt, diu se ita ovina pelle tegant, ut tandem aliquando, qui sub ea latet, lupus non appareat. Non enim potest diu simulatio veritatem imitari. Quod in omnibus hæreticis fieri videmus. Recenset præterea quinque vel sex sibi adversantes errores hæreticorum, qui hoc Christi

dicto abusi sunt, ut Manichæi, Donatistæ, Pelagiani, Calviniani, etc.

(2) *Adhuc inunctus* (id est, catechumenus) loquitur, inquit S. Augustinus. *Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non audiret, frustra ille publicanus, oculos in terram demittens, et pectus suum percussiens, diceret: Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Tract. XLIV, in Joan. n. 13*). Cfr. Maldon. in hunc loc.

(3) Cfr. Bern. a Pic. et Corn. a Lap. in hunc loc.

De grat. et lib. arbitr. ubi : *Quod quidem (liberum arbitrium), inquit, sine suo fructu admoneretur, nisi prius acciperet ALIQUID DILECTIONIS, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret (1);* tum etiam patet ex iis omnibus locis, in quibus S. Doctor affirmat, fidem, quæ est in peccatoribus informis, non esse sine dilectione.

ARTICULUS IV.

De erroribus circa gratiæ necessitatem post adeptam justificationem.

171. Ad absolvendam gravissimam hanc, in qua versamur, quæstionem, superest, ut, postquam expendimus, quæ sit gratiæ necessitas ad opera salutaria incipienda ac perficienda adversus Pelagianos ac Semipelagianos, tum quousque sese extendat ejusdem necessitas quoad opera moraliter honesta adversus Novatores et Jansenistas, tum denique quid homo lapsus cum ea aut sine ea possit ante fidem et justificationem; superest, inquam, ut inquiramus in ejusdem gratiæ necessitatem post adeptam justificationem.

172. Pelagiani ex præjacto principio de actuali hominis integritate, eo progressi sunt, ut assererent, posse hominem suis viribus ad omnimodam pertingere perfectionem, imo, ut diximus, ad ipsam *apathiam* seu imperturbabilitatem; postea vero, se ipsos emendare volentes, fassi sunt, ad hunc statum obtinendum ea gratia opus esse, quam ipsi admittebant (2). Rationalistæ pa-

(1) Cap. 18, n. 37.

(2) Cfr. S. August. *De gestis Pelagii*, cap. 6, n. 20, 22. Subdole Pelagius gratiæ nomine vocabat *possibilitatem*, quam Dei dono homo accepit per liberum arbitrium, ideoque ipsam naturam significabat. Hic enim hæresiarcha tria distinguebat in homine, *possibilitatem, voluntatem et actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo*

esse justus, voluntatem, qua vult esse justus, actionem, qua justus est; horum trium primum, id est, possibilitatem, datam confitetur a Creatore nature, nec esse in nostra potestate... duo vero reliqua, id est, voluntatem et actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis esse contendat. Ita exponit versutiã Pelagii S. Augustinus, Lib. *Degrat.*

riter , qui perfectibilitatem , ut vocant , attributum proprium humanitatis esse autumant , existimant , hominem posse pervenire ex viribus sibi insitis usque ad æmulandum , non solum ideale prototypum hominis paradisiaci , sed ipsum reale , quod in se exhibuit Christus Jesus (1).

173. Semipelagiani , qui ut initium fidei ac salutis ex nobis esse voluerunt , sic et progressum ac perseverantiam in nostra potestate absque peculiari gratiæ auxilio , indirecte saltem , pariter esse contenderunt ; quatenus nempe , ut inferius dicemus , volebant , hæc opera bona ac supernaturalia et perseverantiam enasci a gratia parta viribus liberi arbitrii.

174. Contra vero fides catholica docet adversus Pelagianos ac Rationalistas , nec justos ipsos posse citra speciale privilegium in præsentis hominis infirmi statu , toto vitæ tempore , omnia vitare peccata venialia ; adversus Semipelagianos autem docet , sicut fidei ac salutis initium ita et perseverantiam usque in finem Dei munus esse. Hanc proinde doctrinam sequentibus propositionibus vindicandam suscipimus.

Christ. cap. 3 , n. 4. Hinc refert , hac arte eum illuisse Episcopis Palestinæ , dum adstruebat , posse hominem esse sine peccato cum Dei adjutorio.

(1) Hic notandum est etiam , Novatores admisisse impeccabilitatem in homine justificato , sed alio prorsus sensu , atque ex alio omnino principio. Nempe ipsi docent , eatenus hominem justum non amplius peccare posse , quatenus peccata ipsi non amplius a Deo imputantur ob Christi justitiam , quam homo per fidem apprehendit. Hinc in istorum sententia hanc rectius vocaveris *impunitatem* quam *impeccabilitatem* , quia quod attinet ad culpam , ultro faterentur , justos semper in quolibet opere

peccare ; sed hæc culpæ in illorum systemate justis ob Christi justitiam non imputantur ad pœnam. Sic docent Calvinistæ , justum non amplius excidere posse ab adepta justitia ; quia fides , qua apprehenditur justitia , propria tantum est electorum , nec amitti potest ; Lutherani vero censent , tamdiu amitti non posse justitiam , quamdiu justis fidem servant ; nam juxta ipsos fidei amissio est solum peccatum , quo justus a justitia excidere possit , et in istorum doctrina fides non est inamissibilis. Verum hæc satis hic sint ad dignoscendam diversam hæreticorum doctrinam ; de his enim suo loco.

PROPOSITIO I.

Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio.

175. De fide est hæc propositio; conceptis enim verbis hanc veritatem definivit Tridentina Synodus, sess. VI, can. XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

176. Ad pleniorum propositiois explanationem præmittimus: 1^o Eam comprehendere peccata venialia omnia, ideoque tam deliberata quam indeliberata, quæ nempe nostram plenam advertentiam præveniunt, ac oscitantibus nobis obrepunt. 2^o Sese extendere *ad totam vitam*, ideoque non ad brevem tantum ejus periodum; hinc est quod theologi passim docent, non posse hominem etiam justum ad longum tempus se immunem ab his maculis servare. 3^o Hanc omnimodam a quovis vel levi peccato puritatem hominem justificatum non obtinere ordinariis gratiæ auxiliis, sed solum ex speciali privilegio. An vero præter B. Virginem, ut Ecclesia tenet, alii ejusmodi privilegium consecuti fuerint necne, nostrum inquirere non est, nec talis inquisitio attingit limites propositionis nostræ. 4^o Animadvertendum est, non agi hic de potentia aut impotentia physica, sed solum de potentia aut impotentia morali; alioquin, si homo justus potentia physica ad vitanda levia hæc peccata destitutus esset, nec peccata essent, ideoque nec culpæ imputari possent. 5^o Demum propositionem nostram spectare collectionem, ut loquuntur, horum peccatorum, minime vero peccata seorsim sumpta; sic enim, præsertim deliberata, singillatim justum ordinaria gratia adjutum præcavere posse, nemo est qui ambigat (1).

(1) Quo melius intelligatur doctrina catholica circa peccata venialia, animadvertendum est, hominem per gratiam sanctificantem consequi *veram* quidem

justificationem, sed *non perfectam*: *veram*, quatenus homo justificatus est, reipsa Deo charus et acceptus, sed *non perfectam*, quatenus justus, quam-

177. Sensus propositionis ita constituto, ejus veritatem ita ostendimus: Sacræ Litteræ etiam, cum de justis loquuntur, eos peccatis obnoxios et irretitos pronunciant; nam; Prov. XXIV, 16, dicitur: *Septies enim cadet justus. Eccles. VII, 21: Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet.* Et apertius etiam in novo Fœdere; Jacobi enim III, 2, legitur: *In multis offendimus omnes;* et I Joan. I, 8: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Non autem sunt mortalia peccata illa, in quæ passim justis labuntur, ergo venialia. Hinc est quod Christus, Matth. VI, omnes indiscriminim, ac propterea etiam justos jussit sic orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* ergo et justis, licet ordinariis gratiæ auxiliis suffulti sint, non omnia valent peccata venialia vitare.

178. Nec aliter sane hæc Scripturarum effata Patres intellexerunt. Ex pluribus tum græcis tum latinis, qui adduci possent,

diu in hac vita est, non reparatur quoad integritatem naturæ. Hinc et infirmus remanet, ignorantia et concupiscentiæ obnoxius. Et hæc porro concupiscentia fit, ut ipse jugem debeat experiri luctam inter carnem et spiritum, ac perpetuo vigilare, ne ulli tentationi cedat, orare, ut obtineat auxilia, quibus omni suggestioni resistat eamque superet; ex insita autem sibi infirmitate fit, ut homo justus nec semper ea, qua par est, diligentia vigilet, nec omnes quæ subrepunt, sensus illecebras evitet, nec semper advertat omnia, quæ interdum latent, pericula. Inde oriuntur illæ quotidianæ noxæ, quas ipse lacrymis suis abluit, et ob quas Deum rogat: *Dimitte nobis debita nostra,* confirmatur in humilitate, et optat dissolvi ex corpore mortis hujus, ut adipiscatur plenam libertatem filiorum Dei. Quo major est in justo sanctitatis progressio, quo

ferventius est in ipso mortificationis exercitium, eo minus se ejusmodi maculis inquinat, ut ex Sanctorum exemplis compertum est. Non pauci inventi sunt, qui votum emisissent nunquam deliberate peccandi venialiter, quotidieque in perfectione crescendi, seu faciendi, quod melius esse cognoverint. Cfr. S. Thom. 1^a, 2^a, q. 8, præsertim a. 3, ubi ostendit, hominem in statu innocentia, ac proinde integritatis, non potuisse peccare venialiter. Ex his intelligitur, quo sensu speciale requiratur privilegium ad vitanda omnia peccata venialia præter ordinaria auxilia; nempe requiritur privilegium, quo infirmitas sanetur humanæ naturæ, quam profecto non tollunt ordinaria auxilia, sed tantum ei auxiliantur, ut nomen ipsum *auxilii et adjutorii* indicat.

unum aut alterum brevitatis gratia seligemus. S. Gregorius Nazianz. : *Illud cognoscamus*, inquit, *quod omni quidem vitio carere ejusmodi procul dubio est, ut humanum modum excedat, solique Deo conveniat* (1); et alibi : *Quandoquidem eum vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacet, supra humanæ naturæ modum Deus constituit* (2). S. Hieronymus sic urgebat Pelagium : *Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est, nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate et commotione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur; quia Deus solus est immutabilis* (3). De mente S. Augustini nihil attinet dicere, cum passim ac valide id inculcaverit adversus Pelagianos.

179. Vix autem e latebris prodiit perniciosus hic error; dum statim Concilia, per ea tempora adversus Pelagianos celebrata, eum proscripserunt. Concilium Carthag. anno 418 hos canones edidit; VI : *Item placuit, quod ait S. Joannes Apostolus : Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, et adjungit : Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere : Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et humilitas in nobis non est; sed, cum ait : Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est, satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.* Can. VII : *Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere Sanctos : Dimitte nobis debita nostra, ut non pro*

(1) *Orat. xv, plagam gaandinis*, pag. 234 edit. Par. 1630. Γνώμεν ἔτι τὸ μὲν μηδὲν ἀμαρτεῖν, ὅπως ὑπὲρ ἄνθρωπον καὶ μόνου Θεοῦ.

(2) *Orat. iv In Julian* pag. 128 :

Ἐπειδὴ τὸ παντελῶς ἀναμάρτητον, ὑπὲρ τὴν ἀνθρώπινην φύσιν ἔταξεν ὁ Θεός.

(3) *Dialogo II contra Pelag.* n. 30, edit. Vallarsi.

se hoc dicant , quia non est eis jam necessaria ista petitio , sed pro aliis , qui sunt in suo populo peccatores , et ideo non dicere unumquemque Sanctorum : Dimitte mihi debita mea , sed : Dimitte nobis debita nostra , ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur , anathema sit. Can. VIII : Item placuit , ut quicumque verba ipsa Dominicæ orationis , ubi dicimus : Dimitte nobis debita nostra , ita volunt a Sanctis dici , ut humiliter , non veraciter hoc dicatur , anathema sit. Quis enim ferat orantem , et non hominibus , sed ipsi Domino mentientem , qui labiis sibi dicit dimitti velle , et corde dicit , quæ sibi dimittantur , se debita non habere (1)?

180. His congruit ratio , quam profert S. Thomas , dum ait : *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis , cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii) , non autem omnes ; quia , dum uni resistere nititur , fortassis alius insurgit ; et etiam quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos (2).*

DIFFICULTATES.

181. Obj. prima. 1° Christus , Matth. V , 48 , ad omnimodam nos perfectionem provocat , dicens : *Estote ergo perfecti , sicut et Pater vester cælestis perfectus est.* 2° Quam quidem perfectionem homini justo possibilem esse Scriptura ubique supponit ; etenim , 1 Joan. V , 18 , dicitur : *Omnis , qui natus est ex Deo , non peccat ;* et Ps. CXVIII , 1 : *Beati immaculati in via ;* tales autem censi nequeunt , qui peccatis venialibus se commaculant. 3° Hinc nobis exhibet Luc. I , 6 , Zachariam et Elisabeth *incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* 4° Ecclesia ipsa in festo S. Joan. Baptistæ canit , ipsum sub teneris annis antra deserti petiisse , *ne levi posset maculare vitam crimine*

(1) *Acta Concil. Harduin. tom. 1 , sub titulo Concilii Milevitani , col. 1218 etseq.*

(2) 1^a , 2^a , q. 109 , a. 8. Cfr. etiam art. 9.

linguæ, seu, ut antea dicebatur, *ne levi saltem maculare vitam crimine posset*. 5^o Quare S. Augustinus: *Si a me queratur, inquit, utrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor, posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium* (1). Ergo.

182. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Verumtamen citatis verbis Christus nos provocat ad illam perfectionem, cujus capaces sumus spectata infirmitate nostra, ac præsertim ad imitandum Patrem cœlestem in condonandis injuriis nobis illatis, atque ad beneficentiæ opera exercenda etiam erga inimicos nostros, ut patet ex contextu (2).

183. Ad 2^m, *Neg.* juxta adversariorum mentem. Neque id evincit primum testimonium, ex quo solum eruitur, non peccare eum, qui operatur ex principio nativitatæ divinæ, nempe ex charitate; non autem dum agit ex alio principio, scilicet ex cupiditate (3). Sic, Ps. CXVIII, beati prædicantur, qui vitam transigunt absque gravi saltem legis transgressione. Hic enim aliique ejusmodi textus pro subjecta materia semper intelligi debent, atque ex communi acceptione de illa sanctitate et justitia, quæ passim in Sanctis obtinet, quæque nunquam absoluta esse solet juxta receptum effatum: *Ille maximus, qui urgetur minimis*.

184. Ad 3^m, *Dist.* Id est, ad legis præscriptum, ita ut in nullius reprehensionem incurrerent, *conc.*; ita ut nullam vel levem maculam coram Deo contraherent, *neg.* Communi enim loquendi usu scribit Evangelista, qui non alium sensum admittit præter expositum, prout etiam hunc locum interpretatur S. Augustinus (4).

(1) *De peccat. merit. et remiss.* lib. 11, cap. 6.

(2) Cfr. Maldon. in hunc loc.

(3) S. August. *De peccat. merit. et remiss.* lib. 11, cap. 8, exponit hunc Joannis textum de perfecta renovatione, quam adipiscantur justii in vita beata; sic etiam ibid. cap. 9.

(4) Lib. *De grat. Christi*, cap. 48: *Dictum enim est, inquit, quantum*

mihî videtur, secundum quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juste posset in accusationis et criminationis querelam vocare.... Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiæ, in qua vere atque omni modo immaculati perfectique vivamus.

185. Ad 4^m, *Dist.* Nec tamen affirmat Ecclesia, S. Præcurso-rem hoc obtinuisse, *conc.*; secus, *Subd.* Ex privilegio speciali, *trans.*; hoc secluso, *neg.*

186. Ad 5^m, *Dist.* Confitetur S. Augustinus, id fieri posse physice et absolute, *conc.*; moraliter et in praxi, *neg.* Alioquin frustra inter præcipuos Pelagianorum errores hunc recensisset, dicens: *Tria sunt, ut scitis, quæ maxime adversus eos (Pelaginos) catholica defendit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari... alterum est, in quantacumque justitia sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere; tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis* (1). Perperam propterea ad hunc errorem convellendum tot libris desudasset.

187. Obj. secunda. 1^o Justus potest per breve tempus omnia venialia vitare; ergo semper, 2^o tum ob facilitatem habitus inde acquisiti, 3^o tum ob majora gratiæ subsidia, quæ exinde promeretur. 4^o Sane, si potest singula vitare, quare non omnia poterit divina gratia adjutus, quæ semper præsto est? 5^o Quod si reipsa omnia vitare non posset, jam necessario ea patraret, plecti propterea non posset. 6^o Adde, in tali hypothese non posse justum efficacax concipere propositum omnia peccata vitandi, pro tali fuga Deum rogare; quæ absurda sunt, et contraria sanctorum praxi, qui interdum ad id voto se obstrinxerunt, imo et praxi Ecclesiæ, quæ orare consuevit, *ut in nullum declinemus peccatum, et ab omni peccato Deus nos liberet.*

188. Resp. Ad 1^m, *Neg. cons.* Etenim optime ad hanc ipsam

(1) Lib. *De dono persever.* cap. II, n. 4. Animadvertendum tamen est, S. Doctorem interdum docere, absolute hominem posse divinæ gratiæ ope quævis vitare peccata; ast non determinat, cujusmodi hæc gratia sit, ordinaria scilicet an extraordinaria. Porro ejus mens colligitur ex eo, quod sæpius repetat, se arbitrari, præter Christum ac B. Virginem neminem prorsus exti-

tisse, qui omni prorsus peccato immunis fuerit; ex quo manifeste constat, gratiam illam, qua fieri posse assertit, ut quispiam inveniri possit sine ullo peccato, esse omnino extraordinariam, specialem, quamque nos privilegium nuncupamus. Itaque discrimen est in ratione loquendi, minime vero in re ipsa.

difficultatem respondit S. Hieronymus: *Nec, quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, dormire. Numquid in perpetuum* (1).

189. Ad 2^m, *Dist.* Si non ageretur nisi de una eademque peccatorum specie, *trans.*; si de diversis atque a se disjunctis, *neg.* Innumera propemodum sunt, quæ justis obrepere possunt, a quibus moraliter impossibile est, ut aliquando saltem leviter non abripiantur. Sed nec verum semper est, frequentem victoriam facilitatem ac robur addere; quandoque enim fastidium et lassitudinem ingerit, præsertim infirmo homini.

190. Ad 3^m, *Dist.* Si præcedentibus gratiis semper obsecutus sit, si fidelem se exhibeat præsentibus, si nullum obstaculum torpore aut desidia opponat subsequenter, *conc.*; secus, *neg.* Ast hoc opus, hic labor est.

191. Ad 4^m, *Resp.* quia in singulis non invenitur illa difficultas, quæ exurgit ex omnium collectione, ut constat ex iis, quæ hactenus disseruimus.

192. Ad 5^m, *Dist.* Si deberet evitare omnia simul, *trans.*; quia ad hoc præstandum non laboraret justus nisi impotentia morali, ut professi sumus. Si solum singillatim vitare debet, *neg.* Toties propterea reus efficitur ac pœna tenetur, quoties in ea labitur.

193. Ad 6^m, *Dist.* Effective efficax ad longum tempus, *conc.*; affective saltem efficax, *neg.* Omnes enim, quoad fieri potest, tenentur omnia vitare, ac proinde bonum voluntatis propositum semper commendatione dignum est, quamvis interdum deficiat (2). Potest præterea etiam effectu non solum propositum,

(1) *Cont. Pelag.* lib. III, n. 12, qui præterea, *ibid.* n. 4, jam dixerat: *Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara; quod si paululum se remiserit,*

quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabatur, et fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non posse cognoscit.

(2) Hoc declarari solet exemplo

sed scopum obtinere quoad venialia deliberata, et circa hæc votum interdum emisit Sancti, in quo nihil est quod obsistat. Ecclesia etiam cupit, ut omnia etiam levia peccata declinentur; ideo sic nos orare docuit, maxime quod semper incerti simus utrum brevior an longior vita nostra futura sit.

PROPOSITIO II.

Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare.

194. Propositio hæc est de fide juxta id, quod Tridentina Synodus sess. VI, can. XXII, sancivit: *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

195. Et hic juvat, nonnulla ad majorem propositionis declarationem præmittere. Ac 1^o quidem perseverantiæ nomen usurpari ad significandam tum majorem minoremve in bono jam adepto constantiam et continuationem, tum jugem in eodem consistentiam usque ad vitæ exitum, in comperto apud omnes est. Si de priore sermo sit, dicitur imperfecta ac improprie talis; si de altera, ea vocatur perfecta et cui propriæ perseverantiæ denominatio competit; de hac autem potissimum quæstio hic agitur.

196. 2^o Hæc perseverantia proprie dicta sub duplici iterum respectu spectari potest; quatenus scilicet fidelem denotat ad singulares gratias actuales cooperationem, et quatenus in hac ipsa actuali cooperatione homo ex hac vita decedit; prior dicitur perseverantia activa, posterior perseverantia passiva; utriusque conjunctio constituit speciale illud donum, quod ratione beneficii singularis nuncupatur perseverantia finalis.

197. 3^o Prout perseverantia passiva est, eam speciale Dei munus esse non diffitebantur Semipelagiani; id enim in omnium oculos incurrit, sive spectetur in infantibus recens baptizatis, sive spectetur in adultis, qui moriuntur statim post adeptam justificationem. Quod enim antea non fuerint ex hac vita educti, et quod

eorum, qui sagittas ad scopum emittunt, qui solent eas altius dirigere, ut optatum punctum attingant. Alioquin,

nisi sic eniteremur, longe plura venialia patremus. Itaque majus proponimus, ut minus saltem efficiamus.

decesserint, postquam cum Deo amicitia juncti sunt, ex sola divina misericordia ac speciali providentia pendet, juxta illud quod legitur Sapientiae IV, 11 : *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... placita enim erat Deo anima illius.*

198. 4^o Controversia igitur tota volvitur circa perseverantiam activam, quam, cohærenter ad suum systema in ordine ad gratiam actualem, Semipelagiani inficiabantur peculiare Dei munus esse. Siquidem, cum gratia actualis eadem quoad substantiam sit ac illa, qua tum opus salutare inchoatur et perficitur, tum in cœpta semel justitia aliquis susceptum iter persequitur et finem attingit, applicabant Semipelagiani perseverantiæ activæ theoriam, prius ab ipsis admissam in œconomia gratiæ actualis. Hinc, cum ex ipsorum principio homo possit propriis viribus obtinere initium fidei ac salutis, seu saltem primas partes habere in negotio salutis, inferebant, has etiam partes habere liberum arbitrium ad perseverandum in eadem fide ac salute; per illud enim quidlibet absolvitur, per quod cœptum est (1).

199. 5^o Priusquam veritatem catholicam vindicemus, illud demum animadvertimus, *magnum istud perseverantiæ donum*, ut Synodus Tridentina ipsum appellat, duo complecti, gratiam scilicet interiorem, de qua diximus, et exteriorem; interiorem quidem, per quam homo justus vel a peccatis retrahitur, vel ab iis certo respiscit, ac tandem in accepta justitia perseverat; exteriorem vero, per quam ab homine justo (Deo protegente) occasiones peccandi, tentationes aliaque salutis obstacula remonentur, ac denique innumeris prope hujus vitæ periculis subdu-

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*. part. I, sect. v, § XXI, ubi ostendit, Semipelagianos ideo sibi, seu [propriis] viribus, fidei initium, atque in ea perseverantiam vindicasse, quia putabant, se sufficienter per istam fidem, propriis meritis sibi comparatam, evitare absolutam a Dei gratia dependentiam in salutis negotio, promerendo scilicet et

impetrando per eam omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, ipsamque in bonis operibus usque in finem perseverantiam. Atque hoc pacto sibi videbantur aliqua ratione a se ipsis pendere, et non a gratia, cum etiam eam ipsam gratiam, quam admittebant ut necessariam ad opera salutaria, sibi ac suis meritis vindicarent contra Ecclesiæ doctrinam, quam propugnabat S. Augustinus.

ctus justus ex hac vita rapitur eo tempore, quo diffusam habet charitatem in corde suo.

200. Jam vero perseverantiam activam ex speciali Dei auxilio, non autem ex propriis viribus, ut autumabant Semipelagiani, repetendam esse, sic cum B. Augustino ex Sacris Litteris evincimus. Philipp. I, 29, dicitur: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Super quæ verba animadvertit S. Augustinus: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen donum Dei est.* Citat deinde S. Doctor verba Jeremiæ, XXXII, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. Quod quid est aliud, pergit S. Augustinus, quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant?* Addidit verba Ps. LXXIX, 18: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ et super filium hominis, quem confirmasti tibi, et non discedimus a te. Manus igitur Dei est ista, inquit Augustinus, non nostra, ut non discedamus a Deo.* Huc et illa spectant, quæ Philipp. I, 6, leguntur: *Qui cœpit in vobis bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu;* ac I Petri I, 5: *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem.*

201. Eandem veritatem ostendit S. Doctor ex universa oratione Dominica, præsertim ex illis postremis verbis: *Et ne nos inferas in tentationem; sed libera nos a malo. Sancti quid aliud, inquit, quam ut in sanctitate perseverent, precantur?* Probat insuper ex publicis Ecclesiæ precibus, quæ *orat, ait ipse, ut credentes perseverent. Deus ergo donat perseverantiam usque in finem* (1).

202. Quapropter Concilium Arausic. II, can. IX: *Divini, inquit, est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur;* et can. X: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare* (2).

203. Demum S. Coelestinus Pontifex definit: *Neminem, etiam*

(1) Cfr. lib. *De dono persev.* a cap. 2 ad 7.

(2) *Act. Conc.* apud Hard. loc. cit.

baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit (1).

DIFFICULTATES.

204. Obj. 1° Nisi in homine justo constitutum esset perseverare, frustra ipse laboraret ad perseverandum. 2° Si enim perseverantia donum Dei est, supervacanea plane erit quævis hominis sollicitudo; nam, si Deus illud largitur, justus profecto perseverat; quod si illud Deus non largiatur, quavis adhibita diligentia labitur ac ruinam sibi parat. 3° Hinc inutilis fit omnis adhortatio aut correptio ne homo vel in præsumptionem vel in desperationem incidat, 4° maxime quod ejusmodi donum

(1) *Epist. ad Galliar. Episcopos*, cap. 6; extat vero hæc epistola in *Appendicis primæ* parte 1^a, ad calcem opp. S. Augustini contra Pelagianos, tom. x, edit. Maurin. Ex citatis verbis S. Cælestini liquet, gratiam, quæ post adeptam justificationem requiritur ad perseverandum, esse gratiam actualem, illam nempe ipsam, quæ necessaria est tum ad superandas tentationes, tum ad vincendas carnis concupiscentias, nihilque per se addere peculiare ad activam perseverantiam. Ex quibus intelligimus *primo*, non alio sensu tum ab antiquis Patribus, qui pugnarunt adversus Semipelagianos, tum a Concilio Tridentino, quod receptum apud veteres loquendi usum usurpavit, gratiam ad perseverandum necessariam vocari *speciale Dei auxilium*, quam ut significaretur auxilium *distinctum* a gratia justificante, seu, ut dicunt, habituali. Gratia enim sanctificans constituit quidem hominem justificatum,

Deo acceptum et carum, ac reparat statum supernaturalem amissum per peccatum Adæ, sed non ordinatur ad reparandas vires amissas per idem peccatum; ad has enim reparandas requiritur auxilium actuale, et quidem jure; alioquin non potest homo consistere in adepta justificatione ob insitam sibi infirmitatem. Intelligimus *secundo*, supervacaneam prorsus esse quæstionem, quæ passim a Theologis instituitur, num præter gratiam sanctificantem ad bene operandum necessaria præterea sit gratia actualis; nam ut ex dictis patet, quæstio hæc non ad scholasticas quæstiones pertinet, sed est fidei dogma ab Ecclesia definitum. Et hæc ratio est, quare nos quæstionem hanc prætermisimus. Ex eo quod hæc de perseverantia controversia non satis fuit explanata, molestissima orta est in scientia theologica perturbatio. Cfr. Vasq. in 1^{am}, 2^{am}, S. Thom. tom. II, disp. 197, cap. 2, et disp. 217, cap. 5, n. 42.

justus mereri non possit. 5^o Præterea et illud intelligi nequit, quomodo justus, qui ad gloriam jus habet, non habeat pariter ad perseverantiam, eamque non teneat in sua potestate; 6^o præsertim cum Apostolus, Rom. V, aperte doceat, multo magis Christum nobis profuisse, quam nocuerit Adam, qui tamen, Augustino ipso teste, habuit in sua potestate *posse perseverare* absque speciali aliquo subsidio. 7^o Quaquaversum igitur spectetur doctrina ista de gratuita perseverantia, patet, ipsam consistere non posse cum spe christiana; ex illa profluere omnia consecratoria, quæ urgentur adversus prædestinationem absolutam illamque fatalismum inducere; quibus permoti Adrumetini monachi eam merito respuerunt. Ergo.

205. Resp. ad 1^m, *Dist.* Si suis solum viribus niteretur, *conc.*; si cum Dei gratia, quæ nemini denegatur, *neg.* In hypothesi Semipelagianorum, qui ab humana tantum industria repetebant perseverantiam in fide, procul dubio perperam laboraret homo justus ad eam sibi comparandam; ast in doctrina catholica nullam amplius vim habet proposita difficultas. Ex hac enim doctrina non nisi gratia instructus potest eam perseverantiam obtinere per attentam ac fidelem cooperationem gratiæ actuali, quæ pro tempore ac loco, ut inferius ostendemus, nemini deest, præsertim justo.

206. Ad 2^m, *Dist.* Prout perseverantia passiva est, juxta dicta, *conc.*; prout est activa, *neg.* Nam perseverantia, quatenus est activa, non differt a quavis gratia actuali; cui si justus assentiatur, illam comitatur, ac subsequitur perseverantia passiva. Quod si huic gratiæ justus resistat ac labatur, sibi soli imputare debet ruinam, quæ inde proveniet; nunquam enim nisi culpabiliter perseverantia amittitur.

207. Ad 3^m, *Neg.* ut ex modo dictis constat. Homo enim sub gratia, ut inferius ostendemus, semper liber est. Quapropter cum ejus sit gratiæ resistere aut obtemperare, merito fiunt correptiones et adhortationes, *ne in vacuum gratiam Dei recipiat*, ut loquitur Apostolus, II Cor. VI, 1; et ut semper vigilet, ne alius accipiat coronam suam. Ideoque nullum est periculum aut in præsumptionem aut in desperationem prouendi; sed cum timore ac tremore salutem suam quisque operari debet.

208. Ad 4^m, *Dist.* Merito proprie dicto seu, ut vocant, *de condigno, conc.*; merito improprie dicto, seu *de congruo, neg.* Eadem nempe ratione ac nemo potest mereri gratiam ulteriorem actualem efficacem *merito proprie dicto*, potest tamen per fidelitatem præstitam præcedentibus gratiis et per orationem eam impetrare; donum perseverantiæ *suppliciter emereri potest*, ut loquitur S. Augustinus (1).

209. Ad 5^m, *Dist.* Si jus istud haberet etiam in futurum, *conc.*; si habeat tantum actu atque de præsentī, *neg.* Utique, quamdiu homo in statu gratiæ perseverat, jus habet ad gloriam; ast jus non habet ad gratias ultérieures efficaces, ex quibus pendet perseverantia, et propterea gloria. Etenim *qui perseveravit usque in finem*, ait Christus, *hic salvus erit*, Matth. X, 22. Nemo insuper sibi polliceri potest fidelem cooperationem ad ejusmodi gratias.

210. Ad 6^m, *Dist.* Obtinendo scilicet nobis uberiores gratias iis, quibus instructus fuit Adam, *conc.*; aliter, *neg.* Non ex uno capite, sed ex pluribus Christus magis nobis profuit, quam Adam nocuerit; nempe 1^o quia positive indignis gratias promeruit, quibus non ab uno tantum, sed ab innumeris prope peccatis liberaremur; 2^o quia gratias longe uberiores nobis promeruit, quibus fit, ut non solum possimus perseverare, quod Adæ præstitum fuit, sed actu plures reipsa perseverent in accepta justitia; 3^o quia præter gratiam illustrationis, qua sola ex plurimum sententia ob naturæ integritatem indigebat Adam, obtinuit nobis gratiam inspirationis ac roboris, qua ea fulciretur infirmitas voluntatis humanæ, quam incurrimus ob originariam culpam, prout late prosequitur S. Augustinus (2). Si una cum gratia sanctificante consequerentur homines ipsam actualem perseverantiam, jam nullus justus a semel accepta justitia excideret, cum tamen luctuosa experientia contrarium ostendat.

211. Ad 7^m, *Neg.* omnes enumeratas sequelas, quæ solum oriuntur ex præpostera doni perseverantiæ notione, ut ex dictis

(1) Lib. *De don. persev.* cap. 6, (2) Lib. *De corrept. et grat.* cap. 12.
n. 10.

facile colligi potest. Si enim perseverantia activa, de qua unice est controversia, non aliud denotat quam ulteriorem gratiæ actualis collationem, jam intelligitur, eas solas urgeri posse sequelas adversus perseverantiæ sic expositæ doctrinam, quæ adversus œconomiam gratiæ actualis ejusque necessitatem possent opponi. Hæc certe nihil commune habent aut cum prædestinatione absoluta aut cum fatalismo, neque opponuntur spei christianæ, maxime quod Deus neminem gratia sua deserit, si non deseratur, ut pie semper justequè vivatur, ut loquitur S. Augustinus (1), cujus verba usurpavit Tridentinum (2).

CAPUT III.

DE GRATUITATE GRATIÆ.

212. A catholicæ veritatis via circa gratuitatem gratiæ digressi sunt Pelagiani ac Semipelagiani, at diversa ratione pro diversis, quibus movebantur, causis. Quandoquidem vero ex accurata expositione utriusque illorum systematis pendet germana orthodoxæ doctrinæ notio, quæ eorumdem erroribus opponitur, juverit sedulo expèndere, quid circa hunc articulum illi senserint, et quæ vera ac genuina fuerit ipsorum mens.

213. Pelagiani ex potissimo suæ doctrinæ capite, quod, spectata hominis naturali conditione, ei non sit absolute necessarium gratiæ auxilium ad bene ac salutariter operandum, sed solum ad operandum *facilius*, et quidem per solam gratiam illustrationis, intulerunt, posse hominem suis viribus divinam opem promereri. Quo posito, docuerunt, Deum pro meritis gratias suas homini elargiri. Dumque ita videbantur gratiam adstruere, eam funditus diruebant (3). Diversas tamen immutationes hæc ipso-

(1) Lib. *De natura et grat.* cap. 26, n. 29.

(2) Sess. vi, cap. 11.

(3) Cfr. Tricass. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. I, sect. v, § 1, ubi ostendit, Pelagianos statuisse

merita gratiam præcedentia, et gratiam Dei illis subsequentem fecisse, non vero prævenientem, opera seu merita nostra. Sic enim apud S. Augustinum, lib. *De gest. Pelag.* cap. 14, ait Cœlestius pelagianus: *Dei gratia secun-*

rum doctrina subiit; Julianus enim eo devenit, ut, compulsus S. Augustini argumentis, admitteret, Deum expectare nostros tantum conatus, voluntatem nostram, desiderium salutis ac ceterorum operum, ut tribueret gratiam suam; prout postea Semipelagiani, ut mox videbimus, professi sunt quoad initium salutis, quamvis cum aliquo temperamento (1). Ceterum hic Pelagianorum error prodiit ex ipsorum systemate, juxta quod docebant, primum hominem neque ornatum fuisse peculiari dono integritatis, nec elevatum ad statum supernaturalem, ac proinde viribus per se ac natura sua instructum esse ad sibi comparandam salutem idoneis.

dum merita nostra datur; quia, si peccatoribus Deus illam det, videtur esse iniquus. Ex quibus verbis Celestius sic infert, ut ait S. Augustinus: *Propterea et ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus.* Quare Deus in istorum hypothesei voluntatem jam naturaliter bonam, et inchoantem negotium salutis, gratia sua superveniente tantum adjuvat, sive ad perficiendum illud initium salutis, sive ad perficienda opera cetera salutaria singula, quæ semper incipiunt ab homine, independenter a Dei gratia.

(1) In hoc enim differt error Juliani pelagiani a Semipelagianorum errore, quod ille tribuerit constanter primas partes libero hominis arbitrio in operibus omnibus salutaribus, sive ante sive post adeptam fidem, ita ut Deus gratia sua succurreret homini jam volenti, incipienti, inchoanti; Semipelagiani vero docuerint, hominem prævenire tantummodo Dei gratiam ad initium fidei ac salutis, minime autem quoad opera fidei initium subsequencia ac salutaria, circa quæ conveniebant cum Catholicis,

docentes hæc præveniri a Dei gratia. Cfr. Tricass. op. cit. § 19. Ex permutatione errorum Pelagianorum cum erroribus Semipelagianorum factum est, ut Jansenistæ inferrent, Semipelagianos etiam quoad opera, quæ fidem subsequuntur, idem sensisse cum Pelagianis (cum tamen constet, ipsos admisisse necessitatem gratiæ prævenientis ad opera bona), ideoque concludunt, in hoc tantum fuisse hæreticos, quod nollent admittere cum Pelagianis gratiam, quæ necessitatem voluntati inferat. In quo tamen decepti sunt, cum, teste S. Augustino, Semipelagiani longe distarent ab erroribus Pelagianorum quoad opera fidei initium subsequencia. En ejus verba ex lib. *De prædest. SS.* cap. 2: *Pervenerunt (Massilienses) etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemque sufficere posse consentiant.* Ergo quoad ista opera non reprehenduntur Semipelagiani a S. Augustino, imo catholice sentire declarantur.

214. Semipelagiani attenuatas quidem vires liberi arbitrii per peccatum admittebant; attamen nimium etiam huic tribuerunt circa fidei initium et perseverantiam, ut vidimus; atque in hoc eorum plerique fere conveniebant cum Pelagianis, etsi in ceteris ab iis dissentirent, præsertim circa necessitatem gratiæ ad augmentum fidei et ad opera fidem subsequentia.

215. Dixi eorum plerique fere conveniebant cum Pelagianis, siquidem nec eosdem errores admiserunt, nec eadem ratione progressi sunt omnes Semipelagiani. Quod ut planius fiat, notandum est: 1º Ex nonnullorum sententia fidei initium ita ex nobis procedere, ut tamen non putarent necessarium esse, ut istud semper præcederet divinam gratiam, sed quandoque etiam ipsam divinam gratiam tali initio priorem esse, ut patet ex Cassiano, qui docet quidem, Zachæum prius pulsasse et postulasse, quam ei gratia daretur ut pulsaret, et ita per suam sedulitatem Christum prævenisse; at docet simul Matthæum et Paulum aliosque Apostolos præventos fuisse a gratia Dei; et præterea scribit: *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adjuvat, protegit ac defendit, ut NONNUNQUAM ETIAM ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat vel expectet* (1). Ergo non semper, sed nonnunquam gratia ex istorum sententia exigit et expectat quosdam bonæ voluntatis conatus (2).

216. 2º Alii fatebantur, bona opera esse ex gratia; verum animadvertendum est, ipsos inter bona opera neque fidei initium, neque orationem, neque voluntatem, qua quis sanari desiderat, adnumerasse. Hinc ejusmodi *initio ex nobis*, orationi, etc. adjiciebant gratiam, seu docebant, tribui a Deo gratiam, quam etiam necessariam admittebant ad initia operum fidem subsequentium, et non solum ad ea perficienda, verum etiam ad ea inchoanda, dummodo tamen voluntas nostra aut oratio præcessisset. Hi comparabant gratiam publico fonti, ex quo, qui vellet, posset aquam haurire; vel soli, qui omnes illuminat, dummodo ipsi

(1) *Collat.* XIII, cap. 13; tum *ibid.* cap. 15.

(2) Cfr. Vasquez in 1 part. S. Thom. disp. LXXXIX, cap. 5, n. 28.

oculos aperiant ; vel medico liberalissimo qui omnes prius volentes curare paratus est (1).

217. 3^o Sedulo animadvertendum est , hos Semipelagianos nunquam dixisse, istud initium , quod ex nobis est , et cui gratiam subnectebant , esse meritorium *de condigno* , ita ut illi merito proprie dicto gratia a Deo redderetur tanquam debita , quia sic destruxissent gratiæ notionem. Sed neque in eo errabant , quod dicerent , gratiam Dei certissime nobis incipientibus esse promissam. In hoc enim nullus est error , quod enim ex gratuita promissione datur , gratuitum semper censendum est , cum promittatur et detur ex mera liberalitate. Error igitur illorum in eo consistebat , quod dicerent , aliquid dari ratione meriti præcedentis , etsi exiguum illud sit , quia semper retribueretur (2).

218. 4^o Cum Semipelagiani nullum meritum proprie dictum agnoverint in illo initio bonæ voluntatis , in illis conatibus , desideris , etc. sed solum improprie dictum atque , ut nos vocamus , *de congruo* , censebant , per istud non tolli notionem gratiæ gratuitæ. Hinc est quod non dubitaverint appellare *gratis vo-*

(1) Cfr. Vasq. ibid. n. 29 , 30. Sane S. Hilarius , scribens ad S. Augustinum speciatim de his Semipelagianis , qui scilicet minus errabant , ita exponit istorum sententiam : *Ceterum ad nullum opus , vel incipiendum , nedum perficiendum , quemquam sibi sufficere posse consentiunt ; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant , exterrita et supplicii voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur : crede et saluus eris , unum horum exigi asserunt , aliud offerri ; ut propter id quod exigitur , si redditum fuerit , id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant , exhibendam ab eo fidem , cujus naturæ id voluntate Conditoris concessum est ; et nullam ita depravatam vel extinctam putant ,*

ut non debeat vel possit se velle sanari. (Inter opp. S. Aug. ante lib. *De prædest. SS.*)

(2) Cfr. Vasq. ibid. n. 32. Hinc Cassianus , *De Instit. cœnobior.* lib. xii , cap. 14 , scribit : *Dicimus enim , secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus , et aperiri pulsantibus , et a quærentibus inveniri ; sed petitionem , et inquisitionem , et pulsationem nostram non esse condignam , nisi misericordia Dei id quod petimus dederit , vel aperuerit quod pulsamus , vel illud quod quærimus fecerit inveniri. Præsto est namque , occasione sibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata , ad hæc omnia conferenda.* Cfr. in hunc loc. nota Alardi Gazæi , edit. cit.

catos, quos Deus gratia sua vocat, etiamsi illi sua industria initium præbuerint. Sic enim loquitur Cassianus : *Eam* (gratiam) *sub colore cujusdam desiderii ac laboris impartit* (Deus), *et nihilominus gratia Dei semper gratuita perseverat; dum exiguus quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate* (1). Ubi patet, gratiam vocari ab ipsis *gratuitam*, etsi intuitu atque occasione nostri laboris concedatur, eo quod labor minimus sit et non condignus.

219. Ex his intelligitur, errorem fuisse communem Pelagianis ac Semipelagianis, gratiam juxta merita dari, quæ ex libero hominis arbitrio oriantur. Magnum tamen in hujus erroris professione patet inter utrosque discrimen intercessisse : quod scilicet Pelagiani contenderent, opera liberi arbitrii meritum constituere proprie dictum, seu *de condigno*; Semipelagiani autem tantum *de congruo* merita illa esse autumarent. Quod illi merita exigerent ad habendam gratiam qua *facilius ac melius* operarentur homines ea instructi; isti admitterent gratiam ex meritis de congruo profluentem tanquam *necessariam* ad bene operandum. Quod juxta illos semper gratia secundum merita retribueretur; juxta istos non semper, sed, in hypothesis quod adessent, Deus his moveretur ad gratiam conferendam. Quod demum illi in quibusvis operibus sive ante sive post adeptam fidem censuerint præcedere bonam hominis voluntatem, cui subsequeretur gratia; isti bonam voluntatem existimaverint solum præcedere initium fidei ac salutis. Ex his autem meritis gratiam præcedentibus tam Pelagiani quam Semipelagiani eruebant, electionem et prædestinationem ad gratiam et ad gloriam non ex solo Dei beneplacito pendere, sed ex his ipsis meritis naturalibus aut existentibus, aut saltem prævisis; ac hominem propria industria ac labore se discernere a *perditionis massa*, juxta Pelagianos, aut saltem *posse* se discernere, juxta Semipelagianos. Ad hos errores convellendos totus incubuit S. Augustinus, adstruendo adversus utrosque gratuitam prædestinationem ad gratiam, ac propterea ad gloriam; cum juxta

(1) *Collat.* XIII, cap. 13.

catholicam doctrinam nulla opera naturalia possint habere rationem meriti, quo Deus quacumque ratione permoveatur ad gratiam suam conferendam (1).

220. Licet porro hæc catholica doctrina affinis omnino sit ei, quam capite præcedenti declaravimus de necessitate gratia ad quodvis opus supernaturale incipiendum ac perficiendum, cum eadem tamen permisceri non debet. Fieri enim absolute seu in alia providentia posset, ut necessaria esset gratia ad opus salutare incipiendum ac perficiendum, nec tamen gratuita sit hæc ipsa gratia, qua opus supernaturale incipitur ac perficitur.

PROPOSITIO.

Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo.

221. Hæc propositio pertinet ad fidem, quæ declarata est in Synodo Diospolitana, in qua Pelagius compulsus est confiteri, *Gratiam Dei... non dari secundum merita nostra* (2); et iterum in Synodo Arausicana II, cap. VI, his verbis: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, etc.. et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium.. resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? et: Gratia Dei sum id quod sum* (3); et apertius etiam cap. XVIII:

(1) Ex his lux dimanat ad dignoscendam controversiam de prædestinatione, quæ viguit inter Pelagianos ac Semipelagianos et S. Augustinum; nempe certum inde fit, actum esse de prædestinatione *adæquata*, ut vocant, ad gratiam scilicet et ad gloriam. Prædestinationem namque ad gratiam juxta doctrinam catholicam adstruxit S. Au-

gustinus plane gratuitam, dum Pelagiani et Semipelagiani ex principio hæretico contendebant, homines posse propriis meritis naturalibus eam sibi comparare, ac se a non prædestinatis discernere.

(2) Cap. 7.

(3) Cap. 6.

Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant (1).

222. Diximus autem : 1^o *opera ordinis naturalis*, hoc enim solum definitum est ; opera siquidem ordinis supernaturalis, sive a justo sive a peccatore eliciantur, possunt de congruo gratiam actualem mereri, vel ad obtinendam conversionem, vel ad perseverandum in bono. 2^o Diximus *opera ordinis naturalis*, seu moralis honestatis, *neque de condigno neque de congruo* posse gratiam mereri, ad excludendam quamlibet positivam dispositionem, quæ se teneat ex parte nostra, et vim habeat movendi Deum ad primam gratiam nobis conferendam ; et ut præcludatur omnis aditus ad quemvis conatum, desiderium, etc., ita ut præveniatur Dei electio.

223. Porro sensu thesis constituto, ita ejusdem veritatem adstruimus. Si aliquod desiderium, aliquis conatus, aliqua actio naturalis ordinis vim meriti sive proprie sive improprie dicti apud Deum præ se ferret, ita ut eum determinaret, aut positive moveret ad gratiam suam illorum intuitu conferendam hominibus, jam homines hoc ipso sibi primas vindicarent in negotio salutis, Deus eis gratiam concedendo retribuere, homines propriis viribus se discernere, atque ab ipsis penderet propria electio ad fidei vocationem et ad gloriam, ac destrueretur ipsa gratiæ idea. Atqui hæc hypothesis aperte adversatur Scripturis ac sensui traditionali, imo prorsus destruit gratiæ ideam.

224. Sane Scripturæ docent, Deum priorem esse ad nos diligendum, ut I Joan. IV, 19 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*; et, Rom. XI, 35, Paulus absolute interrogat : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei*. Quin potius, Is. LXV, 1, dicitur : *Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant*; tum, I Cor. IV, 7 : *Quis te discernit? scribit Apostolus, quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* et Rom. IX, 16, concludit : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Dixi concludit, siquidem gra-

(1) Apud Harduin. *Acta Concil.* loc. cit.

tuita vocatio ad gratiam est argumentum totius partis dogmaticæ epistolæ ad Romanos.

225. Nec alius unquam fuit Ecclesiæ sensus, ut patet ex ejus agendi ratione adversus novitates Pelagianorum ac Semipelagianorum; vix enim Ecclesia eas persensit, dum statim exhorruit atque damnavit in tot Conciliis, quæ per id tempus celebrata fuerunt, et quorum canones paulo ante recensuimus. Quare S. Augustinus sic perstringebat gratiæ adversarios: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt; sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat* (1). Et alibi: *Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam, si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis; pretium autem, quod nobis debetur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est* (2). Et alibi passim, præsertim in lib. *De prædestinat. Sanctorum et De dono perseverantiæ*, in quibus ex professo hanc doctrinam de gratuita electione ac prædestinatione ad gratiam tuetur (3).

226. Ex allatis autem S. Augustini verbis et illud constat, quod diximus, scilicet in adversariorum sententia destrui ipsam gratiæ ideam, quæ omnem respuit meriti cujuscumque præcedentis rationem, nec cum eo componi potest; si enim est gratia, non est ex merito; alioquin non gratia, sed merces esset, ut ipse Apostolus, Rom. IV, adstruit. Addi præterea debet, principium meriti non posse cadere sub meritum, sed necessario ad illud prærequiri. Principium enim meriti est ipsa gratia actualis ad opus salutare efficiendum; ergo notio meriti jam gratiam prærequirit, ut patet ex iis, quæ de necessitate gratiæ ad actus salutare ostendimus. Denique absurdum est asserere, opere ordinis naturalis quempiam posse mereri id, quod est ordinis supernaturalis, cujusmodi est gratia (4).

227. Sive igitur Scripturas, sive sensum Ecclesiæ traditiona-

(1) *Enarr.* II, in *Ps.* xxx, n. 6.

(2) *Enarr.* II, in *Ps.* lxx, n. 1.

(3) Cfr. Tricassinus, *De prædestinat. ad gloriam.* part. I, sect. I et seqq.;

et Vasquez loc. cit. disput. lxxxix, cap. 6 et seqq.

(4) Cfr. S. Th. I, 2, q. 109, a. 5.

lem, sive denique ipsum gratiæ conceptum spectemus, patet, sub nullo respectu opera naturalis ordinis posse mereri gratiam; sed eam esse omnino gratuitam, prout propositum nobis erat ostendere.

DIFFICULTATES.

228. Obj. prima. 1^o Gratiæ distributio non ex beneplacito, sed juxta sapientiæ leges fieri debet, quæ postulant, ut magis dispositis ea conferatur; alioquin arbitraria prorsus esset ac sine consilio, quod de Deo nemo suspicari potest. 2^o Sane Angelis, docente S. Thoma (1), major minorve gratia collata est pro majori minorive præstantia uniuscujusque naturæ. 3^o Dato propterea quod electio a Deo pendeat, attamen inficiatur nemo, electionem supponere majorem dignitatem in eo, qui eligitur. 4^o Nec tamen inde fit, ut gratiæ idea destruat; quamvis enim gratia ob merita solo arbitrio parta conferretur, cum hæc merita homo sibi comparare nequeat nisi ex dono gratuito sibi in creatione concesso, patet, gratiam semper gratuito dari; cum merita illa semper proveniant ex dono, quod ex mera liberalitate concessum est; prout non desinit gratia esse, quæ conceditur aut peccatori aut justo, etsi hi operibus suis seu cooperatione ad anteriores gratias saltem de congruo sibi eam meruerint, juxta illud Augustini dictum: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est fidei meritum* (2). 5^o Nec præterea obest, quod obtruditur de principio meriti, quod non cadit sub meritum; fieri enim potest, ut Deus ex prævisione boni usus ipsius gratiæ eam dare decernat tanquam præmium ejusmodi meriti prævisi. Ergo.

229. Resp. ad 1^m, *Dist.* Si gratiæ distributio ex debito aliquo fieret, *conc.*; si ex nullo debito, *neg.* Negamus præterea, si ex divino beneplacito fiat gratiæ largitio, illam propterea non juxta sapientiæ leges fieri aut sine consilio; etsi enim nobis perspecta non sint inscrutabilia Dei judicia, quibus uni gratias suas præ altero concedat, et ita etiam concedat, ut in altero

(1) P. I, q. 62, a. 6.

(2) *Ep.* cxciv, n. 9.

effectum sortiantur, in altero non item, prout inferius videbimus, non inde tamen concludi debet, improvide Deum ita se gerere aut sine consilio, etiam si illud nos lateat. Difficultas præterea supponit id, quod in quæstione est positum, dum in ea *magis dispositis* gratia conferenda esse dicitur. Nam, si opera moralis honestatis nullum prorsus meritum includunt nullamque positivam dispositionem, hoc ipso patet, dari non posse ante omnem gratiam, comparativam dispositionem sensu exposito.

230. Ad 2^m, *Dist.* Sed immediate a Deo ordinante ipsam Angelorum naturam ad gratiam, *conc.*; per naturæ merita, quæ nulla esse poterant, *neg.* Talis porro est mens angelici Doctoris.

231. Ad 3^m, *Dist.* Electio supponit majorem dignitatem in electo, quando illa est remuneratoria, seu ad mercedem, *conc.*; si sit gratuita, ut in casu nostro, *neg.*

232. Ad 4^m, *Neg.* Ad prob. vero, *Dist.* Si opera, quæ ex vi naturæ, quam quilibet in creatione sit sortitus, eliciuntur, rationem meriti habere possent, *conc.*; si habere nequeant, *neg.* Hic igitur rursum assumitur ab adversariis, quod falsum omnino est, opera scilicet naturalia posse meriti rationem præ se ferre; alioquin enim homo viribus naturæ mereri posset gratiam, per gratiam justificationem, per justificationem demum vitam æternam, ac propterea primus totius progressionis motus esset ab operibus naturalibus, quod admitti nequit, juxta dicta in probationibus. Hoc etiam vel ex eo capite pugnat, quod opera pure naturalia possent mereri id, quod spectat ad ordinem supernaturalem, cujusmodi gratia est. Atque hinc etiam patet disparitas in adducta comparatione justi, aut etiam peccatoris, qui ideo possunt de congruo mereri gratias posteriores, quia primam gratiam, quæ ejusdem ordinis est, gratuito consecuti sunt, ideoque progressio incipit ex gratia supernaturali omnino gratuita.

233. Ad 5^m, *Neg.* Ad prob. *Dist.* Si ageretur de possibilitate absoluta, seu in alia providentia, *trans.*; si agatur de præsentis rerum ordine, de quo nobis constat ex divina revelatione, *neg.* Scribit enim Apostolus, Deum nos elegisse, *ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus*, non autem quia prævidit, nos tales futuros.

234. Obj. secunda. Catholica doctrina de dispensatione gratiæ ex solo divino beneplacito, nulla habita ratione præcedentium operum, nos deducit in absurda virtuti pernicioso. Etenim 1º homini idem esset sive in omni vitiorum cœno volutaretur, sive integrum se ab omni inquinamento servaret; cum tamen experimento compertum sit, homines corruptissimos longe remotiores esse a fide illis, qui honestam ac morigeratam vitam vivunt. 2º Nullum discrimen intercederet inter eos, qui ex destinata malitia delinquant, et eos, qui ex ignorantia aut infirmitate peccant; cum tamen Apostolus de se profiteatur: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* 3º Atque hinc est quod S. Thomas passim doceat, eum, qui in sylvis sit enutritus et omnia legis naturalis præcepta servet, a Deo minime derelinquendum, sed aut per Evangelicum operarium, aut per Angelum etiam, aut per internam revelationem edocendum esse necessaria ad credendum (1). 4º Demum receptum est celebre axioma in scholis catholicis per tercentum continenter annos: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Quod quidem effatum cum potissimum infideles negativos respiciat, de eo necessario exponi debet, qui facit quod in se est ex naturæ viribus, seu etiam, si lubet, ex viribus naturæ per gratiam medicinalem ad difficiliora et ardua præstanda adjutus; quæ quidem gratia etsi per Christum detur, non elevat tamen actiones ad ordinem supernaturalem; nulla enim ante fidei vocationem datur gratia supernaturalis stricte sumpta; alioquin nullum unquam opus mere naturale saltem difficilior daretur, atque actiones infidelium supernaturales essent, quod nemo dicet. 5º Hoc reipsa sensu veteres fere omnes intellexerunt istud axioma; imo et ex

(1) Q. XIV, de Verit. art. XI, ad 1. En ejus verba: *Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis, taliter (in sylvis) nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga*

mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. Opp. tom. VIII, part. II, edit. Rom. 1570.

recentioribus ii pariter idem axioma accipiunt, qui divinam providentiam defendunt contra incredulorum criminationes, asserentium eandem providentiam erga infideles justitiæ leges non servare. Aut igitur semipelagianismi incusandi sunt omnes anti-qui illi scholastici ac recentiores theologi, aut fatendum est ab omni erroris suspitione immunem esse ejusmodi interpretationem; ideoque posse hominem actibus moralis honestatis sibi Deum conciliare, ut gratiam naturalia opera præstanti largiatur. Ergo.

235. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m prob. *Neg.* Quia, etsi Deus gravi peccatorum sarcina onusto possit gratiam conferre, et quandoque etiam conferat ad divitias bonitatis suæ patefaciendas, juxta consuetum tamen suæ providentiæ ordinem iis ut plurimum confert, qui minora obstacula eidem gratiæ opponunt. Atque hinc ratio habetur, quare illi, qui ad honestatis normam mores suos componunt, minus alienos se exhibeant ab amplectenda evangelica doctrina. Qui vero cupiditatibus obsequuntur, maxime eandem doctrinam aversantur, cum eis annunciat, aut eam amittunt, si jam receperunt, aut saltem ita languescit ejus vis in sceleratis quibusque hominibus, ut nulla pene in eis esse videatur; quod superiori seculo ac ætate nostra in non paucis factum esse lugemus.

236. Ad 2^m, *Neg.* pariter, ut ex modo dictis constat; qui enim ex infirmitate atque ex ignorantia delinquant, minora impedimenta divinæ gratiæ opponunt, quam ii, qui ex malitia in peccata proruunt; quo sensu aiebat Apostolus se misericordiam a Deo consecutum esse, minime vero se ob ignorantiam dignum exhibuisse ea misericordia, quam ei Deus ex sola liberalitate sua tribuit, quamque potuisset denegare.

237. Ad 3^m, *Dist.* Quatenus hic *positivam* præ se ferat dispositionem, qua Deus moveatur ad ei per fidem succurrendum, *neg.*; quatenus removet impedimentum per fidelitatem ad anteriores gratias, quas jam Deus ei contulerat, *conc.* Talem mentem esse S. Doctoris non dubito, quæ ex universa ejus theoria aperta fit. Ipse enim pro certo habet, Deum omnibus semper præsto esse auxilio suo tum ordinis naturalis tum ordinis super-

naturalis, utpote fontem totius bonitatis, qui copias suas in omnes effundit (1). Quare, si quis primis gratiis se fidelem exhibeat, *removens prohibens*, ut ipse loquitur, seu tollens impedimentum ulteriorum subsidiorum, sponte sua Deus hæc ipsa concedit per media sive interna sive externa, quandoque etiam extraordinaria, ut eum lucrifaciat. Deus enim homines condidit ad salutem, non ut eos perdat; cum non lætetur in perditione vivorum (2), ac vita sit in voluntate ejus (3).

238. Ad 4^m, *Conc.* axioma in sensu exponendo, et *neg. cons.* Aliud enim est dicere: Facienti quod in se est, Deus *non denegat* gratiam, aliud vero: Facienti quod in se est, Deus *dat* gratiam. Hæc duo permisceri nequeunt, cum valde inter se distent. Si enim opera naturalia cujuscumque meriti vim in se includerent, Deus gratiam omnino concederet, ac propterea aliter effatum illud enunciaretur, ita ut talis foret ejus vis ac significatio: *Facienti quod in se est, Deus dat gratiam*; et sic sensum semipelagianum includere posset. Cum vero dicitur, Deus *non denegat* gratiam, hoc ipso innuitur, non ex debito aliquo, aut merito, quod supponatur in eo, qui facit quod in se est, aut ex aliqua positiva dispositione, Deum moveri ad conferendam gratiam; sed ex solo suo motu, ut ita dicam, ac liberali sua largitate, prout mentem exposuimus Angelici præceptoris. Neque id statim quidem, sed quandocumque ei visum fuerit, citius aut serius, aut etiam in extrema vitæ periodo; indefinite proinde dicitur *non denegat* (4), quovis id demum tempore contingat.

(1) Hoc ostendemus, cum sermo erit de distributione gratiæ.

(2) Sap. 1, 13.

(3) Ps. xxix, 6.

(4) Cfr. Suarez, Tract. *De divina grat.* part. II, lib. IV, cap. 15, ubi cum fuse perpenderit germanum hujus axiomatis sensum, demum, n. 41, in compendium redigens ea, quæ late in toto capite exposuerat, concludit: *Ostendimus, excitantem gratiam necessariam ad salutem generali lege*

omnibus esse per Christum oblatam, et promissam, non absolute, sed sub aliqua conditione ab ipso homine pendente. Hæc autem conditio non est meritum aliquod vel dispositio proportionata supernaturali gratiæ; ergo tantum esse potest conditio non ponendi obicem. Patet consequenter, quia nulla alia potest cogitari, quia licet interdum bona aliqua actio sit necessaria, cum illa per se nihil ad gratiam conducat, solum potest esse

239. Ex qua hujus axiomatis explanatione etiam illud consequitur, scilicet parum referre sive de viribus naturæ sive de viribus gratiæ intelligatur. Qui enim diversimodè ipsum interpretantur, verbis potius quam re inter se dissidere videntur. Nam qui de viribus naturæ illud sumunt, non excludunt, ut vidimus, gratiam medicinalem, ad ardua ac difficiliora præcepta servanda, aut ad graves subinde incurrentes tentationes superandas necessariam, quæ ex Christi meritis datur (1). Eo autem sensu vocant vires naturæ, quatenus actiones ejusmodi gratiæ adjumento factæ non prætergrediuntur terminos moralis honestatis; et sic effugiunt difficultates, quæ in aliorum expositione urgentur. Qui vero de viribus gratiæ istud effatum sumunt, gratiæ nomine significant illas, ut Augustinus vocat, fidei conceptiones, quæ in infidelibus ipsis quandoque reperiuntur, et largo quodam sensu ad actus supernaturales infidelem disponunt ob subsequentes gratias, quas accipit (2).

necessaria, ut obicem peccati impediat, vel potest esse utilis, ut pravas dispositiones et vitia, quæ hominem ad opera gratiæ ineptiorem reddunt, impediatur. Confirmatur, quia, si aliquis adultus omnino caret hac gratia excitante interna, id non est primario ex parte Dei, quia ipse maxime cupit illam omnibus conferre; ergo est ex parte hominis. Causa autem ex parte hominis esse non potest, quod illam non mereatur, vel ad illam se moraliter non præparet, cum id facere non possit ante primum auxilium; ergo solum esse potest causa, quia ponit aliquod impedimentum gratiæ Dei; ergo e contrario conditio in dicta lege inclusa solum est, ut homo non ponat obicem gratiæ Dei. Denique hæc conditio est justissima, et non repugnat dignitati vel liberalitati gratiæ Dei; ergo ita est intelligenda.

(1) Certum est in præsentibus rerum

ordine quamlibet gratiam dari a Deo per Christi merita, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Attamen accuratiores Theologi distinguunt gratiam proprie dictam, quæ incipit a vocatione ad fidem, ab illa quæ tribuitur infidelibus negativis et est improprie dicta; solent cum SS. Augustino et Prospero priorem gratiam vocare *gratiam Christi*, aut *gratiam per Christum*, aut etiam *gratiam Salvatoris*; posteriorem autem, quæ datur infidelibus negativis, et incipit ab imperfectissima Dei cognitione, vocare solent peculiari nomine *gratiam Dei*. Cfr. doctus P. Steph. De Champs, S. J. *De hæresi Janseniana*, lib. III, disp. 8, cap. 12, n. 3 et seqq., vol. un. fol. edit. Paris. 1728, P. Souciet. Hæc autem distinctio præ oculis habenda est, cum lucem afferat ad controversias sequentes dirimendas.

(2) Hæc sunt S. Augustini verba ex

240. Ad 5^m, *Dist.* Sensu modo exposito, *conc.*; sensu semipelagiano, *neg.* Prolata enim hujus effati explanatio semipelagianum sensum excludit. Exinde etiam patet, nullam amplius adesse causam, cur inuratur hæc nota tot tantisque viris, qui per tot secula illud axioma de naturæ viribus exposuerunt (1). Hanc calumniam Novatores seculi XVI primum intenterunt in scholasticos, utpote nimis aperte ipsorum erroribus adversantes (2); postea ingeminarunt Jansenistæ eadem de causa; ac nimia forsitan levitate nonnulli scriptores catholici adoptarunt, non advertentes, se hac ratione Ecclesiæ obrectatoribus causam præbere eam objugandi, quod passa sit impune ac publice in scholis tradi per tantum temporis spatium doctrinam hæreticam, neque pro sapientia et auctoritate, qua pollet, unquam in eam adverterit, ut decuisset; *obscuratas* proinde nonnullas in Ecclesia veritates esse, donec ejus vigilantiam hæretici excitaverint. Quæ omnia absurda sunt, atque a veritate et pio Catholicorum sensu aliena. Quod si nonnulli scholastici ulterius, quam par erat, progressi sunt, nec verba omnia ad amussim temperarunt, exigui numero hi sunt (3), nec confundendi cum multitudine eorum, qui præ-

lib. 1, *Ad Simplic.* quæst. 11, n. 2 : *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniat æternam.*

(1) Cfr. Lessius, *De gratia efficaci*, cap. 10, atque *Append. ad cap. 10*, ubi ostendit Scholasticos communiter, si unum aut alterum excipias, præfatum axioma per tercentum et amplius annos intellexisse de faciente quod in se est ex viribus naturæ, nempe eo sensu, qui a nobis expositus est. Sed. vid. præsertim Carol. Du Plessis d'Argenté, op. cit. in opusculo : *Observationes in testimonia Doctorum scholasticorum, qui a duodecimo seculo ineunte ad hanc usque ætatem de gratia pro conditione corruptæ naturæ*

disputarunt, art. 1, § 15 et seqq., ubi accurate in mentem Scholasticorum inquirat circa istud axioma, eosque vindicat a Novatorum calumnia de pelagianismo aut semipelagianismo.

(2) Hos recensitos vide apud Vasquez, loc. cit. disp. xci, cap. 10.

(3) Calvinus, *Instit.* lib. 11, cap. 3, § 10, scribit : *Qua gratia non quolibet promiscue dignatur Dominus, quemadmodum vulgo jactatur illud, nisi fallor, Occanicum, eam nemini denegare facienti quod in se est.* Et ibid. § 13 indiscriminatim Catholicos omnes, qui suo dogmati repugnant, Pelagianos vocat Wegscheider, op. cit. § 149 : *Placita Semipelagianorum*, inquit, *qui initia emendationis e viribus animo humano insitis, progres-*

fatum axioma sensu exposito acceperunt, ac proinde nunquam docuerunt, homines per opera moralis honestatis Deum sibi conciliare ad gratiam tribuendam, intuitu alicujus meriti etiam de congruo, quod talibus operibus inesset; prout Semipelagiani docebant.

CAPUT IV.

DE NATURA AC DIVISIONE GRATIÆ ACTUALIS IN ORDINE AD
COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII.

241. In salebrosam hic incidimus quæstionem, quæ non solum Catholicos a Novatoribus ac Jansenistis dividit, sed magnam præterea et acerbam in scholis excitavit contentionem.

242. Duo sunt, quæ difficultatem ingerunt, infallibilis nempe vis et efficacia gratiæ ac libertas sub ejusdem efficacis gratiæ motione. Ambo hi articuli, ut dicturi sumus, ad fidem spectant; conatus propterea theologorum eo tendunt, ut ambos adstruant ac simul amico foedere componant. Dum in id incumbunt, alii videntur nimis solliciti de gratiæ virtute extollenda cum detrimento humanæ libertatis; alii vero, dum volunt humanæ libertati prospicere, videntur id præstare cum gratiæ virtutis et efficaciæ jactura. Hinc diuturnæ querelæ, quibus altera schola alteram exagitabat. Nos in pacis viam, quam nobis constituimus, insistentes, expositis ac profligatis Novatorum ac Jansenistarum erroribus, qui germanæ catholicæ doctrinæ adversantur, diversa scholarum placita, prout ab ipsorum patrocinatoribus propugnantur aut impugnantur, afferemus, uniuscujusque judicio relinquentes, ut illud quisque systema eligat, quod viderit melius scopum attingerè, ac solvere difficultates, quæ ab ejusdem gratiæ adversariis proponi solent. Neque enim nunc tempus rixandi est, sed potius jungendi vires animosque ad teterrimos propulsandos impetus, quibus Dei et Ecclesiæ hostes religio-

*sum vero e gratiæ divinæ auxiliis
repetere maluerunt, haud paucis per
multa secula probata fuerunt. Sæpe*

præterea meminit semipelagianismi
Scholasticorum.

nem aggrediuntur, quo optimis quibuscumque nihil antiquius esse debet.

243. Ut igitur propositum assequamur, animadvertendum est, 1^o præsentem controversiam de gratia præveniente agitari; 2^o hanc gratiam spectari posse aut in genere aut in specie, seu, vel in se et natura sua, vel in suis effectibus. Gratia præveniens in genere, prout modo in scholis accipitur, consistit, ut superius diximus, in illustratione mentis, in impulsu seu motu voluntatis, ac demum in auxilio ac robore addito hominis infirmitati; quæ omnia sunt essentialiter supernaturalia. Omnis itaque gratia *illuminat, movet et auxiliatur*; itaque in his homo semper passive se habet.

244. In hoc propterea sensu omnis gratia est semper efficax *ab intrinseco*, ut dici solet; talis vero efficacia, quæ præscindit a futuro hominis consensu, in scholis *efficacia virtutis* nuncupatur. Hac porro homo instructus potest vel bonum agere, vel a malo declinare; contra vero hac destitutus nulla ratione valet ad bonum salutare assurgere, neque, si gravibus appetitur tentationibus, a malo abstinere aut bonum naturalis ordinis præstare, si arduum ac difficile sit, prout ostendimus.

245. Sed præter hanc efficaciam virtutis alia efficacia admittitur, quæ *connexionis* dicta est, ac respicit futurum hominis consensum. Hinc, si adsit hæc efficacia connexionis, gratia dicitur *efficax*; sin vero hæc efficacia connexionis desit, ita ut non habeatur consensus, gratia dicitur *sufficiens*. Atque exinde profluit celeberrima illa in scholis distinctio gratiæ in *efficacem* et *sufficientem*.

246. Si excipias Pelagianos, Socinianos ac Rationalistas, quos superius refutavimus, nemo est qui non agnoscat hanc connexionis efficaciam, cujus indicia sunt bona hominum opera, nec nulla viget in hac parte controversia. Ast ejusmodi connexio inter gratiam et consensum in quo consistit?

247. Juxta Lutheranos et Calvinistas sita est in physica quadam vi necessitatem inferente, cui humana voluntas refragari non possit.

248. Juxta Jansenianos in cœlesti quadam consistit delecta-

tione voluntatem physice prædeterminante ac necessario eam ad consensum trahente, utpote quæ sit intensior opposita concupiscentiæ delectatione et illius relative per gradus victrix.

249. Juxta Thomistas repeti talis connexio debet ex physica prædeterminatione ad actum salutarem.

250. Juxta Augustinianenses, saltem in præsentī hominis lapsu statu, in delectatione cœlesti, quæ sit gradibus superior oppositæ effræni concupiscentiæ, reponenda est.

251. Hi omnes proinde efficaciam gratiæ repetunt ab ipsa natura et essentia gratiæ, quæ secum includit actum, ad quem movet; vocantque propterea gratiam efficacem *a se et ab intrinseco*, cum hoc tamen discrimine, quod Novatores ac Jansenistæ doceant, gratiam actum includere, seu ad eum movere ac prædeterminare *necessario*, ceteri autem id *libere* gratiam efficere contendunt.

252. Congruistæ, respicientes essentialē hanc gratiæ connexionem cum actu seu effectu, confugiunt ad præscientiam divinam atque ad efficaciam gratiæ, seu potius connexionem gratiæ ipsius cum hominis consensu repetunt tum ex vi gratiæ, tum ex præscientia Dei, qui cum certo cognoscat, quid futurum sit, si talis gratia daretur, et decreverit aliquem convertere, eam gratiam confert, cui prævidet certo hominem esse consensurum. Hanc idcirco gratiam vocant efficacem *ab extrinseco*, ex præviso nempe libero hominis consensu.

253. Quod vero spectat ad gratiam *sufficientem*, ea est cui homo resistit, seu cui non consentit; nonnulli eam vocant *inefficacem*, non *inefficacia virtutis*, sed respectu consensus, quem reipsa ab homine non obtinet.

254. Calvinus post Lutherum nullam gratiam mere sufficientem admisit.

255. Jansenius fidissimus eorum discipulus pariter gratiam vere ac mere sufficientem nunquam agnovit, nec nisi verbo tenus ab iis differt.

256. Ex scholasticis Thomistæ et Augustinianenses inefficaciam gratiæ sufficientis repetunt ab ipsa natura seu essentia gratiæ, quæ dat quidem *posse*, sed non dat *agere*, seu *possibilitatem* tantum confert, non autem *actum*.

257. In sententia Congruistarum ejusmodi inefficacia a solo pendet voluntatis arbitrio.

258. Nostri muneris proinde est, primo hominis libertatem sub gratiæ motione tueri adversus Novatores ac Jansenistas; deinde tentamina exponere, quibus theologi, juxta uniuscujusque scholæ placita, gratiæ efficaciam cum libertate conciliare adnisi sunt; tertio denique gratiæ sufficientis existentiam vindicare. Hæc autem tribus peculiaribus articulis præstabimus.

ARTICULUS I.

De gratia efficaci.

259. Novatorum doctrina circa naturam gratiæ, quæ hominem necessario impellat et adigat ad operandum, connectitur cum ipsorum theoria de primi parentis statu ac sequenti lapsu, quam supra exposuimus. Cum enim homo per peccatum in ipsorum hypothese omnem actionem seu, ut vocant, *activitatem* voluntatis amiserit ac ipsam *potentiam* ad volendum in ordine potissimum ad justificationem, plane consequitur hominem adinstar machinæ aut lapidis permoveri a Deo debere. Hoc principium, quod sub alio verborum apparatu sibi Jansenistæ usurparunt, eos pariter adduxit in eandem consecutionem. Inde enim Jansenius theoriam suam de systemate delectationis relative per gradus victricis, quo homo lapsus necessario ab alterutra delectatione, cœlesti aut terrena, ageretur, mutuatus est. Aut enim homo omni destitutus intrinseca ac propria voluntatis actione dominio subest victricis concupiscentiæ, et necessario in malum ac peccatum fertur; aut subest dominio victricis delectationis cœlestis, et necessario ad bonum adigitur ac physice prædeterminatur (1); nec tamen sub hoc imperio meriti aut demeriti incapax fit (2). Etsi vero, si rem spectemus, perniciosus hic error tum Novatoribus tum Jansenistis communis sit, atque ex eo-

(1) Ita Jansenius, lib. VIII, *De gratia Salvatoris*, cap. 3, cujus verba inferius dabimus, ubi etiam hoc sys-

tema fusius enucleare tentabimus.

(2) Cfr. Tract. *De Deo Creat.* n. 495 et seqq.

dem principio profluat , cum nihilominus diversa ratione Novatores ac Jansenistæ eundem tueantur , hinc distinctis propositionibus eum oppugnare cogimur.

PROPOSITIO I.

Gratiæ efficacia nullam infert hominì necessitatem , seu homo liber est in actibus salutaribus.

260. Hæc propositio est de fide ; definita enim est a Concilio Tridentino adversus Novatores , sess. VI , can. IV : *Si quis dixerit , liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti , quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet , neque posse dissentire , si velit , sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere , anathema sit.*

261. Sic autem ex sacris litteris ejus veritatem ostendimus : Ubi voluntas se ipsam movet , flectit atque ad agendum determinat , ubi agit et operatur , ubi demum sic agit et operatur , ut possit non agere et operari , ibi auxilium divinum seu gratia , sive accedendo sive movendo , nullam infert voluntati necessitatem , atqui ita se habere voluntatem in operibus piis ac salutaribus , ac propterea cum gratia efficaci peractis aut peragendis , Sacræ Litteræ luculentissime docent.

262. Ac primum quidem inter cetera testimonia hæc aperte ostendunt : Zach. I , 3 : *Convertimini ad me , et ego convertar ad vos* ; Ps. CXVIII , 112 : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas* ; et Apostolus , I Timoth. IV , 7 , sic Timotheum hortatur : *EXERCE teipsum ad pietatem.*

263. Alterum vero constat ex eodem Apostolo , qui , Philipp. II , 12 : *Cum metu* , inquit , *et tremore salutem vestram OPERAMINI* ; et I Cor. III , 8 , scribit : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ; Dei enim sumus adjutores (græce συνεργοί , id est , cooperatores) (1) ; qui præterea de se ipso*

(1) Ἐκαστος τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. Θεοῦ γὰρ ἐσ-

testatur, *ibid.* XV, 10 : *Gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

264. Tertium denique evincunt, quæ leguntur, *Eccl.* XXXI, 10 : *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit;* ac *I Cor.* VII, 37 : *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc quidem judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.*

265. Post adeo aperta Scripturarum oracula supervacaneum foret, Patrum congerere sententias ad eandem adstruendam veritatem, cum Calvinus ipse unanimum ipsorum consensum contra se esse plane fateatur; sic enim scribit: *Voluntatem movet (gratia), non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo* (1). Quoniam vero in S. Augustino patrociniū se invenisse jactat, ideo illi unius S. Augustini auctoritatem opponimus, qui integrum librum *De gratia et libero arbitrio* ad refellendum exitiosum Calvini errorem scripsisse visus est. Sic porro scopum suum in hoc opere exarando ab ipso limine aperuit S. Doctor: *Quoniam sunt quidam, inquit, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scribere... compellente mutua charitate, curavi* (2).

266. Absurda demum, quæ ex Novatorum hypothesi sequuntur in omnium oculos veniunt. Illa siquidem semel constituta, impune homines in quævis flagitia proruere possent sub prætextu, quod ea gratia destituti sint, qua impellantur in bonum. Nulla jam aut virtuti laus aut meritum relinqueretur; nullum incitamentum homini superesset, quo ad bene ac pie agendum ex-

μεν συνεργοί. Hujus vocis occasione Novatores vocant Catholicos, docentes liberam ad gratiam cooperationem, *Synergistas.*

(1) *Instit.* lib. II, cap. 3, § 10, edit. Amstelodam. 1667.

(2) Cap. I.

citaretur, aliaque his similia; quæ longum esset enumerare. Verum his prætermisissis sic pressius Novatores perstringimus: Falsa est ea doctrina, quæ ex falso profluit principio; tale porro est principium Novatorum, amissum nempe et extinctum fuisse primi parentis peccato liberum voluntatis arbitrium, ut suo loco ostendimus (1). Ergo.

DIFFICULTATES.

267. Obj. prima. Efficacia, quam Scripturæ tribuunt gratiæ, talis est, ut omnem indifferentiæ activam libertatem homini adimat. Etenim, Ezech. XXXVI, 26, ex Dei nomine legitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum... et faciam ut in præceptis meis ambuletis*; et Joan. VI, 44: *Nemo potest, inquit Christus, venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; et v. 45: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me*. Apostolus denique, Philipp. II, 13: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Gratia igitur Christi nullam in homine actionem relinquit, qui passive omnino se habet sub ipsius potentia et actione.

268. Resp. *Neg. antec.* Ad adductas vero probationes, resp. 1^o generatim, *Dist.* Et adducta testimonia hisque similia infallibilem divinæ gratiæ efficaciam adstruunt, qua Deus ab humana voluntate obtinet quidquid vult, *conc.*; adstruunt gratiæ efficaciam, quæ necessitatem inferat, *neg.* Contrarium enim ubique Scripturæ supponunt, ut probationes, quas protulimus, imo et totius salutis œconomia juxta easdem Sacras Litteras ostendunt. Quo autem pacto infallibilis gratiæ efficacia et illæsa humana libertas simul amice consistent, gordius nodus est, quem jampridem S. Augustinus agnovit et prædicavit illis verbis: *Ista quæstio; ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur*

(1) Tract. De Deo Creat. loc. cit. et lib. arbit. cap. 10 et seqq.
Cfr. etiam Bellarm. lib. vi, De grat.

Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri (1). Ad ipsum enodandum scholarum systemata invecta sunt, de quibus postea. Interim utrumque tenendum, tum nempe infallibilis gratiæ effectus, tum libera hominis cooperatio, ut fides docet, etsi utriusque nexum intime pro imbecillitate rationis nostræ minime introspeciamus. Effata autem Scripturarum, quæ objiciuntur, hanc veritatem minime evertere, vel ex eo constat, quod ipsa gratiæ effectum tantummodo patefaciant, etsi non attingant, modum quo hominis assensus obtineatur, quem plane liberum esse alibi aperte declarant. Hisce positis, ad singula descendimus.

269. Ezechielis verba gratiæ vim significant, qua peccatorum corda flectuntur ad conversionem, *conc.*; vim, quæ necessitatem inferat, *neg.* Alioquin Deus ea locutione usus non esset: *Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, id est, efficiam, *ut in præceptis meis ambulent*, ut expresse dicitur in loco parallelo, XI, 19, per novum Spiritum, quem eis promittit. Nec obest metaphora *cordis lapidei* ad significandum cor pertinax et indocile, quod opponit *cordi carneo*, apto scilicet recipiendæ disciplinæ (2); attendendum siquidem est in troporum usu ad indolem hebraicæ linguæ (3).

270. Trahit Pater ad Filium modo liberæ humanæ voluntati consentaneo, *conc.*; auferendo libertatem, *neg.* *Videte*, inquit S. Augustinus, *quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo* (4). Sic etiam: omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad Christum per liberam cum gratia cooperationem, *conc.*; necessitate ductus, *neg.*

271. Deus denique operatur in nobis velle, nos excitando et adjuvando, ut libere velimus, *conc.*; ipsum velle in nobis ac sine nobis producendo, *neg.* *Non enim, quia dixit* (Apostolus): *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, superius non dixisset: Cum timore et tremore ves-*

(1) Lib. *De grat. Chris.* cap. 47. et lib. *arb.* cap. 15, n. 3, 4, 5.

(2) Cf. Rosenmüller, in hæc loca. (4) *Tract. xxvi in Joan.* n. 7, cfr.

(3) Cf. Bellarm. lib. vi. *De grat.* etiam ib. n. 4, 5, 6.

tram ipsorum salutem operamini. Ut iterum hunc locum exponit S. Augustinus (1).

272. Inst. Peccatores in Scripturis passim mortui ac sepulti dicuntur; nihil igitur operantur, cum per Christi gratiam in vitam revocantur.

273. Resp. *Neg. cons.* Licet enim peccatores re ipsa mortui sint in ordine ad vitam spiritualem, fruuntur tamen vita naturali; dum propterea per gratiam prævenientem excitantur, capaces fiunt ad assensum præstandum, si eidem gratiæ velint obtemperare (2).

274. Obj. secunda. S. Augustinus totus est in ineluctabili gratiæ vi commendanda adversus Pelagianos ac Semipelagianos. Etenim 1° in lib. *De grat. Christi : Deus*, inquit, (per gratiam) *ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat* (3). 2° Et in lib. *De correp. et grat.* scribit: *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et INSUPERABILITER ageretur* (4); 3° et iterum ibid: *Non est dubitandum, inquit, voluntati Dei... humanas voluntates non posse resistere* (5). Et rationem reddit, 4° adjiciens: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem* (6). Et hæc speciminis gratia; 5° siquidem S. Doctor totus in eo est, ut hanc veritatem inculcet et adstruat. Ergo.

275. Resp. *Neg. antec.* Tantum enim abest, ut hanc ineluctabilem gratiæ vim statuat S. Augustinus adversus Pelagianos ac Semipelagianos, ut nulla usquam de hoc argumento inter sectarios illos et sanctum Doctorem intercesserit disceptatio. Quin potius cum ab ejus æmulis hæc impacta fuerit S. Augustino calumnia, hanc ipse totis viribus a se repulit ac propulsavit, ut tum ex dictis tum ex dicendis planum fiet. Scopus igitur Augustini

(1) Lib. *De grat. et lib. arb.* c. 9.

(4) Cap. 13, n. 38.

(2) Cfr. Bellarm. lib. vi, *De grat. et lib. arb.* cap. 15, n. 23, 24.

(5) Cap. 14, n. 45.

(6) Ibidem.

(3) Cap. 14.

hic est, ut adstruat certitudinem infallibilem divinæ prædestinationis. Porro, ut hoc sibi propositum obtineat, ad duplex confugit adjumentum, nempe ad omnipotentiam Dei et ad ejus scientiam. Ad omnipotentiam quidem, quatenus ipsa plures habet gratias in sua potestate, ita ut, si homo uni resistat, aliam ei tribuat; ad scientiam vero, quatenus eam tribuat, cui prævidet hominem libere consensurum. Quare duo hæc semper S. Doctor conjungit, ex. gr. dum scribit ad Simplicianum: *Quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia, si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur* (1). Et paulo infra: *Nullius Dei frustra misereatur; cujus autem misereatur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat* (2). Nec unquam destitit S. Doctor ab horum attributorum conjunctione in gratiæ virtute exponenda, ita ut in postremo suorum operum adversus Julianum scribat: *Absit ut impediatur ab homine omnipotentis et cuncta præscientis intentio* (3). Frustra autem confugisset ad Dei præscientiam, si Deus voluisset necessitatem inferre humanæ voluntati; ad hoc enim satis erat, urgere solam omnipotentiam.

276. Deinde perperam permiscet adversarii *omnipotentiam cum gratia* Dei. Gratia enim, utpote creata ac finita, potest suo effectu frustrari, non autem Dei omnipotentia, cui nulla resistere profecto potest creata voluntas. Et hinc responsio patet ad singula objecta testimonia aliaque id genus, quæ afferri possent. Verumtamen, ut illuc etiam admoveamus hæc principia, sic pergimus.

277. Ad 1^m, *Dist.* Ita Deus docet, ut homo videat, appetat, ac perficiat *libere, conc.; necessario, neg.*

278. Ad 2^m, *Dist.* *Ageretur*, id est, *corroboraretur* infirmitas humanæ voluntatis adversus concupiscentiam et hujus vitæ calamitates, *conc.; ageretur ad indeclinabiliter et insuperabi-*

(1) Lib. 1, q. 11, n. 13.

(2) Idid. n. 13.

(3) *Oper. imperf. contra Jul.* lib. 1, cap. 93.

liter (1) operandum, *neg.* Hunc enim sensum postulat totus contextus. Hæ enim voces non in humanam voluntatem cadunt, sed in concupiscentiam et adversitates hujus vitæ, a quibus voluntas, divina gratia instructa ac roborata, superari non possit, si gratiæ firmiter obtemperare statuerit. Subdit enim post citata verba : *Et ideo, quamvis infirma (voluntas), non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur* (2).

279. Ad 3^m, *Dist.* Voluntati Dei resisti non potest, *conc.*; Dei gratiæ juxta dicta, *neg.*

280. Ad 4^m, *Dist.* Cum vocat, ut scit ei congruere, ut vocantem non respuat, *conc.*; necessitatem inferendo, *neg.*

281. Ad 5^m, Nego talem unquam fuisse mentem S. Augustini, qui ex professo hunc errorem respuat ac toties refellit;

(1) Non levis exorta est controversia circa germanam hujus loci lectionem. Alii enim contendunt, legendum esse *insuperabiliter*, alii vero *inseparabiliter*. Maurini editores legunt *insuperabiliter*, nec admonent, ut alias facere solent, non paucos codices huic lectioni refragari. Ante ipsos eandem lectionem usurparunt editores Lovanienses, in edit. Antwerpiana ex officina Plantiniana, 1576. Demum retinuit Joan. Clericus in nova editione recensionis Benedictinorum, quam dedit sub ementito nomine loci, anno 1700, siquidem typis prodiisse dicitur *Antwerpiae sumptibus societatis*, cum exploratum sit hanc editionem infidelem factam fuisse ab hæreticis Amstelodami. Cfr. *Acta SS. Bolland.* ad diem 28^m Augusti, pag. 214, ubi fraus detegitur. Hæc editio ab ipsis sectariis improbat; nam et interdum verba in ea mutata sunt et integræ periodi sublata. Quod quidem monui, ne minus cantu decipiantur. Ceterum plures MSS. codices

utrique lectioni favent. Habent inter ceteros *insuperabiliter* cod. S. Marci, 662, 1. xi; cod. 5 Medic. plat. 12, 5, 15; cod. 8 et 21 Med. Fesul. sec. xv. Habent *inseparabiliter* ms. s. Marci 642, 5, xiii; item 668, 5, x. Optimæ notæ ms. Sancti. Marci, 661, anni 1429, legit *inseparabiliter adjuvetur*. Sed quacumque lectio retineatur, perinde est; sensus enim catholicus, quem exposuimus, eodem recidit. Ex quo jam detegitur pessima agendi ratio Clerici in edit. citata, ubi ad hæc S. Augustini verba in margine posuit : *Gratia, qua infirmæ voluntati subvenitur, eam indeclinabiliter et insuperabiliter agit*. Cfr. tamen March. Scipion. Maffejus, *Hist. theologica gratiæ*, lib. xii, cap. 7, § 2, edit. cit. pag. 200.

(2) Cfr. Tricassinus, *De indifferenti lapsi hominis arbitrio*, part. 1, sect. II, et part. III, sect. III, § 1, ubi egregie hoc versat argumentum.

Liberum ergo, inquit, arbitrium evacuumus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus (1).

PROPOSITIO II.

Gratia efficax non consistit in delectatione cœlesti indeliberata; superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem ad assensum necessario impellente.

282. Propositio hæc est de fide adversus Jansenium, cujus quinque propositiones, quas referemus, tanquam hæreticæ damnatæ sunt a Romanis Pontificibus, quorum judicium exceptit et probavit universa Ecclesia (2). Id ipsum patet ex canone superius relato Concilii Tridentini, in quo anathema iis dicitur, qui asserunt per gratiam tolli liberum arbitrium (3).

(1) Lib. *De spirit. et litt.* cap. 30. Cfr. Tricass. op. cit. tota parte II in qua octoginta argumentis ex S. Augustino depromptis luculenter ostendit, S. Doctorem constanter indifferentem voluntatis humanæ libertatem sub gratia prædicasse; tum parte tertia, in qua plenissime solvit difficultates Calvini et Jansenii. Vid. præterea Maffei opus, lib. XIV.

(2) Cfr. Tournely, Tract. *De grat.* part. I, quæst. III, *De Jansenio*, ubi late totam historiam Jansenismi ejusque damnationis prosequitur. Cfr. etiam Dechamps, op. cit. *Præfat.*

(3) Frustra Janseniani eo prætextu admittunt se anathemati Tridentini Concilii subducere, quod Jansenius profiteatur se liberum arbitrium tueri sub gratia, quia ipsi non opponitur nisi coactio, non autem necessitas. Frustra, inquam, quia Calvinus ipse ultro factus est, et quidem sæpissime, se non aliud admittere liberum arbitrium,

quam quod immune est a coactione, quæ sola veræ libertati opponitur. Plura possem ad hoc ostendendum ex Calvino testimonia promere; sed istud, ne nimius sim, sufficiat, quod extat, *Instit.* lib. II, cap. 3, § 5: *Porro, inquit, quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci, mirum est si cui videatur aspera loquutio, quæ nec absonum habet quidpiam, nec a sanctorum usu aliena est. Offendit autem eos, qui inter necessitatem et coactionem distinguere nesciunt. At si quis eos interroget: Annon Deus necessario bonus sit? Annon diabolus necessario malus?... Ergo, si liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit, quod necesse est illum bene agere; si diabolus, qui non nisi male agere potest, voluntate tamen peccat, quis hominem ideo minus voluntarie peccare dicet, quod sit peccandi necessitati obnoxius? Sed cohi-*

283. Jansenius suam theoriam tum alibi tum lib. VIII, *De gratia Salvatoris*, præsertim vero cap. III, aperuit, quod sic inscripsit: *Adjutorium Christi determinat ac prædeterminat etiam physice voluntatem, ut velit, et ardentius velit, et ex quo capite istud accidat.* Porro ibid. ostendere nititur, id accidere ex delectatione: *Quæ facit, inquit, ut NECESSE SIT animum istud sequi, et secundum istud operari, QUOD AMPLIUS DELECTAVERIT (1).* Totum vero suum systema deducit ex principio antea a se constituto de amissa per peccatum libertate indifferentiæ, ut constat ex iis, quæ scripsit lib. III et IV, *De statu naturæ lapsæ*; quo fit, ut

bere me nequeo ab alio ejusdem hæresiarchæ textu afferendo ex lib. II, *De lib. arb. advers. Pighium*, edit. 3^a, Genev. pag. 153, ubi: *Si coactioni, inquit, opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Nec alia fuit sententia Lutheri, qui in libro *De servo arbitrio*, fol. 468, ita mentem suam aperit: *Sequitur nos necessario operari; necessario vero dico, non coacte; hoc est, homo, cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut captus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quod voluntas se se mutare etvertere alio non possit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata et blande assibilata per Spiritum Dei voluntas iterum mera lubentia et pronitate ac sponte sua vult et facit, non coacte, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur,*

voluntas non esset; nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas. Alia plura cfr. apud Echamps, lib. op. cit. I, disp. II, cap. 2; tum lib. II, disp. III, cap. I seqq. Cum igitur hanc doctrinam utpote hæreticam anathemate perculerit Synodus Tridentina, patet, hæreticam esse doctrinam Jansenii, ac merito proinde hanc notam ei inussisse Romanos Pontifices. Ceterum, quamvis per ambages nisus sit Jansenius se a Calvino discernere, parum tamen his fidens, non obscure innuit, Calvinum ab Augustini, quam ipse autumat, doctrina non recedere; sic enim scribit, lib. VIII, *De grat. Salvat.* cap. 21, pag. 570, col. 2: *Quod si qua in re Calvinus cum Augustino et antiquis Patribus senserit, non propter Calvinum Augustino indignandum est, sed propter Augustinum Calvino potius gratulandum.* Et ibid. pag. 255: *Facessat, inquit, et ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Augustini est, illorum error esse non potest.*

(1) Ibid. pag. 346.

voluntas moveri ac flecti non possit, sive ad bonum sive ad malum, nisi necessitate antecedenti ab alterutra delectatione terrena aut coelesti producta agatur.

284. Jam vero gratiæ efficaciam ab hac physica prædeterminatione, necessario impellente humanam voluntatem per delectationem coelestem, gradibus superiorem opposita delectatione seu concupiscentia, ac ideo necessario relative victricem, minime esse repetendam, sic in primis ostendimus. Gratia efficax non perimit liberum arbitrium, ut ex iis, quæ disseruimus in præcedenti propositione, liquet; liberum autem arbitrium non consistit in sola immunitate a coactione, sed consistit præterea in immunitate a necessitate, seu in libertate indifferentiæ, ut constat tum ex iis, quæ de hoc argumento alias egimus (1), tum ex prop. III^a Jansenii quæ ut *hæretica* proscripta est: *Ad merendum, vel demerendum*, etc. Ergo ab hac physica prædeterminatione, necessitatem inferente humanæ voluntati per delectationem gradibus relative victricem, repetenda non est gratiæ efficacia, quæ indifferentiæ libertatem destruit.

285. Insuper: In eo principio constitui nequit hæc efficacia, quod est falsum, hæreticum ac pugnans cum reliqua ejusdem auctoris doctrina. Tale porro est principium Jansenii de relative victrici delectatione.

286. 1^o Falsum est. Non enim delectatio est unicum medium, quo homo, saltem proxime, e vitiorum cœno educitur, atque ad conversionem ac salutem fertur, uti Jansenius constituit ac pro certo sumit; plura siquidem alia suppetunt media, quibus homo a vitiis retrahitur, atque ad bonum inflectitur, ut Sacræ litteræ docent. Nam Eccl. I, 27, dicitur: *Timor Domini expellit peccatum*; et Jerem. XXXII, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. Demum Christus ipse, Matth. X, 28, ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*.

287. Præclare diversas rationes, quibus per gratiam ad sanc-

(1) Tract. De Deo Creat. loc. cit.

titatem trahimur, post magistrum suum Augustinum S. Prosper recenset, dicens: *Trahit timor; principium enim sapientiæ timor Domini. Trahit lætitia; quoniam lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo. Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, esuriant; ac subito mutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, fiant aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia; quæ obscura, sint lucida? Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult (1).*

288. Quoniam vero Jansenius S. Augustini potissimum auctoritate nititur, ineluctabilia ejusdem S. Doctoris testimonia eidem opponimus. Etenim *De peccator. merit. et remiss.* lib. II: *Etiam illa peccata juste imputari, inquit, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus aut doloris, aut mortis (2).* Sed præcipue illud urgemus, in quo ipse Sanctus de se ipso profitetur, non semper se operatum fuisse pro majori, quæ eum præveniebat, delectatione: *Non faciebam, inquit, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat (3).* Ex his itaque patet, 1º falsum esse, delectationem tanquam unicam rationem haberi posse, qua Deus a peccato nos retrahit. 2º Falsum esse, S. Augustinum per celebre illud effatum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, intellexisse delectationem antecedentem ac indeliberatam. 3º Falsum propterea esse, prout ex Sacris Litteris et ex B. Augustino constat, principium totius Janseniani systematis.

(1) Lib. *Contra Collat.* cap. VII, inter opp. S. August. tom. X. Plura alia cfr. apud Fontaine, op. cit. in prop. XLIX Quesnelli, ubi adductis Scripturarum ac Patrum auctoritatibus ostendit, hominem moveri a pluribus

aliis motivis ad bene agendum præter charitatem et delectationem; nec non in prop. XLIV.

(2) Cap. 10, n. 15.

(3) *Confess.* lib. VIII, cap. 8, n. 20.

289. 2^o Sed hæreticum præterea est. Hæreticum enim illud principium censendum est, ex quo necessario ac evidenter profluunt hæreticæ consecutiones, quodque eas includit; tale autem est istud Jansenii principium. Posito siquidem Jansenii systemate de delectatione relative ac necessario victrice, jam sequitur :

290. 1^o *Aliqua præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentēs, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Cum nempe in homine justo delectatio minor cœlestis, seu gratia parva, conflictat cum delectatione terrena majori opposita, ille necessario trahitur ad peccatum. Hæc autem propositio damnata est ut *impia et hæretica.*

291. 2^o *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Cœlestis enim delectatio juxta Jansenium semper producit effectum, ad quem datur, sive superior gradibus sit sive inferior opposita delectatione. Nam, si superior sit, necessario vincit terrenam delectationem; si sit inferior, producit necessario illos indeliberatos motus, ad quos confertur. At hæc pariter secunda propositio declarata est *hæretica*, et ut talis damnata.

292. 3^o Sequitur : *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;* quandoquidem homo meretur etiam in his, quæ necessario agit. Quare et hæc propositio *hæretica* fuit declarata et damnata.

293. 4^o Ob eandem rationem sequitur quarta propositio, quæ ut *falsa et hæretica* dijudicata est, quæ ita se habet : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

294. 5^o Demum profluit, quod in quinta propositione, ut *hæretica* item proscripita, asserit Jansenius : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Etenim pro iis tantum mortuus est Christus, pro quibus gratias vere sufficientes obtinuit; tales vero non

sunt in Jansenii systemate nisi victrices, quas oppido plurimi non consequuntur (1).

295. 3^o Denique pugnat absurdum hoc principium cum doctrina, quam ipse Jansenius alibi profitetur. In eo enim gratiæ relative victrices non essent efficaces ab intrinseco; non darentur nisi habito respectu ad gradus oppositæ delectationis terrenæ seu concupiscentiæ cognitos per scientiam mediam; protoparentes peccare non potuissent in innocentia constituti; quæ tamen omnia adversantur doctrinæ, quam ipse alibi tenet, aberrant ab ejus scopo, quæque propterea ipse vehementer insectatur in Molinistis. Ergo (2).

DIFFICULTATES.

296. Obj. prima. 1^o S. Augustinus in *Comment. in Epist. ad Galat.* velut axioma statuit: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est* (3). 2^o De indeliberata porro et antecedenti delectatione intelligendum esse celebre hoc effatum, constat ex iis, quæ scribit idem S. Doctor. in lib. II, *De peccat. merit. et remiss.*, ubi: *Nolunt, inquit, homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius* (4). 3^o Quod vel ex ipsa gratiæ actualis definitione colligitur, quam S. Pater toties præbet, dum eam vocat *inspirationem dilectionis, amoris, charitatis*, etc. aut *victricem delectationem* (5). 4^o Quæ quidem omnia de sola delectatione antecedenti ac indeliberata intelligi possunt. Quid enim aliud ipsa delectationis vox denotat nisi

(1) Cfr. Tournely, op. cit. part. I, quæst. III, *Systema doctrinæ Jansenii*.

(2) Cfr. ibid. part. II, quæst. IX, art. II, unica concl. Cfr. etiam De-champs, op. cit. lib. III, disp. III, cap. 6, nec non Car. Du Plessis d'Argentré, *Variæ quæstiones theologice*, Paris. 1712, Opusc. I, *De vo-*

luntaria necessitate, et morali impotentia recte agendi, etc. contra Nicolium accurata disputatio.

(3) N. 49.

(4) Cap. 18.

(5) Ibid. lib. IV, ad Bonif. cap. 5, n. 11; *De peccat. merit.* lib. II, cap. 19, n. 32 et 33, etc.

amorem indeliberatum et antecedentem ? 5° Amor siquidem deliberatus non est delectatio , sed fructus præviæ delectationis. Quoties propterea S. Augustinus majorem delectationem nominat , de prævia delectatione loquitur atque de amore indeliberato. 6° Quamvis nec ratiocinationibus opus sit, cum satis aperte ipsemet mentem suam declaret , scribens : *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit* (1). 7° Vere igitur dixeris systema delectationis relative per gradus necessario victricis germanum S. Augustini systema esse ; quod ipse perpetuo inculcat , quodque ab eo Jansenius mutuatus est ac luculentius explanavit.

297. Resp. ad 1^m, *Dist.* Quod amplius nos delectat delectatione deliberata et electiva , seu consequenti , *conc.* ; delectatione indeliberata et voluntatis assensum præveniente , secundum id agamus necesse est , *neg.* Sensus itaque istius effati est : Secundum id operemur necesse est , quod magis diligimus , seu secundum id quod magis arridet ; ita ut necessitas non sit nisi consequens. En quomodo mentem suam aperiat S. Doctor paulo post citata verba : *Manifestum est, inquit, certe secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ et consuetudo carnalis, et utrumque diligitur, id sectabimur, quod amplius dilexerimus..... sed pax Christi vincat in cordibus nostris* (2).

298. Verum ut omnis vocis ambiguitas removeatur, qua passim adversarii abutuntur in exponenda mente S. Augustini, animadvertendum est, duplicem a S. Doctore distingui delectationem, alteram *objectivam* seu inhærentem objecto ipsi, quod vel pulchritudine sua vel suavitate aliisve illecebris necessario et antecedenter mentem aut sensus allicit ; et hæc delectatio nec subest rationis imperio, nec ipsam invitam determinat ad agendum ; alteram vero *subjectivam*, quæ ex arbitrii seu volun-

(1) *Lib. de Spir. et Litt. cap. 29,*
n. 51.

(2) *Expos. Epist. ad Gal. n. 54.*

tatis determinatione pendet, ac libera propterea omnino est, et electiva dicitur et consequens. Delectatio objectiva tam competit gratiæ quam concupiscentiæ, quibus anima antecederet, indeliberate, imo necessario urgetur; nec enim anima potest non sentire quod sentit, neque potest non allici aut titillari ex inhærente ipsis objectis dulcedine ac suavitate. Delectatio autem subjectiva cum subsit mentis imperio, ex ea pendet, ita ut ex duabus objectivis, quæ sibi offeruntur, delectationibus, et a quibus ad opposita urgetur, perpensis motivis aliisque præstitis quibus opus est, ad unam potius quam ad alteram se flectat, unam præ altera amplectatur et eligat, in una potius quam in altera delectetur (1). Cum vero de utraque passim delectatione

(1) Placet hæc omnia confirmare ex iis, quæ habet S. Doctor, *Serm. xvii De verbis Apostoli*; ubi latissime et ex professo hanc versat materiam, de qua sic incipit loqui, cap. 2, dicens: *Inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipsa justitia* (en duplicem delectationem, objectivam et subjectivam); *non ut alia non delectent* (objective), *sed plus illa (justitia) delectet* (delectatione subjectiva, quæ ab electione pendet). *Delectant enim quædam naturaliter* (id est, non libere, sed necessario) *infirmi- tatem nostram, ut cibus et potus delectant esurientes atque siti- entes; ut nos delectant hæc lux, quæ de cælo funditur... delectat canora vox et suavissima cantilena, delectat odor bonus, delectant etiam tactum nostrum quæcumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia, quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, ut dixi, oculos spectacula ista magna naturæ; sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer*

suaviter cantatus delectat auditum; sed delectant auditum etiam cantica histrionum. Hoc licite, illud illicite. Delectant olfactum flores et aromata, et hæc Dei creatura; delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licite, illud illicite... Videtis ergo, carissimi, esse in istis corporis sensibus licitas et illicitas delectationes. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; et ei delectationi, qua licite delectaris, præpone justitiam. Ergo ex mente S. Doctoris ab electione nostra ac optione pendet in uno potius objecto quam in altero delectari, quod falsum esset, si ipse loqueretur de delectatione antecedente ac trahente necessario assensum nostram. Magis hoc patet ex pluribus exemplis, quæ ipsemet subjicit, ibid. cap. 3, ad rem hanc declarandam, fidei nempe et carnis, servi deformis et fidelis ac servi speciosi et infidelis, auri et justitiæ, etc. De hac porro delectatione subjectiva deliberata, consequenti, quæque ab electione pendeat, disserere S. Augustinum in cele-

loquatur S. Augustinus, qui ejus auctoritate abutuntur, utramque miscent atque perturbant, ut videantur absurdam doctrinam ex Augustino haurire; eidemque S. Doctori eam adscribere non verentur. Ceterum, quoties S. Doctor loquitur de gratia aut concupiscentia, toties eis adscribit delectationem objectivam; quoties vero de mentis assensu ac de effectibus gratiæ et concupiscentiæ, toties pariter loquitur de delectatione deliberata, consequenti ac libera seu subjectiva. His declaratis, ita singillatim ad propositas difficultates respondemus.

299. Ad 2^m, *Neg.* Ad prob. *Dist.* Loquitur S. Doctor cit. loc. de delectatione subjectiva et consequenti comparate ad delectationem objectivam et antecedentem, *conc.*; loquitur de sola delectatione antecedenti, *neg.* Responsio patet ex dictis et ex verbis ipsis.

300. Ad 3^m, 4^m, 5^m, et 6^m *Dist.* Agens de delectatione objectiva in ordine ad subjectivam, *conc.*; secus, *neg.* Eadem enim est responsio. Nam, detecta æquivocatione seu potius adversariorum fraude, difficultates omnes ex se concidunt.

301. Ad 7^m, *Neg.* Tantum enim distat mens S. Augustini a mente et sensu Jansenii, quantum lux a tenebris ac cœlum a terra; ut ex superius facta animadversione constat, et qua sola cetera omnia, quæ huc referuntur, quæque sive ex S. Augustino sive ex ratione petita objici possent, facile disjiciuntur, nec tempus in iis enucleandis terendum est (1).

bri effato, quo tantopere abutitur Jansenius: *Quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est, patet ex integro contextu, qui ita se habet: Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; ut, verbi gratia, occurrit forma speciosa fœminæ, et movet ad delectationem fornicationis; sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam, quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc ope-*

ramur. Agit igitur de actione externa, docetque, nos operari exterius secundum id, quod per electionem et deliberatum voluntatis actum magis amamus.

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti lapsi hominis arbit.* part. II, sect. LI; tum Dechamps, *De hæresi Janseniana*, lib. III, disp. III, cap. 6 et seq. Dionys. Petavii, *De Tridentini Concilii interpretatione, et S. Augustini doctrina*, lib. un. item *De delectationibus cœlesti ac terrena ad gra-*

ARTICULUS II.

Theologorum systemata circa gratiæ efficaciam.

302. In eo omnes catholici Theologi conveniunt adversus Novatores et Jansenistas, hominem liberum esse sub gratiæ prævenientis motione ac libere eidem cooperari, prout definitum est in Concilio Tridentino.

303. Dissidium tantummodo inter ipsos exoritur, quum conciliare volunt infallibilem gratiæ efficaciam cum libera hac humanæ voluntatis cooperatione, ita ut homo, quem gratia prævenit, semper possit, si velit, ei resistere aut obtemperare. Varia porro ad hoc excogitata sunt ac circumferuntur in scholis catholicis systemata seu opiniones. Ad tria præcipua omnia commode revocari possunt: ad systema scilicet Thomistarum, Augustinianensium et Congruistarum. Maxima, qua per nos licebit, perspicuitate eorum quodque cum suis fundamentis et exceptionibus, quibus urgetur, exponemus, ut inde, quemadmodum præfati sumus, liceat cuique, quod sibi magis arriserit meliusque propositum finem obtinere videbitur, adoptare; cum nullum Ecclesia iudicium de iis tulerit.

§ I.

Systema Thomistarum.

304. Gratia efficax in sensu Thomistarum ea est, quæ adnexam habet prædeterminationem physicam, qua Deus antecederet ad voluntatis electionem sic eam determinat ad actum elicendum, ut repugnet eam illud non velle ad quod movetur, cum hæc prædeterminatio includat actum ipsum volitionis, eumque efficiat seu producat. Hac autem prædeterminatione instructus homo non modo semper ac infallibiliter agit, verum etiam repugnat eum non agere; prout repugnat ipsum agere et operari

dum superioritatem trahentibus secum infallibiliter id, quod magis delectat, duplex disputatio, altera pole-

mica, altera scholastica, auctore Jos. Carpani S. J. in Thesaurο Theolog. Zachariæ, tom. v.

cum sola gratia sufficienti, quæ destituta est hac prædeterminatione tanquam conditione essentiali ac necessaria ad agendum et operandum.

305. Ideo vero hic gratiæ motus *prædeterminatio* nuncupatur, quia antecedit consensum, non *prioritate durationis sive temporis*, inquit Gonetus, *sed duntaxat naturæ seu causalitatis et dependentiæ* (1). *Physica* autem dicitur, non quod *forma naturalis sit*, prosequitur idem Auctor, *seu per modum naturæ ad unum determinans* (absit), *sed quia ex propria essentia et ab intrinseco est efficax, independenter a quocumque creato consensu, quod est esse physicam theologice, non philosophice* (2).

306. Quare juxta hoc systema in omni opere salutari hic ordo seu processus concipitur: datur 1^o gratia sufficiens, quæ confert *posse* velle et agere; 2^o gratia efficax, quæ voluntatem physice prædeterminat, præbetque *velle et agere*, cum sit motus applicans ad actum potentiam illam, quam contulerat gratia sufficiens; 3^o consensus et gratia concomitans.

307. Sed illico adversæ partis Theologi insurgunt: Nonne per physicam hanc prædeterminationem funditus libertas evertitur? Nequaquam, reponunt Thomistæ, dummodo confugiatur ad sensum, ut aiunt, *compositum et divisum*. In sensu composito, id est, præsentate gratia, seu supposita collatione hujus gratiæ, impossibile utique est hominem non agere, cum gratia efficax per physicam prædeterminationem includat ipsum actum; implicat autem idem simul esse et non esse. In sensu tamen diviso et absolute homo potest non agere, ut qui actu sedet, repugnat eum non sedere, potuit tamen non sedere (3).

(1) In *Clypeo Theologiæ Thomisticæ*. edit. sexta Lugd. 1681, tom. 1, disp. ix, quæ est *De concordia libertatis cum decreto prædeterminante*, art. v, § 1, n. 66.

(2) Ibid. n. 67.

(3) Cfr. Gonet, l. c. art. iv, § 11 et seqq. Quidam recens auctor scribit: *Hæc distinctio* (de sensu diviso et

sensu composito) aliquanto subtilior est; sed perspicua, ni fallor, reddetur, ubi fiat comparatio voluntatis determinatæ a Deo cum voluntate se ipsam determinante ad mentem adversariorum. Jam vero fingamus, voluntatem se ipsam propriis viribus efficaciter determinare ad amorem; certe in sensu composito fieri non

308. In sui systematis subsidium proferunt Thomistæ illa omnia Scripturarum oracula, in quibus gratiæ efficacia commendatur. Ex. gr. Ezech. XXXVI: *Dabo vobis cor carneum*, etc. Philipp. II: *Deus est, qui operatur in nobis et velle*, etc. aliaque ejusmodi superius commemorata.

309. Ex Patribus adducunt omnia illa testimonia, in quibus illi omne bonum nostrum Deo referunt acceptum. Communiunt præsertim suum systema auctoritate S. Augustini et S. Thomæ. Ex S. Augustino quidem ea loca proferunt, in quibus S. Doctor gratiæ efficaciam extollit, quæque nos retulimus in objectione secunda superioris prop. Ex S. Thoma illud inter cetera adducunt, quod scripsit S. Doctor, p. 1, q. 111, a. 2: *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, Angelus autem et homo per modum suadentis*. Hæc porro doctrina, inquit, falsa esset in hypothesi de motione tantum morali, et non physica et propria; cum et Angelus et homo possint nos non solum exterius, sed etiam interius hortando, rogando, terrendo et persuadendo moraliter movere (1). Quod demum omne dubium removet circa hujus systematis veritatem, aiunt, sunt ipsæ orationes, quibus Ecclesia Deum rogat, ut *nostras ad se rebelles compellat voluntates* (2).

310. His positis, concludunt in hoc systemate primæ causæ, nempe Dei, influxum apprimè pateferi ac supremum Creatoris dominium in suas creaturas, statui præterea et commendari humilitatem, quandoquidem homini nihil supersit, in quo gloriatur, juxta Apostoli sententiam: *Quid habes, quod non accepisti?*

potest, quin amet; alias esset efficaciter determinata ad amorem, ut supponitur, et non esset, quia illa determinatio, quæ non habet effectum, efficax dici non potest; libera nihilominus dicitur voluntas sic determinata, quia potest non amare in sensu diviso et absolute. Eodem plane modo cum efficaci gratia in sensu composito non potest esse actus contrarius; alias

sequeretur, eandem gratiam non esse efficacem; potest tamen esse in sensu diviso et absolute, quod ad libertatem sufficit.

(1) Alia cfr. apud Did. Alvarez, *De auxiliis divinæ gratiæ*, disp. xci; edit. Rom. pag. 608 et seqq.

(2) In orat. secr. Dom. iv post Pentecost.

In hoc enim systemate et bona voluntas, et potentia, et actus, et consensus, et operatio a sola gratia repeti debent (1).

311. Adversæ tamen partis Theologi reponunt: 1° Nihil adjuvamenti ex ejusmodi systemate haberi ad optatam gratiæ et libertatis conciliationem; imo simplicem catholicæ fidei doctrinam, qualis in Synodo Tridentina declarata est (2), longe majori claritate fulgere, dum ea in hoc systemate caligine potius involvitur. 2° Videri sibi hoc ipsum systema nimis accedere ad Novatorum placita (3) ac Jansenistarum; quo factum est, ut Novatores et Jansenistæ sæpe sub hac veluti veste, licet per injuriam, se contexerint (4). 3° Sane, subdunt, si subtilior hujus prædeterminationis physicæ disquisitio instituat, planum fit, re ipsa hominem sub tali prædeterminatione absolute non posse non velle, aut aliter agere ac operari quam id, ad quod determinatur, cum ipsa includat actum ipsumque efficiat, imo producat ac faciat voluntatis *flexum*; quemadmodum e contra ea destitutus impossibile intrinsece et essentialiter est, ut homo velit, agat et operetur, ea ratione qua sine alis fieri nequit, ut quispiam in altum se attollat ac volet. Hinc actum prorsus esse inferunt de gratia,

(1) Cfr. inter ceteros pro hac sententia pugnantes præter Gonetum loc. cit. Did. Alvarez, op. cit. disp. LXXXIII et seqq. præsertim XXI; Th. de Lemos, *Panoplia gratiæ*, tom. I, tract. IV, *De sensu composito et diviso*; tom. III pag. I, tract. IV, *De concursu Dei prævie influente, prout nomine physicæ prædeterminationis exprimitur*; tom. VI, tract. IV, *De auxilio divinæ gratiæ efficaci*. Hi enim uberrime de hoc argumento scripserunt. Cfr. etiam *Historia de auxiliis* P. Serry, vol. I fol.

(2) Sess. VI, cap. 6.

(3) Ita Bellarminus, *De grat. et lib. arbit.* lib. I, cap. 12, n. 8 et 9. Ast immerito, ut inferius dicemus.

(4) Ita Jansenius, *De grat. Salvat.*

lib. VIII, cap. I et II, alique passim post ipsum. Cfr. de hoc argumento P. Livinus Meyer, Præfatio in vol. I *Hist. contro. de auxiliis*, art. IV, *De mutua Jansenistarum in prædictos Thomistas benevolentia*; et art. V, *Jansenistarum erga Thomistas amicitia simulata. Quos palam laudant, clam inter se rident atque contemnunt*. Ubi adductis documentis luculenter quod sibi proposuit ostendit. Qui præterea, ibidem art. II et VII, productis pariter documentis ostendit, Paschasium Quesnellum manum admovisse ad *Historiam de auxiliis* P. Serry emendandam et corrigendam, eodemque Serry probante, non pauca eaque falsa ex suo adjecisse.

quæ *vere* sit sufficiens; si enim nomen permutes, in quonam, essentia rei ac natura spectata, differt gratia sufficiens Thomistarum prædeterminatione physica destituta, ut postulat ejus conceptus, a gratia parva Jansenistarum? 4^o Hinc patefaciunt ea omnia incommoda, quæ ex eo profluunt: neminem scilicet operari posse aliter, quam quomodo operatur; impossibilia esse Dei præcepta iis omnibus, qui ea non servant; quandoquidem ideo non servant, quod physica prædeterminatione destituti sint; sicut enim impossibile est, imo implicat homines hac instructos præcepta non servare, ita implicat eadem servari ab eis, qui illa destituti sunt; quam insuper nec optare, nec velle, nec impetrare possunt, cum hi omnes actus conferantur ab ipsa prædeterminatione physica. Hæc aliaque ejusmodi non pauca incommoda enumerant, quæ quisque per se mente revolvere potest (1).

312. Pergunt deinde ad eliminanda, quæ ad hoc systema sive cohonestandum sive adstruendum afferuntur. Etenim, aiunt, nihil prorsus confert ad illius defensionem subtilis distinctio inter sensum compositum et sensum divisum. Quid enim sibi vult illud *in sensu composito*, nisi præsentem gratia non posse hominem agere nisi id, ad quod prædeterminatur? Verum cum adstruitur libertas, adstruitur præcise sub gratiæ motione; quid refert, si in *sensu diviso*, nempe absente gratia, possit aliter agere (2)? Cum tamen Conc. Tridentinum, cap. V, doceat, hominem posse gratiam respuere: *Quippe qui*, inquit, *illam et abjicere potest*.

313. Perperam porro Scripturarum aut Patrum auctoritates adducuntur ad idem adstruendum systema, quod ab utrisque

(1) Cfr. Lessius, *De gratia effio.* cap. 2 et seqq. præsertim cap. 9; Suarez, *De divina grat.* part. II, lib. v^o a cap. 9 ad cap. 24; Tricass. op. cit. p. III, sect. 1 et II, § 1 et seqq. Bastida apud Meyer, *Hist. controvers. de auxiliis*, lib. VI, cap. 15.

(2) Cfr. Liv. Meyer, diss. cit. *De*

mente Conc. Trid. cap. 8, *De sensu composito et diviso Calvinii et aliorum*; quæ extat vol. II *Hist. Contr. de auxiliis vindicata*. Cfr. etiam Cardu Plessis d'Argentré, op. mox citando, cap. 4, *De sensu composito et diviso*, tum cap. 5.

plane nimium differt. Scripturæ enim et Patres infallibilem quidem gratiæ efficaciam adstruunt ; ast nusquam hanc efficaciam infallibilitatem a physica prædeterminatione repetunt ; imo eam prorsus eliminant in iis omnibus locis , in quibus peccatores arguunt , quod gratiæ Dei eos convertere adnitenti restiterint ; ut omnia evincunt , quæ ad libertatem hominis sub gratia ac liberam voluntatis cooperationem adstruendam adversus hæreticos adduci solent.

314. S. Augustinus nominatim semper confugit ad Dei præscientiam , ut gratiæ efficaciam cum ejus infallibilitate componat. Perperam igitur a nonnullis apologia doctrinæ S. Augustini prius intexitur , prout præstiterat Jansenius , pro certo sumentibus totum pro se Augustinum esse (1).

315. S. Thomas tantum abest , ut huic systemati faveat , ut potius rejiciat veluti humanæ libertati adversans. Sic enim loquitur S. Doctor in p. 2, dist. 28 , q. 1 , a. 1 : *Non esset homo liberi arbitrii , nisi ad eum determinatio sui operis pertineret* ; et ibid. dist. 25 , q. 1 , a. 1 , ad 3^m, modum declarans , quo Deus cum causis liberis concurrat , scribit : *In libero autem arbitrio hoc modo agit , ut virtutem agendi sibi ministret , et ipso operante liberum arbitrium agat ; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur* ; et alibi passim (2). Ad adductum vero textum aliosque ejusmodi reponunt , S. Thomam tantummodo loqui de virtute , quam Deus intellectuali naturæ tribuit se inclinandi , quam utique Angeli conferre non possunt ; vel loqui de cooperatione divina , seu concursu simultaneo juxta veteris philosophiæ placita (3) , ut constat tum ex omnibus

(1) Cfr. ejusdem Liv. Meyer dissert. *De mente S. Augustini circa gratiam physice prædeterminantem* , quæ est n. m, ibid. Cfr. item Tricassin. op. cit. *De indifferenti*, etc. tota p. II et p. III ; Dechamps , *De sancti Augustini auctoritate* , cap. I et seqq.

(2) Cfr. Suarez loc. cit. nec non *Commentarius historicus de præde-*

stinat. ad gloriam Caroli du Plessis d'Argentré , socii Sorbonici et Doctoris ; *De prædeterminat. Physica* cap. 2 ; *Vera sententia S. Thomæ de motione Dei ad operationem naturæ creatæ requisita* ; et cap. 3 , *Animadversiones in librum Antonini Massoulié de divina motione et libertate creata*.

(3) Cfr. Fortunat. a Brixia , *Philo-*

principiis simul collatis, tum ex omnium ferme antiquorum scholasticorum, præsertim vero Thomistarum interpretatione, usque ad Bannezium prædeterminationum physicarum, ut vocatur, auctorem (1). Sic enim intellexerunt S. Thomam Cajetanus, Conradus, Capreolus, Soncinas, aliique passim (2). Sane, ceteris omis- sis, Cajetanus in p. 1, q. 19, a. 8, solvens primum argumentum Scoti, scribit, hanc propositionem: *Causa secunda movet seu agit in quantum mota a prima*, non posse intelligi de motione prævia propriæ actioni causæ secundæ: *Non enim*, inquit, *causa secunda movet ob hoc præcise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria*. Hinc est, quod nusquam S. Thomas nomi- net prædeterminationem, nec ullum de gratia peculiare systema confecerit (3).

316. Dum vero Ecclesia a Deo postulat, ut ipse rebelles ad se *compellat* voluntates, poscit, ut id efficiat per gratias, quas ipse noverit liberum assensum a nobis obtenturas, cohærenter ad fidem, quam ipsa profitetur de libera nostræ voluntatis coopera- tione cum gratia sua, quacumque demum ratione propositum sibi effectum obtineat (4).

sophia mentis, tom. II, *Metaphys.* p. III, sect. III, n. 60 et seqq. Hinc etiam Gonetus loc. cit. progreditur ex principiis philosophicis de natura libertatis humanæ, ut evincat libertatem bene consistere cum decreto determi- nante. Sic etiam Thomas de Lemos, aliique passim. Ex philosophia applica- tum fuit hoc principium etiam effica- ciæ gratiæ in Theologia. Ex his liquet totam quæstionem hanc philosophicam potius quam theologicam esse, seu potius fuisse. Hæc enim vix a recentiori philosophia eliminata non sunt.

(1) Cfr. *Hist. Congr. de auxiliis*, Liv. Meyer, tom. I, lib. II, cap. I.

(2) Cfr. Lessius op. cit. cap. 5, n. 7, seqq. et cap. 8 n. 16, seqq.

(3) Cfr. Meyer, op. cit. lib. VI, cap. 17.

(4) Cfr. Dechamps, *De hæresi Jan- sen.* lib. III, cap. 7 et seq. ubi hoc idem argumentum ab orationibus peti- tum et objectum a Calvino et Janse- nio dissolvit. Cfr. etiam Daniel, *Re- cueil de divers ouvrages philosophi- ques et théologiques*, Paris 1724, tom. II, *Traité théologique touchant l'efficacité de la Grâce*, præsertim vero *Seconde partie, où l'on répond au livre du P. Serry, intitulé: Schola Thomis- tica vindicata*. Vid. etiam ibid. *Lettre du P. Daniel au R. P. An- tonin Cloche*, et *Réponse au R. P. Serry*, una cum tribus aliis epistolis ad eundem datis. Cfr. etiam *Instru-*

317. Facillime denique sibi videntur expedire se posse ab argumentis prolatis, petitis nempe a dominio Dei super creaturas. Quia si hæc ratio valeret, multo magis admittenda essent placita Calvinianorum et Jansenistarum; cum in istorum hypothese magis eluceat ejusmodi dominium, et vel ipsa liberi arbitrii ac indifferentiæ nomina eliminantur, quod nemo tamen prudens admittet. Ceterum non minus solliciti esse debemus de extollendo Dei dominio, quam de sarta tectaque sub ipso tuenda hominis libertate; quam de fide est integram in homine sub gratia perseverare. Falsam præterea asserunt esset humilitatem, quæ non consistat in veritate; eo magis quod et Novatores hanc humilitatem prætexuerint ad suos errores circa gratiam propinandos. Verba demum S. Pauli: *Quid habes*, etc. in quocumque systemate catholico verissima sunt, cum omnes profiteantur cum Ecclesiæ doctrina, nullum opus salutare neque operis salutaris initium haberi aut concipi posse absque subsidio gratiæ prævenientis et excitantis.

§ II.

Systema Augustinianensium.

318. Augustinianenses gratiæ efficaciam explicant per delectationem cœlestem; quæ si fulgens et ardens fuerit, *victrix* seu *efficax* censetur, sin remissa, *sufficiens* tantum habere debet. Sedulo autem adnotant, se in eo differre a Jansenianis, quod isti velint victricem gratiam inducere *necessitatem*, contra vero ipsi illam *infallibilem* quidem, at *non necessarium* effectum gignere affirmant.

319. Ast moraliterne an physice delectatio istiusmodi agit in hominem, ejusque obtinet consensum? Physice reponunt, saltem recentiores, si sermo sit de statu naturæ lapsæ; moraliter

tion pastorale de Monseigneur l'archevêque de Cambrai (Fénélon), Cambrai, 1714, seconde partie, Qui explique les principaux ouvrages de S. Augustin sur la grâce, l'abus que

les Jansénistes en font, et l'opposition de leur doctrine à celle des Thomistes. Lettre XII, Sur la prémotion des Thomistes.

autem, si de statu naturæ integræ; adeo ut in præsentî naturæ statu una cum Thomistis admittant necessitatem physicæ prædeterminationis, in statu autem naturæ integræ cum Congruistis illius necessitatem rejiciant.

320. Iisdem propterea argumentis pugnant, quibus pugnant Thomistæ ad physicam hanc prædeterminationem adstruendam in præsentî hominis conditione, et iisdem quibus Congruistæ ad eandem rejiciendam, cum quæstionem instituunt de statu naturæ innocentis. His adjiciunt illa omnia testimonia, quæ in causæ suæ subsidium adducit Jansenius, ut constituent relative vetricem delectationem, qua gratia obtinet consensum; cum eo tamen temperamento, quod modo indicavimus. Quocirca iisdem rationum momentis impugnatur systema istud, quibus Thomistæ et Congruistæ se se mutuo aggrediuntur, et quibus theologi omnes nituntur evertere fundamentum Janseniani systematis. Supervacaneum proinde est in medium singillatim adducere argumenta adversæ partis theologorum (1).

§ 3.

Systema Congruistarum.

321. Congruistæ, rejecta quavis physica prædeterminatione, nullam admittunt gratiam *a se efficacem*, quæ nempe natura sua includat actum, ad quem datur, ac efficiat ipsum voluntatis flexum; nullum idcirco agnoscunt discrimen essenziale seu, ut vocant, *entitatis* inter gratiam efficacem et sufficientem. Quare in horum systemate omnis gratia, quantum ex se est, et intrinseca ac propria virtute præbet in *actu primo*, ut aiunt, seu in potentia veram, proximam et expeditam, relate ad circumstantias in quibus homo versatur, agendi facultatem. Hac propterea homo gratia instructus, si per liberum arbitrium se determinet ad bonum

(1) Cfr. Card. Noris. Opp. edit. Veron. tom 1, *continens sacra*, et tom. 11, dissert. 7, *Janseniani erroris calumnia sublata*, etc. Beelli, *Mens Augustini de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum*, vol. 11 in 4, Romæ 1737; Berti, *De Theologicis disciplinis*, tom. 111, *De gratia*, cap. 20 et seqq.

volendum et amplectendum, hæc ipsa gratia fit efficax, cum per ipsum una cum auxilio cooperante reducatur ad *actum secundum*, ut vocant, seu ad effectum; si vero eidem resistat ac reluctetur, ita ut culpa sua eam inefficacem reddat, sufficiens manet et absque effectu.

322. Licet porro in horum systemate actus essentialiter non includatur in gratia ipsa, sed eidem extrinsecus sit, utpote proprius voluntatis a gratia præventæ et adjunctæ, non omnis tamen gratia æqualis est; sed alia est alia fortior, alia alia in se vividior. Quoties proinde Deus constituit quempiam absolute convertere, illam gratiam eidem impertitur, cui per præscientiam suam novit, eum infallibiliter et libere consensurum. *Infallibiliter* quidem, alioquin Deus in scientia sua falleretur; *libere*, quia, cum hæc infallibilis cognitio actus futuri, consequens logice seu ordine sit ad liberam prævisam hominis electionem sub tali gratia, nulla exurgit ejusmodi assensus necessitas nisi hypothetica. Ex his constat, juxta hoc systema gratiæ efficaciam infallibilem a duobus exurgere, et a virtute nimirum *intrinseca* ipsius gratiæ tanquam a principio activo, et a scientiâ Dei tanquam a principio directivo.

323. Hac ratione, concludunt qui huic sententiæ adstipulantur, sarta tecta dogmata fidei catholicæ habentur de gratuitate et necessitate gratiæ adversus Pelagianos ac Semipelagianos, ac de libertate hominis sub gratiæ motione adversus Novatores et Jansenistas; mira denique elucet gratiæ efficacis et liberi hominis consensus concordia (1).

324. Consonam vero esse hanc doctrinam Sacris Litteris, illa omnia testimonia evincunt, quæ liberam hominis cooperationem supponunt ac prædicant ex. gr. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei* (II. Cor. VII, 1); *Convertimini ad me* (Is. XLV, 22; Jerem. XXXV, 15; Zachar. I, 3); *Sic currite ut comprehendatis* (I Cor. IX, 24); *Dei adjutores sumus* (ib. III, 9); *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* (Philipp. II,

(1) Cfr. Bellam. *De grat. et lib. arb.* lib. 1, cap. 12.

12), aliaque ejusmodi prope innumera. Item testimonia illa, in quibus aperte dicitur, non ex defectu gratiæ, sed ex sola hominum malitia inefficacia Dei auxilia extitisse, ex. gr. Is. V, 4: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Matth. XXII, 37: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* et similia. Jam vero quorsum hæc omnia, si ad agendum aliquid præterea requireretur, quod non esset in hominis potestate, cujusmodi est auxilium prædeterminans? Quid si Deus decrevisset, illud non præbere, prout illis omnibus non præbuit? Sed potissimum urgent, quod legitur, Matth. XI, 21: *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaïda; quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Ex quibus verbis liquet, eandem gratiam futuram fuisse efficacem apud Tyrios Sidoniosque, quæ inefficax fuit apud cives Corozain et Bethsaïdæ; alioquin Christus frustra, imo injuste prorsus eos objurgasset, quia id non præstiterunt, quod in eorum potestate non erat ut facerent.

325. Nec aliud, pergunt, decuit S. Augustinus, qui physicam prædeterminantem motionem repellit, ut vidimus, ac omnipotentiam et scientiam Dei semper conjungit, ut gratiæ efficaciam seu infallibilem ejus effectum amice cum libertate consociet in eo, quem decrevit Deus absolute convertere. Hinc usitata ejus loquendi ratio de *vocatione congrua*, dum de ejusmodi gratia disserit (1). Ac demum luculenter affirmat, cum eadem gratia alium converti, alium vero non item ex voluntatis defectu: *Noluit Esau, inquit, et non cucurrit; sed et si voluisset, cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam currere et velle vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret* (2). Id ipsum scribit de Tyriis et Sidoniis, qui, *etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent* (3).

(1) Cfr. Tricass. *De indifferenti*, etc. part II, sect. LIV.

(2) *Ad Simplic.* lib. 1, quæst. II, n. 10.

(3) *Lib. De dono persev.* c. 14, n. 34.

326. Angelicus Doctor et ipse pro certo ac explorato assumit, ex hominum cooperatione fieri, ut eadem gratia præventi et adjuti alii aliis magis proficiant. Decretoria plane sunt ejus verba, p. 3, q. 69, a. 8, ad 2: *Quia, inquit, etiam æqualem gratiam (duo) percipiant, non æqualiter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.* Eadem alibi passim inculcat (1).

327. Tandem ut hi Theologi calumnias depellant, quibus potissimum Jansenistæ contendunt hanc doctrinam obscurare, animadvertunt, licet quandoque natura sua seu ratione *doni* una eademque sit gratia, qua alius convertitur, alius vero non convertitur, non unam tamen eandemque esse ratione *beneficii*; sive quia datur ut prævisa efficax uni potius quam alteri; sive quia una est intensior ac vividior altera; sive quia confertur in iis circumstantiis, in quibus prævidetur certus et infallibilis futurus assensus. Hac ratione, inquiunt, in tuto est supremum Dei dominium in creaturas et gratuita ejus vocatio, dum ex beneplacito suo fortiter simul ac suaviter obtinet effectum, quem intendit et in quo intendit, dumque integris libertatis juribus humanam voluntatem omnipotentissima virtute sua inflectit. Qui autem convertitur tali gratia adjutus, quæ saltem ratione beneficii altera gratia potior est, nihil habet in quo gloriari possit; numquam siquidem conversus fuisset, nisi gratia, et tali gratia esset a Deo præventus; nec propterea seipsum ab alio discernit virtute sua, quem idcirco jure compellare Apostolus potest: *Quid habes, quod non accepisti?* etc. Qui vero non convertitur, sed vocationi divinæ resistit, cum omnia per ejusmodi gratiam consecutus fuerit, quibus expedite ac proxime obsequi potuisset, sibi soli imputare debet, si eidem non obtemperavit. Ex quo et illud profluit, nonnisi summa injuria *versatilem* ejusmodi gratiam posse vocari; versatile enim illud censi debet, quod in utramque partem flectitur, hoc autem in gratia contingere nequit;

(1) Vid. Daniel, *Lettres au R. Père Alexandre*, in op. cit. præsertim lettre x. Vid. pariter Franc. Xaver. Mann-

hart, S. J. *De ingenua indole gratiæ efficacis* Dissertatio, quæ extat in *Thesaurò Zachariæ*, tom. v.

si enim homo eidem pareat, illa obtinet suum effectum; quod si ei resistat eamque respuat, caret effectu suo, neque enim ad peccandum gratia opus est. Alioquin, si versatilis nuncupanda esset gratia, cui homo reluctari potest et obsistere malitia sua, versatilis esset dicenda gratia, qualis a Tridentina Synodo asserta ac definita est adversus Novatores, cui scilicet homo semper resistere potest, quod tamen nemo Catholicus dicet; versatilem gratiam consecuti essent Judæi illi, quos S. Stephanus arguit, quod semper Spiritui Sancto restiterint. Adeo verum est, aiunt, in disputationis æstu minus considerate verba proferri! Quod demum ab ipsis Jansenistis adducitur ex actis congregationis *De auxiliis* de Constitutione jamjam imminente, qua systema istud foret damnationi subjiciendum, ab ejusdem patrocinatoribus tanquam fabula respuitur, utpote erutum ex actis a Pegna, Coronello et Lemosio conscriptis, quibus nullam habendam fidem esse solemniter Innocentius X, die 23 aprilis 1654, edixit (1).

(1) En verba Decreti: *Ceterum, cum tam Romæ quam alibi circumferantur quædam Acta manuscripta, et forsitan typis excusa, congregationum habitandarum coram fel. rec. Clemente VIII et Paulo V super quæstione de auxiliis divinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ decani, quam F. Thomæ de Lemos, Ord. Præd. aliorumque Prælatorum et Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt congregationibus, nec non quoddam autographum seu exemplar assertæ Constitutionis ejusdem Pauli V super definitione prædictæ quæstionis de Auxiliis ac damnationis sententiæ seu sententiarum Ludovici Molinæ Soc. Jesu, eadem Sanctitas sua præsentis hoc suo decreto declarat ac decernit, prædictis assertis*

*actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici quam Ludovici Molinæ aliorumque Soc. Jesu Religiosorum et autographo sive exemplari prædictæ assertæ constitutionis Pauli V nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quæstione prædicta observanda esse decreta Pauli V et Urbani VIII suorum prædecessorum. His non deterritus Jansenista Grégoire in *Histoire des sectes religieuses*, Paris 1828, tom. II, chap. XXI, pag. 304, scribere non erubuit: *Sa condamnation* (doctrinæ Molinæ) *était sur le point d'être prononcée par Clément VIII, quand ce pape mourut subitement. Sous Paul V, son successeur, la bulle de condamnation était rédigée; mais les Jésuites lui avaient rendu un service important**

328. Et hæc quidem in suæ causæ patrociniū Congruistæ. Ceterum adversæ partis Theologi non pauca excipiunt; ac potissimum, quod gratia versatilis foret in ejusmodi systemate; quod adversentur eidem quæ Scripturæ et Patres de gratiæ virtute ac efficacia prædicant; quod eadem oriantur ex eo incommoda quibus isti contrariam sententiam impetunt; quia, si gratia, quæ confertur illi qui convertitur, saltem ratione beneficii major aut uberius sit ea, quæ tribuitur illi qui non convertitur, nulla est causa, quare iste objurgari possit, quod se non converterit; aliæque ejusmodi opponunt, quæ longum esset recensere (1).

329. Interim ex his nos concludimus, longe præstare quæstionem hanc satis obscuram, quæque suis difficultatibus in quovis systemate non caret, omnino deserere; cum impossibile videatur posse eidem quæstioni affundi uberius lucem post tot disceptationes, quæ tanta animorum contentione hinc inde agitata sunt. Juerit propterea, his dimissis, profiteri cum Ecclesia Catholica, gratiam efficacem libertati humanæ haudquam adversari, cum ei semper possit homo resistere, secus ac doceant Novatores et Jansenistæ ab Ecclesia idcirco proscripti. Circa rationem autem, qua gratiæ efficacia et hominis libertas

dans des circonstances épineuses, leur crédit en empêcha la publication. Bene tamen Comes De Maistre, De l'Eglise Gallicane, édit. de Lyon, tom. 1, liv. 1, chap. ix, De Molina ejusque systemate hæc habet: Un homme de génie, auteur d'un système, à la fois philosophique et consolant, sur le dogme redoutable qui a tant fatigué l'esprit humain, système qui n'a jamais été condamné et qui ne le sera jamais; car tout système publiquement enseigné dans l'Eglise catholique pendant trois siècles, sans avoir été condamné, ne peut être supposé condamnable; système qui présente après tout le plus heureux effort qui ait été fait par la philosophie chré-

tienne pour accorder ensemble, suivant les forces de notre faible intelligence res olim dissociabiles, libertatem et principatum. Atque in nota (3) subdit: On sait que l'esprit de parti, qui ne rougit de rien, est allé jusqu'à fabriquer une bulle qui anathématise ce système. Observons que ces rebelles, qui bravent les décrets du Saint-Siège, les croient cependant d'un tel poids dans leurs consciences, qu'on les verra descendre jusqu'au rôle de faussaire pour se procurer cet avantage contre leurs adversaires. Ainsi bravant l'autorité, ils la confessent.

(1) Videri possunt apud auctores citati pro utraque sententia.

simul amice consistent, nostrum non est curiosius investigare, quæ investigatio forte non fieret absque gratiæ illius amittendæ periculo, pro qua contenditur. Cum vero hæc ipsa Ecclesia nihil circa hanc rationem definierit, poterit quisque ei sententiæ tuto adhærere, quam viderit melius prodesse ad Novatorum et Jansenistarum difficultates repellendas (1). Ita fiet, ut Catholici omnes arctiori inter sese foedere conjuncti, unius labii ac cordis effecti, consociatis quodammodo viribus et animis, feliciter præliari possint prælia Domini adversus tot fidei infensissimos hostes, qui indies insurgunt ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, quam *Deus acquisivit sanguine suo*.

330. Sane tum Thomistæ longe absunt ab omni Calvinianismi suspicione, tum Augustinianenses a Jansenianismo, tum denique Congruistæ a Semipelagianismo; alioquin, si ejusmodi labe ipsorum systemata infecta essent, Ecclesia profecto non solum eos non commendaret, sed procul a se abjiceret. Porro Romani Pontifices non semel eos, eorumque doctrinam ac labores laudibus extulerunt. Satis sit inter cetera documenta, quæ in hujus rei confirmationem adduci possent, afferre verba Constitutionis, quam edidit Clemens XII die 2 oct. 1733, quibus hactenus dicta mirifice comprobantur. In ea igitur Constitutione, quæ incipit: *Apostolicæ providentiæ*, præmissa mentione Constitutionis *Unigenitus*, ita pergit R. Pontifex: *Nos paterna quoque sollicitudine inhærentes magnopere dolemus, tenebras a dissensionis*

(1) Hinc Albertini, Ord. Præd. *De grat.* Acroasi XIV, n. 15 et 16: *Quamquam, inquit, infortunatus (fatendum tandem candide) congregatum de auxiliis exitus satis rem conficit, nihil scilicet in acerrimis illis disputationibus de fide, totum de adiaphoris.... Ita me sentire volunt et reverentia erga indemnatos theologos, et pietas adversus Ecclesiam, quæ singulos dicta sua propugnare libere sinit, et perspicuæ veritatis*

amor, qui theologo maxime cordi esse debet, et Jansenistarum potissimum mala mens, ut videant, nihil de veteri Ecclesiæ fide apud nos immutatum, nec Apostolicam Sedem semipelagianam hæresim fovere, sed scholasticas opiniones pati, quæ, si rite expendantur, omnes ex æquo et gratiæ necessitatem ac vim, et arbitrii nostri jura (hoc Jansenianis maxime displicet) rite custodiunt et feliciter explicant.

filiis effusas nondum ex quorundam mentibus satis esse discussas, sed plerosque etiam intolerabili pertinacia contendere, censura laudatæ Constitutionis doctrinam S. Augustini et Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, universis et singulis Christi fidelibus.... in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus et sub canonicis pœnis mandamus, ne disputantes aut docentes, sive in scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter, propositiones defendant aut enuncient, quæ antedictas Novatorum calumnias firmare, aut promovere possint. Mentem tamen eorundem prædecessorum perspectam habentes, nolumus aut per nostras aut per ipsorum laudes Thomisticæ scholæ delatas, quas iterato nostro judicio comprobamus et confirmamus, quidpiam detractum ceteris catholicis scholis, diversa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia sentientibus, quorum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam et libere ubique etiam in hujus almæ Urbis luce docuerunt et propugnarunt.. Pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter Catholicæ Ecclesiæ filios fovere et communire debemus, et curamus, ut, conjunctis diversarum licet scholarum studiis, firmiter sit adversus erroris insidias præsidium.

ARTICULUS III.

De gratia sufficienti.

331. Gratia sufficiens ex omnium Catholicorum sensu ea est, quæ homini vires præbet veras ac perfecte completas, et quidem relate ad præsentés ejus circumstantias, ad opus bonum eliciendum. Dispesci solet in proxime ac remote sufficientem. Prior est ea, quæ potentiam seu facultatem ad agendum immediate confert; posterior vero, quæ nonnisi mediante oratione, elemosyna, etc. ejusmodi facultatem suppeditat. Juxta notissima S. Augustini verba, a Tridentino Concilio usurpata, *Deus impossibilia*

non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis (1). Ideo autem sufficiens dicitur, quia ad discrimen efficacis effectum non sortitur, ad quem datur, ex humanæ voluntatis resistentia, seu ex hominis culpa. Præter Novatores, nullam admittendam esse gratiam sufficientem, Jansenistæ docent, ut superius diximus, etsi verbis ad fallendum compositis utantur. Dum enim gratiam *parvam* commendant, quam sufficientem etiam interdum vocant, non significant nisi gratiam sufficientem, quæ talis sit, ut loquuntur, *absolute*, non autem *relative* ad subjecti circumstantias; ac propterea sufficientem nomine admittunt, reipsa tollunt (2). Ad hunc propterea eliminandum errorem, sit

(1) Sess. VI, cap. II.

(2) Cfr. Dechamps, qui *Hæres. Jans.* lib. I, disp. VIII, *De gratia sufficienti*, cap. I, ostendit, Jansenium omnem gratiam sufficientem rejecisse. Sane Jansenius inscribit cap. 3 libri 3 *De gratia Salvat. Quam monstrosa sit gratia sufficiens*. Cap. 2 ostendit ibid. Dechamps, hanc doctrinam Jansenium deprompsisse a recentioribus hæreticis. Cap. 3 evincit, argumenta, quibus Jansenius probare nititur, nullam hoc in statu gratiam effectu suo carere, ex hæreticis descripta esse, Interdum tamen tam Jansenius quam ejus asseclæ gratiam *parvam* ab ipsis admissam non dedignantur vocare *sufficientem*, non quatenus reipsa sufficiat *ad agendum*, sed tantum ad Jansenianos tuendos ab armis adversariorum; atque, ut nonnulli inter ipsos loquantur, quamvis per summam injuriam, vocant gratiam *sufficien tem in sensu Thomistico*. Quapropter quidam professores Duacenses scribebant ad Arnaldum: *Gratia sus-*

ficiens Thomistarum est veluti nebula, in cujus sinu mysteria gratiæ obvolvuntur. Si illa non sufficit ad agendum, sufficit ad nos tuendos ab armis adversariorum. Et D. de Lygny, *Epist. V Augusti* scripta anno 1690: *Necesse est, inquit, uti voce gratiæ sufficientis in sensu thomistico, ad illius Societatis effugiendum impetum, quæ nescit parcere.* En ipsius verba: *Je suis persuadé que la grâce suffisante des Thomistes est une sottise; cependant il me semble, comme vous l'enseigniez vous-même* (scilicet Arnaldus ad quem scribit), *qu'il est nécessaire de se servir de ce mot de grâce suffisante au sens des Thomistes, pour éviter la persécution de la société vindicative.* Cfr. *Le véritable esprit des nouveaux disciples de S. Augustin*, Bruxelles 1706, tom. I, I^{re} lettre, pag. 228 et seqq. ubi plura alia documenta ejusmodi inveniuntur. Cfr. etiam *Lettre VIII du R. P. Daniël au R. P. Alexandre.*

PROPOSITIO.

Datur in præsentī statu gratia mere et vere sufficiens, quæ hominī completam et relative ad præsentēs ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quæ inutilis redditur ex humanæ voluntatis resistantia.

332. Diximus in *præsentī statu*, nempe naturæ corruptæ, dari gratiam mere ac vere sufficientem; siquidem fatentur Jansenistæ, tum angelis tum hominī innocenti ejusmodi gratiam collatam fuisse (1). Dum vero de hac gratia loquimur, sub ejus nomine vel proxime vel remote sufficientem significamus. Quod etiam intelligi volumus de iis, de quibus postea disseremus.

333. Hæc autem propositio de fide est, prout constat ex contradictoriis propositionibus tanquam hæreticis in sensu Jansenii damnatis, quarum prior est: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentēs quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* Sed gratia, qua possibilia fiunt divina mandata, nec tamen observantur a justis, est gratia mere et vere sufficiens; ergo de fide est dari in præsentī statu talem gratiam. Altera Jansenii propositio est: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* De fide proinde est, in præsentī statu dari gratiam cui resistitur; talis est autem gratia mere ac vere sufficiens; ergo.

334. Jure porro meritoque ut hæreticas damnatas fuisse duas has Jansenii propositiones, darique propterea in præsentī statu gratias mere ac vere sufficientes, sic in primis ex Scripturis ostendimus. Is. V, ita Deus loquitur: *Judicate inter me et vineam meam: Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Christus, Matth. XXIII, 37, ita Jerusalem increpabat: *Jerusalem, Jerusalem... Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et no-*

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti*, etc. part. II, sect. LIII.

lucisti. Stephanus demum Judæorum incredulitatem et duritiam arguens, Act. VII, 51 : *Vos, inquit, semper Spiritui Sancto resistitis*. Unde sic ratiocinamur. Ibi gratia vere et pure sufficiens adstruitur, ubi Deus profitetur se ea auxilia contulisse, quibus homines recte utentes poterant ac debebant bene ac salutariter agere ac operari, et quæ effectu suo non caruerunt nisi ex sola culpa ac resistentia illorum qui ea receperunt, et hac ipsa de causa a Deo graviter arguuntur; atqui...; ergo...

335. Scripturarum auctoritati S. Augustinum adjicimus; ex cujus prope innumeris testimoniis, quæ adduci possent, unum aut alterum proferemus. Nam, lib. *LXXXIII Quæstionum*, hæc habet : *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate.... Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus (1), non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmi ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit (2). Lib. de Spir. et litt. loquens de infidelibus evangelio non credentibus, ait : *Experturi (sunt) in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt (3)*. Præterea S. Doctor aperte negat, omnem gratiam efficacem esse, dicens : *Sed, si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit: multi vocati, pauci electi (4)?* Et alibi passim constanter id ipsum docet (5).*

(1) Et hic obiter notetur, S. Augustinum non refragari, quominus quispiam sibi tribuat consensum, quem gratiæ præstitit, nec existimare Apostoli verba : *Quid habes quod non accepisti?* huic libero assensui contraria esse.

(2) Quæst. LXVIII, n. 5.

(3) Cap. 33, n. 58.

(4) *Ad Simplic.* lib. I, quæst. II, n. 13.

(5) Cfr. Tricass. *De indifferenti*, etc. part. 2, sect. LIII, ubi innumeris prope adductis ex S. Doctore testimoniis evidenter ostendit, ipsum locutum esse de

336. Hanc doctrinam non minus aperte tradit Tridentina Synodus, dicens: *Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet): Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet*, etc. (1). Ergo ex Concilio omnes iusti habent gratias relative necessarias ad divina mandata servanda. Sed plures iusti ea non servant et a justitia excidunt. Ergo non efficaces, sed vere solum et mere sufficientes gratias ad ea servanda, qui delinquent, consequuntur. Id ipsum jam declaraverat Concilium Arausicum II, can. XXI; cui consonat Synodus Tridentina. Demum huc spectant propositiones in Quesnello damnatæ; scilicet IX^a: *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus*; et X^a: *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*; aliæque ejusmodi, quæ eundem sensum præ se ferunt, etsi diversis verbis expressæ (2).

337. Ratio vero theologica ineluctabilis est. Etenim Deus, ut suo loco ostendimus (3), etiam in præsentī statu vere ac sincere vult omnium hominum salutem ac præceptorum suorum observantiam; ergo omnibus suppeditat media ad utrumque finem assequendum necessaria. Sed iis non obstantibus multi quotidie peccant ac pereunt; ergo non efficacia, sed solum sufficientia ejusmodi subsidia seu gratiæ sæpe sunt (4); seu, quod eodem recidit, datur

gratia interiori ac medicinali, cui sæpe resistitur. Id ipsam præstitit P. De-champs, op. cit. lib. III, disp. VIII, cap. I et seqq. ac omnia Jansenii diverticula luculenter non minus quam solide evertit.

(1) Sess. VI, cap. II.

(2) Cfr. in has propositiones P. Fontaine in cit. op. *SS. D. N. Clementis Papæ XI Constitutio Unigenitus theologice propugnata*, tom. I, pag. 154 et seqq. ubi copiose eas refellit, ostendendo, eas hæreticas esse, ac non minus

Scripturis, quam Patrum, præsertim S. Augustini, auctoritati ac Conciliorum definitionibus adversari.

(3) Tract. *De Deo*, n. 460 et seqq.

(4) Cfr. auctores citati nec non P. Daniël, *Traité théologique touchant l'efficacité de la grâce*, qui invenitur in op. *Recueil de divers ouvrages philosophiques, théologiques, etc.*, par le R. P. Daniël de la Comp. de Jésus. Paris 1724, tome second.

in præsentī statu gratia mere et vere sufficiens, etc. prout probandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

338. Obj. prima. 1^o Præterquamquod nusquam in Scripturis gratia ista sufficiens commemoratur, 2^o aperte ab iis excluditur in omnibus illis locis, quæ divinæ voluntatis ac omnipotentiae Dei vim extollunt: *Verbum, quod egredietur de ore meo*, ait Dominus apud Isaïam, LV, 11, *non revertetur ad me vacuum; sed faciet quaecumque volui*. Et Ps. CXIII, 3: *Deus noster in caelo omnia, quaecumque voluit, fecit*. Rom. IX, 19: *Voluntati ejus quis resistit?* inquit Apostolus, qui paulo ante (15 et 16) jam dixerat ex Dei nomine: *Miserebor, cujus misereor; et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. 3^o Sane, inquit Christus, Joan. VI, 45: *Omnis, qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me*. Quæ verba expendens S. Augustinus: *Quid est, interrogat, omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me, nisi, nullus est qui audiat a Patre et discat, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit; nam, si audivisset et didicisset, veniret* (1). Ergo nulla datur gratia mere sufficiens, cum nemo sit, qui veræ ac internæ vocationi resistat.

339. Resp. ad 1^m, *Dist.* Nomen seu vox *gratiæ sufficientis* nusquam in Scripturis commemoratur, prout pariter non occurrit nomen *gratiæ efficacis, conc.*; non commemoratur res per nomen significata, *neg.* Quæ attulimus ex Scripturis testimonia id abunde docent.

340. Ad 2^m, *Neg.* Etenim superius jam animadvertimus, duo ab adversariis permisceri, quæ sunt inter se distinguenda, *omnipotentiae* scilicet ac *voluntatis* divinæ vim et efficaciam ac vim et efficaciam gratiæ. Divinæ omnipotentiae ac voluntati, quid-

(1) Lib. *De prædest. Sanct.* cap. VIII, n. 13.

piam absolute decernenti, nemo profecto est qui resistat aut resistere possit. Tot enim ac tanta eidem suppetunt adjumenta ad finem obtinendum, quem absolute intendit, ut impossibile sit talem finem Deum non assequi. Ast non idem dici potest de gratia, quam homo semper respuere potest, seu cui potest assensum denegare. Ideo Deus, juxta S. Augustinum, cum quempiam vult absolute convertere, eam gratiam seligit ac confert, cui per scientiam suam prævidet libere quidem, verumtamen certe eum assensurum. Nempe illum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Nec aliud evincunt objecta testimonia Scripturarum, quæ semper loquuntur de omnipotentia ac voluntate Dei, non autem de adjumentis seu de gratiis, quibus utitur divina omnipotentia, aut quod idem est, divina voluntas ad conversionem, quam efficaciter vult, obtinendam. Ut igitur aliquid proficerent adversarii, deberent ostendere, Deum semper absolute velle aut conversionem aut mandatorum observantiam. Ast quomodo id poterunt efficere, si in singulis fere Sacrarum Scripturarum paginis Deus conqueritur de hominum malitia, resistantia, duritie, ob quas ejus voluntati obsistunt, ita ut flagella, ac punitionem æternam eis minitetur? Quæ quidem sunt totidem argumenta ineluctabilia ad evincendum, non semper Deum absolute quidpiam velle, ac propterea gratias hominibus conferre, quibus isti, si velint, obluctentur; alioquin aut Deus fingeret, nec serio hæc diceret, aut pœnas æternas intentaret hominibus, qui absque sua culpa deliquissent, quæ sunt absurda. Et hinc responsio patet ad singula adducta loca, quibus responderi debet, *Dist.* Verbum Dei faciet quæcumque Deus vult, aut Dei voluntati nemo resistit, etc. cum Deus quidpiam absolute intendit aut decernit, et quidem per media idonea, *conc.*; si ea ratione nec intendat nec velit, *neg.*

341. Ad 3^m, *Dist.* Omnis venit, qui audivit *et didicit*, id est, assensum præbuit, *conc.*; qui solum audivit, at non didicit seu assensum recusavit, *neg.* Plures enim sunt, qui audiunt, at non discunt, non ex defectu loquentis, sed audientium, qui *volunt intelligere ut bene agant* (1). Quare Theophylactus illud *didicit*

(1) Ps. xxxiv, 4.

exponit, *credidit*. Eodem sensu loquitur S. Augustinus, nempe de gratia efficaci seu reduplicative sumpta, qui scholarum est sermo. Hinc *negamus conseq.* Si enim veræ ac internæ vocationi nemo resisteret, non dixisset Deus, Prov. I, 24: *Vocavi, et renuistis*; aut Is. LXV, 12: *Pro eo quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis... et quæ nolui elegistis.*

342. Inst. 1^o S. Augustinus de gratia efficaci exponit verba Christi, Joan. VI: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater.. traxerit eum* (1). Ergo cum sine gratia efficaci nemo possit venire, patet, gratiam sufficientem nullam existere, quæ completam conferat agendi potentiam. 2^o Etenim, *si Deus miseretur, etiam volumus*, ut idem Sanctus testatur (2). Ideo autem Deus alicujus miseretur impertiendo ei gratiam, quia vult eum salvare; divinæ autem voluntati salvandi hominem, juxta eundem nunquam resistitur; sic enim loquitur: *Volenti salvum facere nulum hominum resistit arbitrium* (3). Ergo.

343. Resp. ad 1^m, *Dist. cons.* Nemo potest efficaciter venire, nisi efficaciter trahatur seu ex præviso hominis consensu, *conc.*; nemo potest absolute seu simpliciter venire, nisi ita trahatur, *neg.* Ac propterea *nego sequelam.* Responsio patet ex superius dictis (4).

344. Ad 2^m, *Dist.* Si Deus ita misereatur, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, *conc.*; secus, *neg.*

345. Ad 3^m, *Dist.* Divinæ voluntati salvandi hominem *abso-*

(1) *Tract, xxvi in Joan. n. 2 et seqq.*

(2) *Ad Simp. Lib. I, q. II, n. 12.*

(3) *Lib. de corrept. et grat. cap. 14, n. 43.*

(4) Ut luculentius pateat mens S. Doctoris, satis est afferre ejus verba ex loco nobis objecto. Sic porro loquitur, n. 4: *Noli te cogitare invitum trahi; trahitur animus et amore... Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi vo-*

luptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Et paulo infra; da amantem, et sentit quod dico. Da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quod loquor. Demum n. 7. concludit: Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo.

lutæ juxta dicta, conc.; conditionatæ, neg. De hac enim conditionata voluntate sic loquitur idem Sanctus: *A quo interitu, hoc est, a pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non obsistant misericordiæ Creatoris sui* (1).

346. Obj. secunda. Hæc doctrina de gratia sufficienti pro præsentis hominis statu adversatur universæ theoriæ S. Augustini, quam ipse tradidit præsertim in *Libro de Corrept. et grat.* Etenim S. Doctor in hoc libro 1º pro certo sumit, dari disparitatem inter gratiam status naturæ innocentis et statum naturæ lapsæ; ita ut in statu naturæ innocentis Deus contulerit gratiam sufficientem, quam homo respuere posset, prout reipsa eam respuit; in statu autem naturæ lapsæ conferat gratiam efficacem, seu longe validiorem, quam homo respuere nulla ratione valeat. 2º Hinc propterea duplex illud celebre adjutorium distinguit, quod recte vocaveris clavem ad intelligentiam doctrinæ S. Augustini aptissimam, imo unicam: *Ipsa adjutoria, inquit, distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen, cum adfuerint alimenta, fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vera beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium et quo fit est, et sine quo non fit... Primo itaque homini... datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur.... Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat constituta peccato, et nihil*

(1) Lib. *De catechiz. rudib.* cap. 25, n. 56.

ex se ipso ab concupiscentiæ impetu resistebat... Nunc vero, postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas... Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut cum divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur (1). Ergo.

347. Resp. *Neg. antec.* Theoria enim S. Augustini est, gratia medicinali Salvatoris hominem lapsum et infirmum fuisse *santum* (2), *restitutum ad pristinum statum*, ex quo ceciderat (3), *instauratam imaginem Dei*, in qua conditi eramus (4), ut toties inculcat. Jam vero, adversariis fatentibus, primus homo seu homo innocens præditus erat libertate indifferentiæ, gratiis pollebat indifferentibus; ergo ex S. Augustini doctrina homo lapsus eadem libertate indifferentiæ iisdemque gratiis instructus sit necesse est.

348. Cum tamen homo innocens in absoluta naturæ integritate existeret, ac plena propterea libertate frueretur ad bonum agendum, ac perseverandum in eo statu, in quo constitutus a Deo fuerat; ideo ipsi opus non erat ad actus salutare eliciendos nisi gratia illustrationis, qua ad hos actus excitaretur. Contra vero homo lapsus, ob amissam per peccatum illam integritatem ac naturæ vigorem infirmus effectus est, et gravibus urgetur interioribus ac exterioribus tentationibus, quæ maxime sibi sunt impedimento ad bonum cognitum volendum et amplectendum; sola proinde gratia illustrationis non recuperaret amissam illam libertatis plenitudinem, quam habuit homo integer. Ad hanc igitur integritatem recuperandam, restituendam, ac restaurandam, seu ad adipiscendam illam plenitudinem libertatis necessaria præterea eidem est gratia inspirationis seu fortitudinis, vigoris ac roboris, qua possit omnia interna ac externa impedimenta vincere ac superare. Hanc porro homini lapsu pro-

(1) Cap. 12, n. 34, 37 et 38. Hic mire exultant Calvinus, Jansenius eorumque asseclæ.

(2) *De civ. Dei*, lib. XIV, cap. II, n. 2: *Ea, inquit, quæ vitiosa ac depravata fuerat (natura), sanata atque correctæ.*

(3) *Retract.* lib. 1, cap. 9, n. 2.

(4) Lib. *De spir. et litt.* cap. 27, n. 47. Alia vide apud Tricass. op. cit. part. II. sect. XXI.

meritus est Christus, et hanc gratiam sanitatis seu voluntatis, ut vocant, quæ gratia illustrationis longe firmior ac fortior est, vindicat et adstruit S. Augustinus adversus Pelagianos in lib. cit. Imo ulterius progreditur; disputans enim adversus monachos Adrumetinos totus in eo est, ut gratiam hanc sanitatis, qua instruitur homo lapsus per Christi merita, efferat et commendet præ illustrationis gratia, qua præditus erat homo innocens. Inter cetera porro discrimina et hoc recenset, quod gratia illa dederit primo homini solam perseverantiæ possibilitatem seu potentiam; cum hæc conferat et ipsam perseverantiam, ut patet in prædestinatis, qui eam actu habuerunt; etsi magna intercedat disparitas inter conditionem hominis innocentis et hominis lapsi relate ad facilitatem vel difficultatem perseverandi, ut ipse S. Doctor late prosequitur (1). Perperam tamen quispiam inferret, non dari hominibus lapsis aliam gratiam præter efficacem, aut perseverantiam ipsam finalem, prout activa et passiva est. Nunquam talis mens fuit S. Augustini; ut constat ex omnibus locis, quæ ex ipso adduximus, et longe pluribus, quæ afferri possent. Si his addatur, quod alias non semel animadvertimus, hanc gratiæ efficaciam ex præscientia Dei, quæ ipsius omnipotentiam comitetur, repeti a S. Doctore, patet, totam male constructam corruere adversariorum machinam (2). His præmissis ad intelligentiam S. Augustini, respondemus ad singula.

(1) N. 38.

(2) Cfr. Tricassin. op. cit. part. II, sect. XXXIII; tum in op. cui titulus: *De prædestinatione ad gloriam*, pag. 1, sect. IV, puncto 1, ubi plura profert S. Augustini testimonia ad hoc evincendum. Cfr. etiam idem auctor, *De indifferenti*, etc. part. II, sect. LV. Satis hic sit, luculentissimum testimonium adducere ex S. Doctore, inter innumera quæ afferri possent, ut pateat, ipsum plenam ac perfectam agnovisse hominis lapsi electionem sub gratia.

Sic enim loquitur, *Enarr. in Ps. LI*, exponens verba illa *Dilexisti malitiam: Benignitas ante te; iniquitas ante te; compara et elige*. Et infra ibid. loquens de lingua: *Ante te, inquit, est æquitas, ante te est iniquitas, unam linguam habes, quo vis eam vertis: quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem?... Sicut eligis quo vescaris, sic elige, quid loquaris; præponis iniquitatem æquitati, et præponis malitiam benignitati, tu quidem præponis. Et*

349. Ad 1^m prob. *Dist.* Pro certo sumit S. Augustinus, dari disparitatem inter gratiam hominis innocentis ac lapsi, quod nempe illa fuerit illustrationis et hæc præterea inspirationis, *conc.*; quod illi resisti potuisset, isti vero non possit, *neg.*

350. Ad 2^m, *Dist.* Ita ut per *adjutorium sine quo* significet S. Doctor gratiam illustrationis et per *adjutorium quo* gratiam inspirationis, quæ prædestinatis tribuat ipsam actualem perseverantiam, *conc.*; gratiam indifferentem et gratiam solum efficacem pro status diversitate, *neg.* Responsio patet ex dictis (1).

351. Obj. tertia. Pro quam gratia pugnaverit S. Augusti-

inferius: *Ecce, quo te teneas, ad id quod manet in æternum. Nam ad fœnum et ad florem fœni si te tenueris, quoniam fœnum arescet, et flos decidet, destruet te Deus in finem* (n. 10 et 12). Ubi evidenter omnimodam liberam electionem boni aut mali S. Doctor commendat, et propriam hominis determinationem ad unum eorum per hæc verba: *tu præponis et quo te teneas.* Et rursus in Ps. xci, n. 3: *Satanas, inquit, astutiam suadendi habet. Sed si Satanus loqueretur, et taceret Deus* (scilicet non suadens contrarium per gratiam suam), *haberes unde te excusares; modo aures tuæ positæ sunt inter momentem Deum et suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, et hinc avertuntur? Non cessat Satanus suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanus autem non cogit invitum; in tua potestate est consentire aut non consentire, etc.* Quid clarius pro libera electione sub gratia, quæ respui possit?

(1) De hoc celebri Augustini effato, quo tantopere gloriatur Jansenius, quasi primus illud vidisset, ac prop-

terea illud passim appellat clavem, quæ aperit intelligentiam controversiæ inter Pelagianos et S. Augustinum, quæque patefacit discrimen inter gratiam sanitatis et medicinalem, etc. de celebri, inquam, hoc effato et Jansenii invento cfr. P. Dechamps, op. cit., *De Hæresi Janseniana*, lib. 1, qui est de *Jansenio hæreticorum plagiario*, diss. III, cap. 3; ubi ostendit, totum hoc inventum surripuisse Jansenium a Calvino, qui plus quam vices repetit hoc S. Augustini testimonium desumptum ex lib. *de Corrept. et grat.* et inculcat plusquam tricies hoc discrimen inter gratiam naturæ innocentis et lapsæ. Nobis satis sit adducere, quod hic hæresiarcha scribit in *Antidoto Conc. Trid.* ad sess. vi, cap. 4, edit. tert. pag. 278: *In eo, inquit, hallucinantur* (Tridentini Patres), *quod motum nobis offerri somniantur, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quod nullum observant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseræ nostræ subvenit, et primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen. Quod diligenter Augustinus exponit.*

nus melius cognosci nequit quam ex doctrina Pelagianorum ac Semipelagianorum, adversus quos agebat. Atqui certum est, totam controversiam, quæ inter hos et S. Augustinum agitata est, versatam fuisse in eo, quod isti sectarii contenderent, talem esse gratiam, quæ hominibus in præsentī conditione conceditur, cui humana voluntas resistere posset aut obtemperare; et quod e contra S. Augustinus hanc sententiam velut hæreticam insectaretur. 1º Etenim Pelagius admiserat gratiam *possibilitatis*, cum qua scilicet homo possit bene agere; 2º hanc *possibilitatem* vocabat gratiam; ac 3º profitebatur eam a Deo gratuito tribui; 4º adiciebat præterea per gratiam a Deo concessam hominem salutariter agere posse, dummodo velit eidem gratiæ assentiri. 5º Attamen S. Augustinus ejusmodi gratiam constanter rejecit, eo quod non fateretur Pelagius talem gratiam semper esse cum effectu conjunctam. Verum id luculentius patet ex systemate Semipelagianorum. 6º Isti enim agnoscebant necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei et bonorum operum; cum tamen contenderent, huic gratiæ posse hominem libero voluntatis arbitrio resistere aut obtemperare, in eo fuerunt hæretici, eosque S. Augustinus ut tales insectatus est. 7º Nam ex eodem Sancto patet, eos fassos fuisse, *ad nullum opus bonum vel incipiendum vel*

Istam, inquit, gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet; sed potentior est gratia in secundo Adam, qua fit etiam, ut velimus. Deinde profert Calvinus ibid. aliud argumentum Jansenio familiarissimum: Dico, inquit, aperte pugnare, quod hic pronunciant Tridentini Patres, cum illa Christi sententia: Quisquis audit a Patre meo, venit ad me. Nam, ut prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullum a Deo audire et discere,

quin simul in Christum credat; motumque Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat. Constituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet. Attamen hæc duo sunt præcipua Jansenii argumenta! Sed Calvinus nec ipse inventor est; fatetur enim ingenue se hæc hausisse a Luthero. De sensu autem hujus duplcis adiutorii cfr. idem doctissimus auctor, lib. III, disp. III, cap. 13 et seqq. Cfr. præterea P. Franc. Ant. Zachariæ S. J. De adiutorii sine quo non et adiutorii quo vera germanaque notione diatriba, in ejusdem Thesauro theol. tom. v.

perficiendum sibi quemque sufficere posse (1). 8^o Cum vero fides sit opus bonum, hoc ipso patet, Semipelagianos ad ejus pariter initium gratiæ necessitatem admississe. 9^o Sane Faustus et Vitalis, qui Semipelagiani erant, primas partes tribuebant gratiæ in negotio salutis (2). 10^o Gennadius et ipse Semipelagianus in *Libro de ecclesiasticis dogmatibus* aperte docet: *Initium salutis nostræ Deo miserante nos habere*. In quo igitur erravit? In eo quod subdit: *Ut vero acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ est potestatis*. Cum vero S. Augustinus hanc doctrinam ut hæreticam repudiaverit, patet, quod propositum est, totam scilicet controversiam in eo stetisse, quod S. Augustinus nullam agnoverit gratiam in præsentī statu quæ non sit efficax, secus ac illi contenderent. Ergo.

352. Resp. *Neg. min.* Sed tota controversia in eo fuit, quod, cum Pelagiani inficiarentur peccati originalis propagationem, nullam admitterent gratiæ medicinalis necessitatem, qua voluntas infirma sanaretur ad bonum agendum et ad superanda salutis impedimenta sive interna sive externa. Hinc prius solam admiserunt gratiam creationis, quam et *possibilitatis* vocarunt, deinde gratiam legis ac doctrinæ, tandem, ut nonnullis placet, etiam gratiam interioris illustrationis ad facilius operandum; at gratiam inspirationis seu medicinalem, quæ sanaret voluntatem eamque roboraret, nunquam admiserunt; et pro hujus necessitate pugnavit S. Augustinus. Semipelagiani hujus quidem necessitatem admiserunt ad opera bona, non tamen ad initium fidei ac perseverantiam, ut suo loco docuimus; quare primas partes in negotio salutis sibi tribuebant; et hunc errorem insectatus est S. Augustinus. De gratiæ autem efficacia nullam unquam cum illis controversiam habuit. Itaque

353. Ad 1^m prob. *Dist.* Pelagius admiserat gratiam *possibilitatis*, quæ nempe in solo consisteret libero arbitrio, *conc.*; in gratia proprie dicta, *neg.* Ut superius vidimus.

354. Ad 2^m, *Dist.* Vocabat gratiam ad illudendum Catholicis

(1) Lib. *De prædest. SS.* cap. 1, n. 2.

(2) Apud Jans. *De hæresi pelag.* lib. VII, cap. 3, 4 et 7.

atque ad damnationem declinandam, *conc.*; vere ac proprie, *neg.*

355. Ad 3^m, *Dist.* Profitebatur, gratiam gratis concedi a Deo ut auctore naturæ, *conc.*; ut auctore gratiæ, *neg.*

356. Ad 4^m, *Dist.* Adjecit gratiam *illustrationis*, *conc.*; *inspirationis* sanantis voluntatem, *neg.*

357. Ad 5^m, *Neg.* Hoc enim aperte falsum est, et a solis Calvinistis et Jansenianis excogitatum ad calumniam struendam adversus doctrinam catholicam (1).

358. Ad 6^m, *Neg.* Hæc siquidem est ipsa propositio Jansenii ut *falsa* et *hæretica* proscripta, prout paulo ante ostendimus.

359. Ad 7^m, *Dist.* Dempta fide, quam meritis suis Semipelagiani adscribebant, aut saltem desiderii aut naturæ conatibus, *conc.*; etiam ad initium fidei, *neg.*

360. Ad 8^m, *Dist.* Ita tamen ut ejus initium Semipelagiani sibi tribuerent, *conc.*; secus, *neg.* Aliud enim est loqui de fide formali, aliud vero de vocatione ad hanc fidem, circa quam errabant Semipelagiani, ut pariter suo loco ostendimus.

361. Ad 9^m, *Dist.* Id est, Faustus, *trans.*; Vitalis, *subdist.* primas partes in negotio salutis tribuebat gratiæ *illustrationis*, ut Pelagiani, *conc.*; *inspirationis* sanantis infirmitatem per peccatum in voluntate contractam, *neg.* Sic enim Semipelagianorum errorem refert S. Prosper, scribens ad S. Augustinum (2). Imo et Augustinus ipse eos impugnans ait: *Hæc est illa Pelagianorum mala meritoque reprobata... sententia, qua dicunt gratiam*

(1) Cfr. Tricassin. *De indifferenti*, etc. part. I, sect. v, § 1.

(2) En ejus verba, quibus de Semipelagianorum errore edocet S. Augustinum: *Propositum autem vocantis gratiæ* (quæ est ad primam fidem) *in hoc omnino desiniunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum* (nempe initium) *omnes homines uni-*

versaliter sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per Evangelicam prædicationem vocari (scilicet per solam gratiam *illustrationis* et quidem extrinsecam seu objectivam), *ut et qui voluerint* (nempe per liberum arbitrium cum sola prædicta gratia *illustrationis* seu intellectus) *fiant filii Dei, et inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint*, etc. Epist. præmissa lib. S. Aug. *De prædes.* SS. n. 4.

Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina (1).

362. Ad 10^m, *Neg.* Gennadium inter Semipelagianos recensendum esse; quod si interdum ipsis plus quam par esset Gennadius indulgit, ab eorum sententia recessit; nihilque in opere citato occurrit, quod Semipelagianismum sapiat. Quare loco cit. catholicam doctrinam expressit (2).

(1) Cfr. plura testimonia apud Tricass. op. cit. part. I, sect. III et seqq.

(2) Cfr. Maffei, *Hist. Theol.* lib. XVI, cap. 10, ubi Gennadium ostendit virum fuisse catholicum. Sane Gennadius scribit: *Manet itaque ad quærendum salutem arbitrii libertas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire.* Inter op. August. tom. VIII, pag. 78, apud eundem Maff. loc. cit. Ipse Nat. Alex. *Diss.* IV, in *hist. eccl.* sæc. V, agens de libro Gennadii, ex quo objectum est testimonium, nempe *De dogmat. ecclesiast.* dicit eum catholicum esse et dogma ab Arausicana Synodo traditum in eo contineri, et a Gennadio jam respiciente fuisse editum et missum ad Pontificem Gelasium. Cfr. Meyer, *Hist. de Aux.* vol. II, pag. 331. Circa Faustum Regiensem, de cujus orthodoxia a Norisio, Tillemontio aliisque dubitatum est, cfr. Stiltingus, tom. VII, mensis Septembris, ad diem XXVIII, ubi § VIII et seqq. pag. 670 et seqq. prolixa dissertatione ipsum defendit ab omni erroris suspitione. Quoniam vero de Gennadio et Fausto agitur, placet asserere judicium, quod Gennadius tulit de libris Fausti, ut appareat utriusque orthodoxia: *Edidit quoque* (Faustus),

inquit, *opus egregium De gratia Dei, qua salvamur, et libero humanae mentis arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet, gratiam Dei semper et invitare et præcedere et juvare voluntatem nostram; et quidquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.* Ita in *Catalogo illustrium viror.* inter opp. S. Hieronym, edit. Rom. 1572, tom. IX, pag. 316. Hæc erunt animadvertenda ad fraudem præcavendam Jansenii, qui ut facilius, hæreticam doctrinam suam tanquam catholicam obtrudat, solet erroris postulare plures antiquos Scriptores catholicos ut evincat errorem Semipelagianorum in eo stitisse, quod vellent immunitatem a necessitate consistere sub gratia. Quidam minus cauti decepti sunt. Si Jansenistas audias, quotquot non admittunt sua paradoxa, totidem Pelagiani aut Semipelagiani sunt; hinc illæ querelæ, quod nulla hæresis adeo diffusa sit, nec tamdiu perseveraverit. Ita Grégoire, *Hist. des Sectes*, tom. II, *Nouveaux Pélagiens*, pag. 295: *Le Pélagianisme est l'erreur la plus répandue... l'erreur d'une foule de prétendus chrétiens qui, sans le professer extérieurement, comptent sur leurs forces na-*

363. Obj. quarta. Gratia sufficiens est inutilis, perniciosa, ideoque Deo indigna. Ac 1^o quidem inutilis est; cum ad operandum nihil inserviat; caret enim effectu. 2^o Sed præterea est perniciosa, *qua nemo unquam, fatentibus etiam scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est* (1). 3^o Sane nisi talis esset, posset peti a Deo; quod tamen nemo dicet. 4^o Hinc Ecclesia semper petit gratiam efficacem. 5^o Quorsum enim Deus eam daret, cum jam præviderit eam nonnisi in perniciem esse cessuram? Indigna proinde Deo est. Ergo.

364. Resp. *Dist. antec.* In sensu Janseniano, *conc.*; in sensu catholico. *neg.*

365. Ad 1^m prob. *Dist.* Ad operandum nihil inservit, et caret effectu ex culpa hominis, qui eam respuit, *conc.*; ex defectu sui, *neg.* Omnes enim ejusmodi difficultates, et si quæ sunt aliæ, laborant, ut Logici loquuntur, falso supposito; ex eo enim oriuntur, quod ponatur intrinsecum discrimen inter gratiam efficacem et gratiam sufficientem, quod tamen Ecclesia non docet. Si igitur gratia sufficiens nil aliud est nisi gratia rejecta, seu gratia quæ ex sola hominis malitia effectu suo caret, patet, nullam inde peti amplius posse difficultatem. Nihil enim ejusmodi gratiæ deest, quod requiratur ad effectum obtinendum; sola siquidem perversa hominis voluntas efficit, ut ea non producat effectum, ad quem expeditam ac plenam tribuit facultatem.

366. Ad 2^m, *Neg.* Nemo enim Catholicorum docet, quod ipsis affingit Jansenius. Hinc jure Alexander VIII hanc Synnichi pro-

turelles pour opérer le bien. A cette erreur se rattachent toutes les défections qui, dans le cours des siècles, ont affligé l'Eglise (exceptis Lutheranism, Calvinism et Jansenism). Illum tamen recreat et consolatur, quod: L'Italie eut toujours d'habiles défenseurs de la doctrine de saint Augustin sur les vérités de la grâce. Parmi les écrivains italiens qui, dans ces derniers temps, les ont soutenues

se distinguent Tamburini, Natali, Palmieri, ... l'archiprêtre Guadagnini.

(1) Ita Jans. *De grat. Salvatoris*, lib. III, cap. 3, ubi inquit: *Jam vero quid monstrosius proferri potest quam quoddam distinctum a ceteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani generis usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit aut habiturum est.*

positionem confixit : *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est , sic ut proinde merito possimus petere : a gratia sufficienti libera nos , Domine* (1).

367. Ad 3^m, *Dist.* Possit peti a Deo prout simpliciter gratia est , *conc.*; prout sufficiens est , seu reduplicative sumpta , *neg.* Esset enim , juxta dicta , petere a Deo resistentiam gratiæ , quam ipse confert.

368. Ad 4^m, *Neg.* Sed Ecclesia petit ac efflagitat in genere Dei gratiam ad bene agendum.

369. Ad 5^m, *Resp.* eadem ratione Deum largiri gratiam , quam prævidet in perniciem cessuram esse ei , qui pervacaciter ipsi resistit , qua tot bona etiam in ordine naturali misericorditer tot hominibus tribuit , etsi prævideat ea in muscipulam fore pedibus insipientium. Cum enim ipse ingenium , opes , valetudinem aliaque ejusmodi hominibus tribuit , profecto patefacit bonitatem suam , etsi prævideat ex recipientium malitia vertenda ea esse in injuriam munifici largitoris et in ruinam atque extremam eorum perniciem , qui illis abusuri sunt. Resolvitur propterea hæc quæstio in alteram generalem de permissione mali moralis ; de qua recolantur , quæ suo loco disputavimus (2).

(1) Cfr. Viva , *Damnatar. Thesium theologica Trutina* , ad Prop. vi inter damnatas ab Alex. viii. Paria huic damnatæ propositioni protulit Gerberonius , qui scribere ausus est : *Si diabolus posset gratiam dare , non aliam daret quam sufficientem , quia favet ipsius intentioni homines damnandi. Unde potest appellari gratia damnationis.* De Gerberonio ejusque libris

cfr. *Le véritable esprit des nouveaux disciples de S. Augustin* , tom. III , *Lettre d'un docteur de Sorbonne à un homme de qualité sur le procès fait par Mr. l'archevêque de Malines à Dom Gabriël Gerberon , moine bénédictin de la Congrég. de S. Maur* , pag. 1214 et seqq.

(2) De Deo , n. 138 et seqq. tom. II , pag. 67.

CAPUT V.

DE GRATIÆ DISTRIBUTIONE.

370. Eodem spectant ea, quæ suo loco scripsimus de vera ac sincera voluntate Dei salvandi omnes et singulos homines ac de morte Christi ex eodem affectu pro omnibus et singulis hominibus, et ea quæ nunc in quæstionem veniunt circa gratiæ divinæ distributionem; imo posterius hoc argumentum ab illo priori pendet. Nec enim Dei voluntas sterilis est; et, si ipse, ad hominum salutem, ipsam decrevit Christi mortem, dubium ne superesse potest, quin ob Christi merita velit omnibus ac singulis hominibus subsidia necessaria conferre, quibus isti salutem sibi comparare valeant? Hinc Jansenistæ qui cum Novatoribus contendunt, non omnibus gratiam a Deo conferri necessariam ad salutem, hoc ipso negarunt, Deum sincere velle omnes omnino homines salvos fieri, et Christum pro omnibus prorsus hominibus mortem obiisse aut sanguinem suum fudisse; adeo arctus est nexus ac dependentia alterius articuli ab altéro. Quare, post ea quæ fusius in Tractatu de Deo disputavimus (1), supervacaneum videretur, hanc adnectere peculiarem disceptationem; cum tamen suis argumentis et adstruatur ac impugnetur quod de gratiæ distributione traditur, cogimur proinde de ea, data opera, disserere.

371. Ut autem ab ordine ac perspicuitate non digrediamur, dispescere debemus ea, quæ de fide sunt, ab iis, quæ eundem certitudinis gradum minime obtinent. Ex his porro, quæ dogma non attingunt, alia sunt quæ communi fere suffragio catholicis Theologis probantur, alia autem quæ privati doctores aut inficiantur aut saltem in dubium revocant; secus ac ferat catholicæ doctrinæ pia sententia, quæ non patitur Deum exhiberi gratiarum suarum avarum, qui reipsa avarus non est nisi animarum

(1) Cfr. n. 460 et seqq.

nostrarum (1). Itaque Jansenistæ contendunt, vel ipsis justis volentibus ac conantibus interdum deesse Dei gratiam, qua valeant Dei præcepta adimplere; multo magis id affirmant de peccatoribus fidelibus, præsertim vero de impiis illis, qui vulgo *obcæcati* et *indurati* audiunt, ac de infidelibus. Nonnulli Theologi cum iis consentiunt circa peccatores obduratos et obcæcatos, maxime vero quoad infideles; etsi cum ceteris teneant, non negari a Deo gratias peccatoribus communibus. Nos igitur totidem propositionibus primode justis, deinde de peccatoribus, postea de obcæcatis et obduratis, denique de infidelibus disceptabimus.

372. Præmittimus vero, 1^o hic non agi de distributione gratiæ efficacis, cum nemo sit, qui contendat hanc omnibus dari, sed solum de distributione gratiæ proxime aut remote sufficientis, juxta notionem quam de ea præbuimus, quæ nempe veram, completam ac relate ad præsentis subjecti circumstantias bene operandi facultatem tribuat; 2^o non agi de sola gratiæ *oblatione*, ut nonnulli minus accurate loquuntur aut etiam subdole, ut fucum faciant imperitis, sed de reali gratiæ *collatione*. Ille enim qui esurienti panem offerret, quem tamen ipse attingere nequiret, ei illuderet, ita enim esuriens fame interiret. Sic etiam Deus, si

(1) Ita passim S. Augustinus, qui Deum vocat *avarum salutis nostræ et animarum nostrarum*. Jam vero Deus profecto non esset avarus animarum, si earum aliquas relinqueret sine gratia sufficienti ad opera bona facienda, ad mala vitanda et ad consequendam vitam æternam, ut per se patet; siquidem proprium avarorum est, nihil prætermittere eorum, quæ necessaria sunt ad acquirendam pecuniam. Porro S. Augustinum ita Deum avarum exhibere, constat ex *Serm. xv* apud Sirmondum, apud Maurinos vero *Serm. cxxv*, n. 8: *Parum est*, inquit, *Dominico meo, avarus est, sed avaritia Dei salus nostra est. Avarus est,*

nummos suos quærit (bona opera nostra), *imaginem suam colligit* (scilicet animas nostras, quæ ad ejus imaginem factæ sunt). *Dares, inquit, pecuniam nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem.* Et *Serm. xxxvii* inter Sirmondianos, apud Maur. ccclix, n. 2: *Consolatur te non avarus Frater tuus* (Christus)... *Dixi eum non avarum, et forte invenio avarum. Avarus est; sed nos vult habere, nos vult acquirere. Pro nobis tantum pretium dedit se ipsum; nihil ad hoc pretium addi potest.* Enarr. in *Ps. xcix*, n. 10, scribit: *Avarus est Deus salutis nostræ.*

solum offerret gratiam, quam tamen re ipsa non conferret, homini illuderet, non autem ipsum adjuvaret, quod vel etiam cogitare absurdum est. His positus, sit

PROPOSITIO I.

Justis omnibus, præsertim vero volentibus et conantibus, urgente præcepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia præcepta.

373. De fide est hæc propositio adversus Jansenium, cujus propositio I^a: *Aliqua præcepta, etc, damnata est ut hæretica.*

374. Ita porro ex Scripturis catholicam veritatem evincimus: Apostolus, I Cor. X, 13, de justis scribit: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Atqui vera hæc minime essent, nisi Deus justis præsto esset gratia sua urgente præcepto. Huc pariter referuntur verba Eccli. XV, 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Imo et Christi ipsius, Matth. XI, 30, dum dixit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve;* I Joan. V, 3: *Mandata ejus gravia non sunt.* Hæc autem, quibus suavitas ac facilitas mandatorum divinatorum commendatur, nisi saltem in justis vera essent, in nullo alio locum haberent. Jam vero juxta ipsos adversarios, gratia non opitulante, præcepta Dei non modo levia non essent, sed prorsus impossibilia evaderent; cum tamen contrarium de Dei præceptis in Scripturis prorsus prædicetur, argumento est ineluctabili, saltem justis non deesse gratiam, qua possibile fiant ac levia.

375. Non minus facile hæc eadem veritas ex S. Augustino adstruitur, cujus verba hæc sunt: *Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur* (1). Et alibi fidenter interrogat: *Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero*

(1) Lib. 1. *De nat, et grat, cap. 2.*

et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat... Dominus curam habet tui, securus esto... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse (1).

376. Quare Concilium Arausic. II, Can. XXV, sic loquitur : *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati; Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere (2).* Ergo fides catholica docet, omnes baptizatos, ac propterea multo magis justos, divina præcepta adimplere posse; quomodo vero nisi per gratiam? Clarius adhuc Tridentina Synodus catholicam hanc fidem adstruit, sess. VI, can. XVIII : *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Jure proinde Innocentius X allatam superius Jansenii propositionem jam *anathemate damnatam* declaravit; quamvis Janseniani clament, nihil commune esse inter errorem a Tridentino canone in Novatoribus proscriptum et Jansenii propositionem (3).

DIFFICULTATES.

377. Obj. prima. S. Petrus, quamvis justus, caruit gratia, urgente præcepto; Sancti enim Patres aperte id docent, ut Hi-

(1) *Enarr in Ps. xxxix*, n. 27
Pluræ alia testimonia ejusdem S. Doctoris cfr. apud. Dechamps, op. cit. lib. III, disp. VIII, capp. 3, 4 et 5.

(2) Apud Hard. *Act. Conc.* tom. II, col. 1101.

(3) Nempe Jansenius cum suis contendit, *De grat. Christi*, lib. III, cap. 19, Concilium Tridentinum in adductis locis non loqui de gratia actuali, sed de habituali tantum, idque unum sacram Synodum decernere : Deum nempe non ante a justis recedere per sanctificantis gratiæ subtractionem, quam ipsi per lethale peccatum (ad quod vitandum gratia necessaria actuali de-

stituti sunt, ac propterea vitare non potuerunt) a Deo recesserint. Ideo vero juxta Jansenium usurpat Concilium Tridentinum illa verba : *Deus justificatos non deserit*, ut probet adversus Novatores, justos non desinere tales esse, quod persæpe in venialia peccata incurrant. Ast miserum hoc effugium evertunt verba ejusdem Concilii, sess. XIII, cap. 13, ubi manifestum est Concilium locutum fuisse de auxilio actuali, quod nunquam justis deest; ait enim de justis : *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut*

larius qui affirmat, ipsum *non potuisse vitare culpam* (1); et S. Joan. Chrysost. qui scribit: *Negatio Petri non tam erat socordicæ et negligenticæ, quam ex eo quod Deus eum deseruerat* (2). Sed præ ceteris S. Augustinus, cujus verba decretoria sunt: *Quid est homo, inquit, sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum* (3)? Quod sæpe alias repetit. Ergo.

378. Resp. *Dist. antec.* Et Petrus erat ex justis humilibus volentibus et conantibus, ut supponitur in propositione Jansenii, *neg.*; erat ex iis qui nimium propriis viribus, constantiæ ac firmitati suæ confidunt, *conc.* Talem autem Petrum fuisse, tum ex Scriptura tum ex adductis Patrum testimoniis abunde constat. Extra causam igitur S. Petri exemplum affertur. Apposite propterea aiebat de Petro S. Augustinus, cujus auctoritate adeo abutuntur Janseniani: *Quis enim dubitaverit, quod... Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset* (4)? Nam, dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum propheta dicere: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* (5). Ergo juxta S. Augustinum derelictus fuit Petrus ob mentis suæ

cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Quis hæc verba ad gratiam habitualement detorqueat? Gratia illa, qua Deus, nisi illam abjiciamus, operatur velle et perficere, est gratia operans et cooperans, ideoque actualis; et non habitualis. Cfr. De-champs, op. cit. lib. II, disp. VIII, cap. 3.

(1) Cap. 32 in Matth. n. 4.

(2) *Hom. xxxi in Epist. ad Hebr.* n. 3.

(3) *Serm. cxxiv de Temp.* n. 1.

(4) *Lib. De unit. Eccles.* cap. 9.

(5) Passim S. Augustinus docet, Petrum de se præsumpsisse, cum profiteretur se paratum ad mortem pro Christo subeundam. Quoniam Jansenistæ toties obtrudunt exemplum Petri, ut evincant justo volenti et conanti

gratiam interdum deesse, juverit nonnulla S. Augustini testimonia hic subjicere, ut pateat eos longe discedere ab Augustini mente, dum talia effutiant. *Tract. xxvi in Joan.* n. 1, sic Christum Petrum alloquentem inducit: *Quid tantum præsumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Audi quid sis: Amen, amen dico tibi, etc.*; ibi, n. 2: *Non tamen pro Domino, ut temere præcessit.* *Tract. cxiii,* n. 6: *Ecce, inquit, medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumptio.* *Serm. ccxcvii,* n. 1: *Præsumptionem ferebat, tumorem suum nesciebat,* *Serm. ccxcvi,* n. 3: *Inventum est quomodo prædixerat medicus, non quomodo præsumpserat ægrotus; et alibi passim.*

tumorem ; nec ita derelictus est , ut gratia orationis fuerit destitutus. Addo , ex S. Augustino ab adversariis adductum testimonium apocryphum esse (1). S. Hilarius loquitur de potentia consequenti , ut aiunt , non autem de antecedenti et absoluta ; ut patet ex contextu (2). S. Joan. Chrysostomus ideo dicit Deum deseruisse S. Petrum , *quia elato erat animo* et de se præsumperat (3).

379. Obj. secunda. 1^o S. Augustinus , lib. *De nat. et grat.* ait : *Fideles orantes dicunt : et ne nos inferas in tentationem ; sed libera nos a malo. Si adest possibilitas , ad quid orant* (4) ? Nec reponere juvat , justis a Deo conferri saltem gratiam orationis , qua bene utentes possint mandata servare ; hoc siquidem alienum est a S. Doctoris mente. In hac enim hypothesis ratio pateret , quare ex istis alii perseverent , alii tentationi cedant , quod alii nempe oraverint , alii vero orare neglexerint. 2^o At S. Pater fatetur , causam hujus discriminis se plane ignorare : *Si*, inquit , *ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet , cur illi ita suadeatur , ut persuadeatur , illi autem non ita ; duo sola occurrunt interim , quæ respondere mihi placeat : O altitudo... et : Numquid iniquitas apud Deum* (5) ? 3^o Adde , juxta S. Doctorem justos interdum ipsa orationis gratia destitui : *Nonne* , ait ipse , *aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est* ,

(1) Cfr. in Append. tom. iv , *Serm.* lxxix , n. 1.

(2) Totus hic est , ut excuset S. Petrum , quoad potest ; hinc ait : *Et vere prope jam sine piaculo hominem negabat , quem Dei Filium prius agnoverat ; tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset , amarissime flevit , recolens trepidationis istius culpam , se nec admonitum potuisse vitare.* Hanc eandem interpretationem dederat S. Ambrosius , lib. x in Luc. n. 82. Sed exploditur a S. Hieronymo et Augustino. Cfr. hic nota edit. Maur.

(3) Subdit enim immediate post cit. verba : *Erudiens , ut humanam sciret mensuram , et non repugnaret iis , quæ dicebantur a magistro , neque magis quam alii altum saperet... Nam quoniam erat verisimile eum sibi placere , et elato esse animo , etc.* Παιδείοντος αὐτὸν εἰδέναι τὰ ἀνθρώπινα μέτρα , καὶ μὴ ἀντιλέγειν τοῖς παρὰ τοῦ διδασκάλου λεγομένοις , μηδὲ μείζονα τῶν ἄλλων φρονεῖν... , ἐπειδὴ γὰρ εἰκὸς ἦν αὐτὸν μέγα φρονεῖν , κ. τ. λ.

(4) Cap. lxxi , n. 62.

(5) Lib. *De spirit. et litt.* cap. 34.

vel potius frigida et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus... Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus jubet (1)? Ergo.

380. Resp. ad 1^m, *Dist.* Si adest possibilitas per naturam sensu pelagiano, *conc.*; per gratiam; *neg.* Ad sensum itaque Pelagii ibi loquitur S. Augustinus; hinc ipsi objicienti: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri*, respondet: *Ideo jubet (Deus) aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Supponit igitur, omnes justos habere semper saltem gratiam orationis.

381. Ad 2^m, *Dist.* Id est, fatetur S. Augustinus se ignorare, cur alteri detur gratia prævisa efficax tum orationis tum alterius cujusque operis salutaris, *conc.*; cur detur gratia sufficiens ad hæc præstanda vel non detur, *neg.* Nunquam enim de hoc dubitavit aut hæsit S. Doctor, cum pro certo habuerit, omnibus hanc gratiam præsto esse; quare semper in hominum culpam (non quidem originalem aut actuales præteritas, ut autumant Jansenistæ) refundit, quod non perseveraverint ob suam negligentiam, socordiam, superbiam; qua fit, ut cum *deserunt, deserantur*(2).

382. Ad 3^m, *Dist.* Et hic loquitur S. Doctor de effectu ipsius gratiæ, *conc.*; de ipsa gratia seu potentia orandi, *neg.* Loquitur scilicet de ipsa actuali oratione, *quam*, ut ait, *aliquando ita negligimus, ut vel tepide, vel frigide, vel nullatenus oremus, et de eo non doleamus.* Hi siquidem sunt omnes effectus potentiæ orandi et non orandi, de quibus solum disserit, non autem de potentia orandi, de qua sola hic agimus. Adde, hic S. Augustinum minime loqui de eo casu, in quo instet præceptum aliquod adimplendum, quod ut possibile fiat, necessaria gratia est (3).

(1) *Ad Simplic.* lib. 1, quæst. 11, n. 2.

(2) Cfr. Tricassin. *De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data*, sect. 1v, § 1v.

(3) Cfr. Tricass. *ibid.*, et § v. Certe S. Augustinum supponere, omnibus

gratiam præsto esse ad mandata servanda, patet ex ejus effato, lib. *De perf. justit.* cap. 105, ubi animæ, quæ gravia seu difficilia ea sentiat, dicit: *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

383. Obj. tertia. 1^o Si omnibus justis, saltem urgente præcepto, daretur gratia sufficiens, justii omnes etiam non prædestinati perseverare possent. 2^o Hoc porro adversatur doctrinæ S. Augustini, qui in lib. *De dono perseverantiæ*, cap. XXII, docet, a justo non prædestinato Deum subtrahere obediendi vires, ideoque et gratiam relative sufficientem. Etenim prolatam sententiam monachorum Adrumetinorum: *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, et obedire cessetis*, ut veram agnoscit, ac solum quoad asperiores loquendi modum temperat, commutando secundam verbi personam in tertiam scribens: *Non dicatur: Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi; sed si qui obediunt, et cætera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam*. Ergo.

384. Resp. ad 1^m Conc.; juxta doctrinam Concilii Tridentini, dum ait: *Deus semel sua gratia justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur* (1); et juxta doctrinam S. Augustini dicentis: *Homo, in eo, quod audieras et tenueras, perseverares, si velles* (2).

385. Ad 2^m, *Neg.* Etenim S. Augustinus prædictam sententiam, prout a monachis afferebatur, rejecit ut *abominabilem*, non solum quoad modum, verum etiam quoad rem ipsam. Quod enim *abominabile* est, semper tale est, sive in secunda, sive in tertia persona proferatur. Dum vero eam emendavit, sustulit penitus illam *subtractionem virium*, in qua sita est vis difficultatis, sic enim eamdem propositionem emendatam proponit: *Quid sententiæ deperit*, inquit, *si dicatur: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt*. Tunc enim sensus hic redditur: Si qui obediunt, et non sunt prædestinati, culpa sua a perseverantia excident, atque ex prævisa hac culpa damnabuntur. Ita mentem S. Augustini exponit S. Prosper in *Reponsiõne ad XII objectionem Gallorum*, dicens: *Vires itaque obedientiæ non ideo cuique subtraxit (Deus), quia eum non prædestinavit; sed ideo eum non prædestinavit, quia re-*

(1) Sess. vi, cap. 11.

(2) *De corrept. et grat.* c. 17, n. 11.

cessurum ab ipsa obedientia esse prævidit (1). Quo sensu propositio vera est, neque aliquid ei *deperit* circa doctrinam de perseverantia in fide, quam S. Doctor propugnabat adversus Semipelagianos.

386. Obj. quarta. 1^o S. Augustinus passim docet, justos interdum volentes et conantes servare præcepta non posse juxta præsentés, quas habent, vires, ut lib. *De grat. et lib. arb.* cap. XVII: *Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit et robustam.* Quod et sæpe repetit. 2^o Adde, Deum gratiam nulli debere; justis propterea denegare posse. Ergo.

387. Resp. ad 1^m, *Dist.* Per gratiam proxime sufficientem, *trans.* vel *conc.*; per gratiam remote sufficientem, *neg.* Et hac ratione tum allatum testimonium tum reliqua his similia exponi debent.

388. Ad 2^m, *Dist.* Seclusa gratuita Dei promissione, *conc.*; hac supposita, *neg. ant.* et hinc *neg. cons.*; quia, etsi ex justitia Deus nemini teneatur gratiam conferre saltem efficacem, tenetur tamen ex fidelitate, quam sibi debet, et ex quadam convenientia sapientiæ suæ ac bonitatis justis vires ad servanda præcepta concedere.

PROPOSITIO II.

Deus omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum peccata præcavere tum a peccatis resipiscere.

389. Spectat hæc propositio ad doctrinam catholicam, assertam in Concilio Araus. II, can. XXV, superius laudato. Diximus porro in propositionis enunciatione, gratias a Deo tribui *ad præcavenda peccata*, ideoque sub hoc respectu toties dari, quoties præceptum urget implendum; dum vero diximus, *tum ad resipiscendum a peccatis*, non ita accipienda propositio est, quasi Deus singulis

(1) In Append. ad tom. x, opp. S. August.

quibusvis momentis gratias conferat; sed pro loco, tempore ceterisque adjunctis, in quibus Deo placuerit illas concedere.

390. Prior autem propositionis pars iisdem adstruitur Scripturarum testimoniis, quibus ostendimus, prop. præcedente, conferri a Deo justis gratias ad divina mandata servanda. Nam et quoad peccatores vera esse debent verba Christi, quibus affirmat: *Jugum meum suave est et onus meum leve*; tum Joannis effatum: *Mandata ejus gravia non sunt*. Jam vero nec suave reddi potest peccatoribus Christi jugum, nec onus mandatorum ejus leve, nisi per gratiam. Ergo.... Quod vero attinet ad alteram propositionis partem, evincitur ejus veritas ex illis Dei verbis apud Ezech. XXXIII, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini, domus Israel?* Evincitur etiam ex illa generali Christi invitatione, Matth. XI, 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Unde sic argumentamur: Non potest peccator converti, neque ad Christi sinum iterum se recipere, nisi per gratiam; Deus tamen peccatores omnes, præsertim fideles, ad conversionem invitat; et Christus peccatores omnes ad se vocat; ergo peccatoribus omnibus, saltem fidelibus et non obduratis, Deus adest per gratiam suam.

391. Longum esset velle Patrum testimonia recensere, quibus eadem veritas quoad utramque partem ostenditur; unum vel alterum proinde solum laudabimus. Nota sunt verba S. Leonis M.: *Juste enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio* (1). S. Augustinus vero hæc præclare scribit: *Cum ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentes adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare contemnis* (2). Hinc accedit ejus discipulus S. Prosper, scribens:

(1) *Serm. xvi, De Pass. Domini*, cap. vi, edit. Baller.

n. 80. Quæ refert ac repetit ex iis, quæ scripserat S. Doctor, *De lib. ar-*

(2) *Lib. De nat. et grat. cap. 67*, bit. lib. III, cap. 19.

Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat (1).

392. Demum, ceteris omissis, Concilium Tridentinum adversus Lutherum et Calvinum negantes, posse quemlibet pœnitentiam agere, hæc habet: *Qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint* (2). Pro certo igitur habet Concilium, peccatoribus omnibus præsto esse divinæ grætiæ subsidium, quo ipsi possint a peccato respiscere.

DIFFICULTATES.

393. Obj. prima. S. Augustinus ut exploratum assumit, gratiam non omnibus a Deo conferri. 1^o Ait enim: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus, eis, quibus datur, misericordia gratuita dari. Scimus, eis, quibus non datur, justo iudicio Dei non dari* (3). 2^o Loqui autem S. Doctorem de gratia sufficienti, patet ex iis, quæ scribit in lib. *De corrept. et grat.* ubi agens de gratia Adamo collata, ideoque de gratia sufficienti ait: *Nunc quibus deest tale adiutorium, jam pœna peccati est* (4). 3^o Ergo juxta ipsum culpa originalis et a fortiori culpa personalis ratio est, quare Deus interdum peccatori gratias sufficientes non tribuat. 4^o Sane peccatores indigni sunt quavis gratia. Ergo.

394. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m autem probat. *Dist.* Adstruit S. Augustinus, non omnibus dari gratias sensu Semipelagianorum, quos illic impugnat, *conc.*; in sensu catholico, *subdist.* non omnibus semper dari gratias efficaces aut etiam gratias proxime sufficientes, *conc.*; gratias remote sufficientes, *neg.* Semipelagiani enim contendebant, Deum gratia sua semper om-

(1) *Resp. ad xv Object. Vincent.* In App. ad tom. x opp. S. Aug.

(2) Sess. vi, cap. 14. Qui plura cupit, adeat Tricassin. op. cit. *De necessaria*, etc. sect. v, § 1 et seqq.; nec

non Dechamps, op. cit. lib. III, disp. VIII, cap. vi.

(3) *Epist. cccxvii, ad Vitalem*, cap. v, n. 4, 5 et 6.

(4) Cap. II, n. 32.

nibus præsto esse, neque expectare nisi naturales conatus nostræ voluntatis ad eam conferendam.

395. Ad 2^m, *Dist.* Quibus deest tale auxilium, nempe proxime sufficiens, jam pœna peccati est, *conc.*; remote sufficiens, *neg.*

396. Ad 3^m, *Dist. sequel.* In infidelibus ratio hujus subtractionis est utraque culpa, originalis videlicet et actualis, *conc.*; in fidelibus culpa originalis, *neg.* Hoc enim est principium Jansenistarum, qui, etsi Concilium Tridentinum declaraverit, in renatis nihil esse quod Deus odio habeat, ac nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo Jesu, tamen autumant, peccatum originale semper influere in ipsos baptizatos; quod aliud non est nisi doctrinam Novatorum profiteri, de qua postea agemus. Itaque in fidelibus sola culpa personalis efficere potest, quominus Deus aut gratias efficaces, aut saltem proxime sufficientes interdum subtrahat, non autem gratiam remote sufficientem, quam nemini unquam denegat juxta illa quæ diximus.

397. Ad 4^m, *Dist.* Si Deus gratias tribueret juxta dignitatem nostram, *conc.*; si juxta benignitatem ac misericordiam suam, *neg.* Nonne Deus est *præstabilis super malitia*? ut loquitur Joel. II, 13. Quid fieret de iis, qui talia obtrudunt, si Deus pro dignitate nostra gratias suas largiretur?

398. Obj. secunda. Ideo statuitur, Deum peccatoribus gratia sufficienti adesse, quoties urget præceptum, præsertim supernaturale, quia alioquin præcepta forent impossibilia; nec ad culpam imputari posset illorum transgressio, atqui contrarium plane docet S. Augustinus; 1^o siquidem in lib. *De perfect. justitiæ*: *Cum videmus, inquit, claudum, qui sanari potest, recte utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione, et si debet, potest. Nec tamen cum vult, continuo potest; sed cum fuerit adhibita curatione sanatus, et medicina adjuverit voluntatem* (1); 2^o et paulo post: *Peccatum est, subdit, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia, si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc*

(1) Cap. 3, n. 5.

fecit (1); ac demum generatim 3^o pronunciat, lib. III *De lib. arb.*: *Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest* (2). 4^o Cum vero ab hac doctrina recesserit Pelagius, ejus articulus damnatus est in Concilio Diospolitano: *Oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem* (3). Ergo.

399. Resp. *Neg. min.* Ad 1^m prob. *Dist.* Docet S. Augustinus in adductis verbis, non semper habere peccatores vires ad surgendum a peccatis aut ab iis se abstinendum per gratias immediate et proxime sufficientes, *conc.*; mediate per orationem, *neg.*

400. Ad 2^m, *Dist.* Peccatum est, cum non est charitas, aut minor est, etc. hypothetice seu dominante cupiditate actuali consequente seu voluntaria, *conc.*; dominante cupiditate, quæ mediante saltem oratione vinci nequeat, aut haberi major charitas non possit, *neg.*

401. Ad 3^m, *Dist.* Ut tamen non imputentur ad culpam, *conc.*; ut ad culpam imputentur, *neg.* Loquitur enim S. Pater in adducto textu de motibus inordinatis et involuntariis concupiscentiæ, qui eatenus improbantur in se, quatenus et ex peccato sunt et ad peccatum inclinant (4).

(1) Cap. 6, n. 15.

(2) Cap. 18, n. 51.

(3) Apud S. August. lib. *De gestis Pelag.* cap. 18, n. 42.

(4). Id patet ex scopo S. Doctoris atque ex contextu. Scopus enim ejus est, ut ostendat, concupiscentiæ rebellionem pœnam esse peccati originalis, quod omnes contraximus. Contextus porro hic est: in hoc ipso cap. 18, n. 50, jam dixerat: *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur.* Deinde, n. 51, ponit verba nobis

objecta, atque immediate prosequitur: *Nam unde sunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Et illud: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiscit, etc. Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium; nam, si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt... Nunc autem quia ita est, non est bonus (homo); nec habet in potestate ut bonus sit... pœnam istam esse quis dubitet?* Exinde patet mala adversariorum fides, dum talia obtrudunt.

402. Ad 4^m, *Dist.* Quatenus Pelagius affirmabat, secundum necessitatem evenire; quæ ex oblivione et ignorantia per gratiam vincibili patrantur, *conc.*; secundum necessitatem absolutam ex oblivione et ignorantia invincibili provenientem, *neg.* Cum enim ille heresiarcha gratiam proprie dictam ejusque necessitatem inficiaretur, inferebat, hominem absque gratiæ subsidio totam legem servare posse; quod si in nonnullis casibus id (re ipsa præstare non posset, potius, quam admitteret gratiæ necessitatem sive ad ignorantiae tenebras dispellendas sive ad robur addendum; negabat hominem in illis peccare. Quid porro hoc commune habeat cum doctrina quam tuemur, non video (1).

PROPOSITIO III.

Deus peccatoribus etiam obduratis et obcæcatis gratias vere sufficientes confert pro loco et tempore, quibus possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere.

403. Priusquam propositionem vindicemus, juverit exponere, quinam in numero istorum peccatorum sint ponendi; id vero præstabimus verbis ipsis S. Bernardi, qui sic cor durum describit: *Ipsium est, inquit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens* (2).

404. Sic porro expositam propositionem ut certam propugnemus, Sacrarum Scripturarum, Patrum ac Conciliorum auctoritati innixi, et gravissimis rationum momentis ex ratione theologica depromptis.

405. Scriptura in primis obduratos ejusmodi peccatores et obcæcatos arguit ob resistantiam, quam ex propria sua malitia di-

(1) Cfr, Auctores citt. locis citt. edit. Maur.

(2) *De Consid.* lib, 1, cap. 2, n. 3,

vinæ gratiæ opponunt; minatur ipsis iræ thesauros propter suam impœnitentiam atque duritiem; testatur ita Deum temperare punitionem aut patienter cum ipsis agere, ut possint mutari a propria malitia, et omnes sine exceptione ulla ad pœnitentiam reverti. Supponit igitur, non omni eos prorsus gratia destitui.

406. Etenim S. Stephanus, Act. VII, 51, sic obduratos Judæos alloquitur: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Et Apostolus ejusmodi pariter peccatores arguens, Rom. II, 4, scribit: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnitis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem DURITIEM TUAM et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei,* Auctor libri Sapientiæ præterquam quod cap. XI generatim dicit, Deum alloquens: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Cap. XII, 20, de Chananæis scelestissimis et obduratis hominibus subdit: *Si inimicos servorum tuorum et debitos, morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quæ possent mutari a malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos?* Demum II Pet. III, 9, scribit Apostolorum princeps: *Patienter agit (Deus) propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ergo.

407. Eadem ratione loquuntur Patres. Nam S. Augustinus, *Enarr. in Ps. VI*, n. 8, explanans verba Apostoli: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* hæc habet: *Ea est cœcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est... Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cœcitate?* Ergo nemini omnis prorsus gratia subducitur in hac vita degenti, nec quispiam perfecta et absoluta obduratione ac cœcitate punitur. Quod quidem sæpius repetit, ut *Tract. XII in Joan.* n. 12, ad illa Christi verba: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mun-*

duſ per ipſum. Ergo, inquit, quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult. Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvati non viſ ab ipſo, ex te judicaberis; et alibi paſſim (1).

408. Nec aliud docent Concilia. Etenim præter Arauſicanum II, cujus can. XXII ſuperius retulimus, et qui huc etiam refertur, cum ejus verba generalia ſint, Concil. Valentin. III declarat, can. II : *Malos non ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt* (2). Et Concilium Lateran. IV, cap. *Firmiter*, nullam exceptionem apponens; definit : *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari* (3). Aſt in adverſariorum ſententia hoc falſum eſſet; deficiente enim omni gratia, impoſſibile eſt, quempiam reparari poſſe per veram pœnitentiam; ſupponit igitur Concilium, hanc nunquam homini, quamdiu vivit, penitus deeſſe.

409. Ratio denique theologica eaque multiplex et graviffima huic doctrinæ adſtipulatur, imo aperte eam demonſtrat. Ex iis enim, quæ ſuo loco oſtendimus, Deus ſincere vult iſtorum etiam ſalutem, et Chriſtus pro iſtorum ſalute mortuus eſt; Deus jubet ipſos ſperare, ac ita jubet, ut rei graviffimi delicti efficiantur ſalutem deſperando, urgente præſertim præcepto conversionis in articulo mortis, ut omnes docent. Jam vero quomodo veram poterunt habere ſpem tanquam *anchoram firmam*, quorum ſemel imbuerit animum ſententia adverſariorum, quod nempe ipſi deſtituti ſint omni gratia? Quomodo poterunt ſine gratia actum ſupernaturalem ſpei theologicæ elicere? Hoc adeo receptum eſt in Eccleſia, ut quoties caſus contingat, ut aliquis ex ejusmodi perditis hominibus et effuſis in omne vitium, imo et in incredulitatem graviter decumbat, toties accurrant ejus miniſtri, ut eum hortentur ad reſipiſcentiam ſalutarem, ac fideles pro eo

(1) Cfr. apud Tricassin. *De neceſſaria gratia*, etc. ſect. IV; et apud De-champs op. cit. lib. III, diſp. VIII, cap. 15 et ſeqq.

(2) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. V, col. 89.

(3) *Ibid.* tom. VII, col. 17 et 18.

preces ad Deum fundant. Ergo pro certo habet Ecclesia, neminem, quamdiu in vivis est, omni prorsus gratia destitui; alioquin ridicula et absurda esset ejusmodi sollicitudo. Quod si quovis tempore abjicienda procul fuit dura ejusmodi sentiendi ratio, luctuosa hac nostra ætate cavendum maxime ab ea est, qua tot cernimus in omne malum et incredulitatem prolapsos; siquidem de his omnibus actum esset, omnesque ut reprobi, pro quibus nulla spes superest, relinquendi essent. Quis Catholicorum hoc ferat? Talia sensa concipere potuisse Jansenistas, qui ut alias animadvertimus, non sunt nisi deistæ larvati, mirum non est; verum quod ita sentiant catholici Theologi, indignationem et impetum movet, ac incredulis religionem christianam invisam reddit (1).

(1) Apposite Cl. Manzoni, *Sulla morale cattolica*, Roma 1826, cap. 9, *Sul ritardo della conversione: Ci s'insigni*, inquit, *questa dottrina* (de impotentia conversionis), *e si dica quali ne saranno le conseguenze applicabili alla condotta morale. L'uomo non può convertirsi a Dio, dunque al peccatore non rimane che la disperazione: stato incompatibile con ogni sentimento pio, umano, dignitoso; stato orribile, in cui l'uomo, se potesse durarvi ed esser tranquillo, non potrebbe farsi altra legge che procurarsi il più di piaceri, fin che può, a qualunque costo. L'uomo non può convertirsi a Dio: dunque non più pentimento, non più mutazione di vita, non più preghiera, nè speranza, nè redenzione, nè vangelo, dunque il dire ad un peccatore di diventare buono per motivi soprannaturali, sarebbe fargli una proposizione assurda. L'uomo non è giudicato nello stato in cui si trova all'uscir da questa vita: dunque non v'è stato di giustizia e d'ingiustizia: poichè che sarebbe una giustizia che non rimettesse l'uomo*

nell'amicizia di Dio? e che sarebbe una amicizia di Dio che lasciasse l'uomo nella pena eterna? Dunque non sarà vero che vi sieno premj e pene per le azioni di questa vita, perchè non si suppone in questa vita uno stato in cui l'uomo possa esser degno degli uni e delle altre: dunque non vi sarà una ragione certa e preponderante di operar bene in tutti i momenti della vita. Queste ed altre simili sarebbero le conseguenze di una tale dottrina.... Sotto il regime della dottrina cattolica è la passione che conduce l'uomo al traviamiento; in questa supposta dottrina più l'uomo sarebbe ragionatore, più dovrebbe pervertirsi. Nella dottrina cattolica il mezzo di prevenire le conseguenze immorali è di richiamare gli uomini alla dottrina: qui è nella dottrina che starebbe l'immoralità. Ma una tal dottrina è così contraria alle nozioni della ragione e ad ogni sentimento religioso, che non è stata proposta, nè potrebbe mai essere ricevuta. Vid. hujus loci versio latina ad calcem voluminis.

410. Rursum, quoties homines peccant, libere peccant; ergo nunquam omni gratia destituuntur. *Quis enim*, interrogat S. Augustinus, *peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest* (1). Atqui juxta adversarios ipsos caveri non potest peccatum absque gratia. Merito igitur concludit Doctor Angelicus: *Dicere, quod aliquod peccatum est in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est; primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitendum* (2).

DIFFICULTATES.

411. Obj. prima. 1^o Deus peccatores excæcat et indurat, ut dicitur Exod. IX, Is. VI, Joan. XII et alibi passim. Atqui Deus non indurat et excæcat impertiendo malitiam, juxta notum Augustini effatum (3); ergo saltem subtrahendo gratiam. 2^o Totalem porro esse ejusmodi subtractionem ex citatis locis facile evincitur; nam Joan. XII, 39, legitur: *Propterea non poterant credere, quia Isaias dixit: excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. His cohærent, quæ leguntur Ecclesiast. VII, 14: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*. Hinc, Isaiæ V, Deus, patefacto Judæorum ad collata ipsis beneficia ingrato animo, sub vineæ figura sic vv. 5 et 6 concludit: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferram sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinæ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*. Quæ quidem verba de spirituali derelictione Patres intellexerunt. Etenim

(1) *De lib. arbit.* lib. III, cap. 18.

(2) Part. III, q. 86, a. 1; cfr. S. Joan. Damasc. *De fide*, lib. II, cap. 29; vid. etiam *Commentarius historicus* cit. Caroli du Plessis d'Argentré, cap. 3, assert. XII.

(3) Ita passim S. August. lib. II, *Quæst. in Exodum*, præsertim quæst. XXIII et seqq. Expresse vero cap. 194, n. 14, ubi scribit: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*.

S. Hieronymus : *Tollitur*, inquit, *Dei auxilium ab his, qui indigni sunt, ut, quia non senserant Deum per beneficia, sentiant per supplicia* (1). S. Cyrillus Alex. scribit : *Dimittam vineam meam, non putabitur, non fodietur* (2). Id est, nulla ei cura impendetur, quæ eam possit corrigere et in melius reducere. Demum S. Thomas : *Auferam sepem ejus, id est, auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur... Non putabitur admonitionis aut correptionis vomere, quando peccat*, etc. (3). Ergo.

412. Resp. ad 1^m, *Dist. maj.* Deus negative peccatores excæcat et indurat, cæcitate ac induratione omnimoda ac perfecta, seu omnem eis penitus denegando gratiam, *neg.*; imperfecta, uberiora subtrahendo auxilia, *conc.* Responsio patet ex S. Augustini textu superius citato; alioquin, si penitus essent extra Deum, invenirentur in cæcitate summa, quæ propria tantum est damnatorum, eorum scilicet qui *viatores* esse desierunt. Quamdiu autem homines viatores sunt, possunt finem seu metam attingere; non possent autem sine omni prorsus gratia; ergo aliquam semper habeant necesse est, per quam possint converti.

413. Ad 2^m, *Neg.* Ad primam autem prob. seu ad textum Joan. XII, *Dist.* Non poterant credere impossibilitate consequenti ac voluntaria, *conc.*; antecedenti ac necessaria, *neg.* Apposite idem S. Augustinus in hæc verba : *Non poterant*, inquit, *credere, quia hoc Isaias propheta prædixit; hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit; quare autem non poterant, si a me quærat, cito respondeo, quia volebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per prophetam prænunciavit* (4).

(1) *In Isai.* lib. II, in v. 5 et 6 capitis v, edit. Vall.

(2) Ὅτι ἀήσω τὸν ἀμπελῶνά μου, καὶ οὐ μὴ τμηθῆ, οὐδ' οὐ μὴ σκαφῆ. *Comm. in Is.* lib. 1, Orat. III, pag. 84 ed. cit.

(3) *Expos. in Isaiam*, cap. v, opp. edit. cit. Rom. 1570, t. XIII, fol. 8 a tergo.

(4) *Tract. LIII in Joan. n. 6.* Mens S. Doctoris melius cognoscitur ex toto contextu; numero siquidem 4°

414. Ad alteram autem probat. deductam ex Ecclesiast. *Dist.* Quem Deus despexerit despectione perfecta et absoluta, eademque despectione manente, *conc.*; imperfecta, *subdist.*; difficilius præ ceteris corrigi potest, *conc.*; nullo modo, *neg.* Eodem enim sensu id affirmavit Ecclesiastes, ac dixerat superius, cap. I, 15: *Perversi difficile corriguntur.*

415. Isaïas vero de punitione temporali judaicæ reipublicæ loquitur, *conc.*; de spirituali derelictione, *neg.* prout contextus ostendit, in quo prædicatur Judææ vastatio et futura captivitas. Quod si Patres etiam sensu spirituali et mystico citata verba intellexerunt, exponi debent de derelictione imperfecta; loquuntur enim de gratia conversionis, nempe efficaci, aut de gratia proxime sufficienti, qua interdum peccatores destitui possunt, quod et nos fatemur; non autem de privatione orationis, qua ceteras gratias obtinere valeant (1).

416. Inst. Frustra saltem obdurati ad Deum oratione confugiunt, a quo exaudiendi non sunt, ut videre est in Antiocho, de quo, II Machab. IX, 13, dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo.

jam dixerat: *Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo, si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur.* Deinde, n. 5, subdit: *Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, et non fecerunt.* Demum solvit quæstionem, n. 6, verbis a nobis relatis.

(1) Cfr. Sanctius in h. l. n. 23 et 24. Quod suadet integrum istius capituli argumentum et nexus. Primum enim Israëliticus populus sistitur sub imagine vineæ a vitatore in fertili solo plantatæ et cultæ, providaque et liberali cura

educatæ, sed in edendis fructibus Domini sui expectationem deludentis, eamque ob causam omni influxu cœlesti et cura atque custodia vinitoris privandæ ac penitus diruendæ (a v. 1 ad 6). Deinde Propheta, v. 7, hujus parabolæ significationem exponit. Tum singula populi scelera perstringit, nempe avaritiam et rapacitatem (a v. 8 ad 10), intemperantiam, luxuriam, temeritatem et inconsiderationem (a v. 11 ad 14), ratiocinia improba, quæ suadent peccandi licentiam (v. 18 et 19), eversionem omnium veri et justî legum, etc. Denique horum scelerum et criminum pœnas denunciât (a v. 24 ad finem), nempe direptionem Judææ a longinquis populis. Cfr. etiam Rosenmüller in hoc caput.

417. Resp. *Dist. ant.* Si, non ut par est, confugiant, *conc.*; si debita ratione, *neg.* Ad exemplum porro Antiochi reponimus, ipsum oravisse quidem ad impetrandam salutem corporis, non autem animæ. Extra rem propterea tum istud tum similia ejusmodi exempla proferuntur.

418. Obj. secunda. 1° S. Augustinus, *Lib. V cont. Julianum*: *Cœcitas cordis, inquit, quam solum removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum mali aliquid cœci cordis errore committitur* (1). 2° Et, *Exposit. in Ps. CLXVII*: *Ecce (Deus) deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam* (2). 3° Denique lib. *De nat. et grat.* ait: *Nec cogitat prævaricatorem legis, quam digne lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cœcus, et plus necesse est ut offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat* (3). 4° Et alibi passim inculcat: *Desertum omni lumine veritatis velle non posse* (4); 5° tum: *Cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excœcari meruisse, qua tamen excœcatione non potuerunt credere* (5). Exploratum est igitur ex toto Augustini systemate, omni prorsus gratia induratos peccatores destitui et omni lumine, in eoque statu constitutos surgere non posse, sed necessario in graviora impingere.

419. Resp. *Neg. cons.* Sed potius nihil magis inde exploratum esse colligitur, quam abusum perpetuum doctrinæ S. Augustini ex parte adversariorum, quos impugnamus, quique non verentur contra apertam ejus mentem ejusmodi urgere testimonia.

420. Quandoquidem in istis textibus S. Augustinus vel loquitur hypothetice, ostendendo quid foret de homine omni prorsus gratia destituto, cœco et obdurato, ut evincat ejusdem gratiæ necessitatem adversus Pelagianos; vel agit de eo, quod con-

(1) Cap. 3, n. 8.

(2) N. 26.

(3) Cap. 22.

(4) Lib. *De perfect. just. c.* 19, n. 41.

(5) Lib. *Septemdecim Quæst. in Matth. quæst. xiv*, n. 3.

tingit illi, qui destitutus est gratia efficaci aut proxime sufficienti in pœnam superbïæ ac jactantiæ. Ast nunquam asserit, dari hominem omni prorsus gratia a Deo privatum, imo contrarium semper docuit.

421. Igitur ad 1^m, *Dist.* Si daretur ejusmodi cæcitas, illa sequerentur quæ enumerat S. Doctor, *conc.*; reipsa datur ex mente S. Augustini, *neg.* Disputans enim adversus Julianum Pelagianum, qui gratiæ necessitatem negabat, S. Augustinus patefacit, quid esset homo sine gratia, aut illam respuens, ut patet ex verbis illis: *Cæcitas cordis, quam solum removet illuminator Deus.* Nusquam vero asserit, Deum illam cæcitatem non remove; quod tamen deberent ostendere adversarii, ut aliquid proficerent.

422. Ad 2^m, *Dist.* Explicans effectus desertionis, si daretur, *conc.*, quæ tamen revera detur, *neg.* Imo prosequitur S. Augustinus, *ibid*: *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit? et quis liberat? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum.* Deinde hujus gratiæ effectus commendans erga vel durissimos peccatores, subdit, quod, *etsi congelaverint et crystallum facti fuerint, non erunt duri misericordiæ Dei, emittet verbum suum et tabefaciet ea*, etc. (1); et addit: *Duri sunt enim per superbiam*, quæ scilicet contemnit omnem gratiam.

423. Ad 3^m, *Dist.* Qui superbia intumescens gratiam respuit aut ei resistit, *conc.*; qui gratiæ, quam ei Deus largitur, obsequitur, *neg.* Responsio patet ex dictis et ex contextu. Subdit enim S. Doctor. cap. seq.: *Deserti luce justitiæ et per hoc contenebrati, quid pariant aliud quam hæc omnia, quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: Surge, qui dormis*, etc. (2).

424. Ad 4^m, *Neg.* Sed solum dicit, eum, qui desertus esset omni lumine veritatis, præcepta servare non posse; quod quidem verissimum est, ast longe alienum ab adversariorum assertionem, qui ea objiciunt tanquam absolute dicta ab Augustino.

425. Ad 5^m, *Dist.* Non potuerunt impotentia culpabili et vo-

(1) Loc. cit.

(2) Cap. 23, n. 25.

luntaria, *conc.*, absoluta, *neg.* Adjicit enim S. Pater post adducta verba, istos sic fuisse excæcatos, ut tamen illa excæcatio eis ad humilem confessionem, et sollicitam inquisitionem, et obedientem conversionem, et ferventem dilectionem valeret (1).

426. Obj. tertiâ. 1° Si obdurati acciperent gratias sufficientes ad salutem, nullum jam intercederet discrimen inter ipsos et peccatores reliquos; quod tamen admitti nequit. 2° Deinde quis nesciat, determinatum esse peccatorum numerum, ultra quem Deus nullum aliud dimittere decrevit, juxta illud Amos, I, 3 et seqq. : *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum?* 3° Hinc fit, ut obdurati et obcæcati interdum repentina morte abripiantur, aut in subitam incidant amentiam post peccatum admissum. His profecto nulla suppetit gratia ad salutem. 4° Accedit, doctrinam ejusmodi Theologorum, qui liberaliter ac indiscriminatim omnibus gratias diffundunt, perniciosam in praxi esse; etenim hac doctrina semel constituta, virtus non amplius esset regula constans ac norma totius vitæ, sed potius ei substitueretur ratio componendi pessimam vitam cum optima morte (2). Ergo.

(1) Cfr. ibid. S. Doctor. Vid. Tricassin. op. cit. *De necessaria ad salutem gratia*, sect. IV, § 1 et seqq. ubi perquam luculenter patefacit malam adversariorum fidem in his testimoniis aliisque similibus afferendis. Cfr. etiam Dechamps, *Hæres. Jansen.* lib. III, disp. XV et seq. Miram propterea est, nonnullos Theologos ausos esse hæc ipsa S. Augustini testimonia proferre, quæ Calvinus et Jansenius urgent, ut evincant Deum excæcatis et obduratis nullam gratiam tribuere.

(2) Ita Sismondi, *Hist. des Répub. Ital.* t. XVI, pag. 415 et 416; ubi scribit: *La vertu, au lieu d'être la tâche constante de toute la vie, ne fut plus qu'un compte à régler à l'article*

de la mort. Il n'y eut plus aucun pécheur si aveuglé par ses passions qu'il ne projetât de donner, avant de mourir, quelques jours au soin de son salut; et dans cette confiance il abandonnait la bride à ses penchans déréglés. Les casuistes avaient dépassé leur but en nourrissant une telle confiance; ce fut en vain qu'ils prêchèrent alors contre le retard de la conversion; ils étaient eux-mêmes les créateurs de ce dérèglement d'esprit, inconnu aux anciens moralistes; l'habitude était prise de ne considérer que la mort du pécheur, et non sa vie, et elle devint universelle. Magis mirari subest, hunc auctorem potuisse exprobrare Catholicis moram corruptio-

427. Resp. ad 1^m, *Neg.* Nam peccatores reliqui uberiores et frequentiores gratias consequuntur præ obduratis et obcæcatis.

428. Ad 2^m, *Dist.* Determinatus est peccatorum numerus quoad eos, qui post patratum aliquod peccatum aut moriuntur aut in amentiam perpetuam incidunt, *conc.*, quoad eos, qui in vivis supersunt et mentis compotes in ordine ad gratias efficaces, *trans.*; in ordine ad gratias proxime aut remote sufficientes, quibus semper resipiscere valeant, *neg.* Eo ipso enim, quod peccatores semper teneantur præcepto conversionis et spei, nunquam omni gratia, quamdiu vivunt, privantur juxta illa quæ dicta sunt. Testimonium vero Amos est tantum de pœna temporali nec proinde ad rem præsentem facit (1).

429. Ad 3^m, *Dist.* Qui tamen usque ad id temporis gratias necessarias ad salutem obtinuerint, *conc.*; secus, *neg.* Justo proinde Dei judicio plectuntur post tot gratiarum abusum. Adde, ejusmodi difficultatem perinde ac præcedentem æque premere eos, qui saltem peccatoribus communibus gratias dari contendunt.

430. Ad 4^m, *Neg.* Imo opposita doctrina, quæ omnem spem adimit conversionis in extrema vitæ periodo constitutis, viam facilem aperit ad quævis scelera; cum nullo freno coerceantur illi, quorum animos hæc sententia imbuerit. Quo enim se vertent, quorum desperata salus declaratur? Qui autem abutuntur catholica doctrina, quæ docet spem semper superesse salutis, sibi ipsis perniciem consciscunt. Spes enim eo difficilior evadit,

nem proveniente ex principio de possibilitate conversionis, qui sectam profitetur, in qua prædicatur inutilitas bonorum operum ad salutem, quique præterea idololatriæ apologiam texuit.

(1) Cfr. Sanctius in hunc loc. qui in primis adnotat, ibi ternarium numerum pro indefinita multitudine scelerum a Propheta usurpari; deinde illam conversionem longe verisimilijus vim habere sensus negativi, ita ut hæc sententia ex Dei nomine exurgat: Si populus

illam solum communem peccatorum multitudinem admisisset, non converterem illum, seu ei non parcerem ac punirem, nunc multo minus parcam, postquam quarto peccato seu novo scelerum genere cumulum ceteris peccatis addidit? Demum ostendit agi de supplicio temporali, quod vv. seqq. Propheta designat; siquidem nihil aliud præter bellum, fugam et incendium comminatur, quæ omnia longe absunt a spirituali supplicio.

quo major præcessit gratiarum abusus. Committunt ipsi negotium omnium maximum incerto eventui, cujus omnia adjuncta prorsus ignorant. Itaque deterrendi sunt peccatores, quamdiu vivunt; sed non deneganda ipsis consolationis ac spei jucunditas est, dum in extremis versantur, cum scilicet nullum aliud remedium præteritis malis amplius suppetit, nullusque illinc datur regressus (1).

(1) Præstat hæc quoque afferre, quæ in hanc rem scribit cit. Mauzoni; *Ma se la Chiesa, ait ipse, ha tanto poca fiducia nelle conversioni della morte, perchè si mostra così sollecita nell'assistere il peccatore moribondo? Appunto perchè la sua fiducia è poca, ella riunisce tutti i suoi sforzi; appunto perchè l'impresa è difficile, ella impiega tutta la carità del suo cuore e delle sue parole. Un filo di speranza di salvare un suo figlio basta alla Chiesa per non abbandonarlo: ma con questo insegna ella forse agli uomini a ridursi ad un filo di speranza? Quegli uomini benemeriti che amministrano i soccorsi a colui che è tratto da un fiume con poca o nessuna apparenza di vita, ponno forse essere taceati di incoraggiar gli uomini ad affogarsi?*

Si osservi a questo proposito che la Chiesa sembra avere due linguaggi su questa materia; essa cerca d'ispirare terrore ai peccatori che nel vigore della salute veggono e si promettono confusamente nell'avvenire il tempo di peccare e di convertirsi; e cerca d'ispirare fiducia ai moribondi. Nel che non v'è contraddizione ma prudenza e verità. I peccatori nell'uno e nell'altro stato non sono disposti che a guardare fissamente una parte

della questione; la Chiesa fa loro presente la parte che essi dimenticano.

I primi sono pieni d'elle idea della possibilità, ed è utile rappresentar loro la difficoltà; gli altri sono portati a veder questa sola così vivamente, che per essi uno dei più grandi ostacoli al convertirsi è appunto il diffidare della misericordia di Dio.

Respondens demum expostulationi, quam Sismondi proponit his verbis: *Aucun incendiaire (en Italie), aucun brigand, aucun empoisonneur ne monte sur l'échafaud sans avoir fait, avec une componction profonde, une bonne confession, une bonne communion, sans faire ensuite une bonne mort; son confesseur déclare sa ferme confiance que l'âme du pénitent a déjà pris son chemin vers le ciel, etc.,* hæc subdit: *Essa (la Chiesa) accoglie, è vero, il reo cacciato dalla società e dalla vita, il suo ministro si pone fra il giudice ed il carnefice; sì, fra il giudice ed il carefice, perchè ogni posto dove si possa santificare un'anima e consolarla, dove vi sia una ripugnanza da sormontare, una serie di sentimenti penosi che non termini ad una ricompensa temporale, ivi è per un ministro della Chiesa il posto d'onore;.. Chi può dire quale sia l'angoscia*

PROPOSITIO IV.

Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem.

431. Infideles *negativi* illi nuncupantur, qui nihil unquam de fide audierunt. *Positivi*, qui cum fidei notitiam habuerint eam amplecti noluerunt, aut eam respuerunt. De istis nulla quæstio esse potest. De primis proinde fere tota lis est. Omni penitus gratia sive proxime sive remote sufficienti ad salutem eos destitutos esse, contendunt non solum Jansenistæ omnes, sed nonnulli etiam Theologi catholici, adversus quos enunciata propositionem tanquam *certam* pariter propugnamus.

432. Sane ab Alexandro VIII proscripta est hæc propositio, quæ est num. IV^a: *Pagani, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti* (1). Prosriptæ pariter sunt a Clemente XI sequentes Quesnelli propositiones, nempe XXVI^a: *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*; XXVII^a: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum*; XIX^a: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Doctrina igitur catholica docet, Paganis, Judæis, etc. dari gratiam sufficientem, dari gratias ante fidem, ideoque et iis, qui sive ejus notitiam habuerint sive non. Quod

d'un uomo che ha il patibolo dinanzi agli occhi, e rifuggendosi alla sua coscienza vi trova la memoria del delitto? Di colui che aspetta la morte non per una causa santa, ma per les sue passioni? E la Chiesa trascurerebbe di render utile un tanto dolore all' infelice, che è costretto a gustarlo! E vi sarebbe un caso in cui essa non avesse misericordia da promettere! In cui essa pure abbandonasse

un uomo! Essa gli apre le braccia, non dimentica che il Sangue di Gesù Cristo è stato versato anche per lui, e si adopera perchè non sia stato per lui versato invano. Ma la certezza non la dà, nè a lui nè agli altri, e chi la piglia, va direttamente contro il suo insegnamento. Vid. versio latina ad calcem hujus voluminis.

(1) Cfr. Viva, op. cit. in Prop. iv et v damnatas ab Alex. VIII, n. 5.

argumentum eo magis urget, quod damnatæ fuerint hæ propositiones Quesnelli in sensu auctoris (1).

433. Inniti autem hanc doctrinam Scripturarum auctoritati, patet ex testimonio Apostoli, I Timoth. II, 1 et seqq. qui vult a fidelibus orationes fieri *pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est*, ait, *et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. Unus enim Deus, et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Jam vero, nisi Deus gratias saltem sufficientes ad salutem tribueret infidelibus, dici non posset, eum habere sinceram voluntatem ipsos salvandi, aut Christum pro iis mortuum esse; nam ut, optime loquens de hac Dei voluntate, Angelicus Doctor ait: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et præmoventia in finem, omnibus communiter proposita tam naturalia quam gratuita (2).*

434. Rursum Joan. I, de Verbo divino dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quæ quidem verba expendens S. Joan. Chrysostomus, quærit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto homines sine lumine permanent?* Respondet autem: *Quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est... Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis cæcitatem imputent oportet (3).* Eidem reliqui Patres Græci omnino consentiunt.

(1) Cfr. Fontaine in *Constitut. UNIGENITUS theologicæ, propugnata* ad has propositiones, quarum verum sensum prius aperit, quod nempe actus fidei theologicæ sit prima gratia; deinde late tum ex Scriptura, tum ex Patribus, Concilii ac Theologis confutat.

(2) *In I Sent. dist. XLVI, quæst. I, art. 1.*

(3) Τό γε εἰς αὐτὸν ἤκον. Εἰ δέ τινες ἐκόντες τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς μύσαντες, μὴ βούλοιντο παραδείξασθαι τοῦ φωτὸς τούτου τὰς ἀκτῖνας, οὐ παρὰ τὴν τοῦ φωτὸς φύσιν ἡ σκότῃσι ἐκείνοις, ἀλλὰ παρὰ τὴν κακουργίαν τῶν ἐκόντι ἀποστερούντων ἑαυτοὺς τῆς δωρεᾶς. Ἡ μὲν γὰρ χάρις εἰς πάντας ἐκκέχυται... Οἱ δὲ οὐκ ἐθέλοντες ἀπολαῦσαι τῆς δω-

435. Græcis Patribus Latini item: consonant. S. Ambrosius, *In Psalm. CXVIII : Mysticus sol ille justitiæ , inquit , omnibus ortus est , omnibus venit , omnibus passus est et omnibus resurrexit... Si quis autem non credit in Christum , generali beneficio ipse se fraudat* (1). S. Augustinus, *In Ps. XVIII : Et non est , qui se abscondat a calore ejus. Cum autem Verbum , inquit , etiam caro factum est et habitavit in nobis... non permisit ULLUM MORTALIUM excusare se de umbra mortis ; et ipsam enim penetravit Verbi calor* (2). Antiquus Auctor librorum *De vocatione gentium*, lib. II, cap. XXVI, inter cetera scribit : *Opitulatio (divina) per innumeros modos , sive occultos , sive manifestos , omnibus adhibetur ; et quod a multis refutatur , ipsorum est nequitiae ; quod autem a multis suscipitur , et gratiæ est divinæ et voluntatis humanæ. Et cap. XXXI, concludit : Elaboratum est , quantum Dominus adjuvit , ut non solum in novissimis diebus , sed etiam in cunctis retro seculis probaretur , gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse , providentia quidem pari et bonitate generali , sed multimodo opere diversaque mensura , quoniam sive occulte , sive manifeste , ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum ; maxime fidelium* (3).

436. Constat igitur tum ex Scriptura tum ex Patrum Græcorum et Latinorum unanimi consensu , qui innitur et voluntati Dei sincere salvandi omnes homines et Christi morti pro omnibus , nemini prorsus a Deo negari auxilia necessaria , quibus ad salutem pervenire quilibet possit ; ideoque et infidelibus tum positivis tum negativis gratias sufficientes a Deo concedi.

437. Ne tamen videamur ludere in ambiguo , ad præcavendas difficultates animadvertendum est , si proprie sit sermo de infidelibus negativis , non eo sensu a nobis affirmari ipsis gratias sufficientes præsto esse , quasi illæ supernaturales sint tum ratione substantiæ tum ratione finis. Exploratum enim est , ut superius

ριᾶς ταύτης , ἑαυτοῖς δίκαιοι ταύτην ἀν
εἶν λογίσασθαι τὴν πῆρσιν. *Hom.* VIII,
al. VII, *In Joan.* tom. VIII op. pag. 48.

(1) *Serm.* VIII, n. 57, edit. Maur.

(2) *Enarr.* I, n. 7.

(3) *Inter opp.* S. Leonis, edit. Baller.
tom. II.

adnotavimus, nullas dari gratias supernaturales proprie dictas, seu etiam *ratione finis* ante vocationem ad fidem, undecumque hæc ad fidem vocatio proveniat, sive ex medio externo prædicationis, sive ex medio interno illustrationis supernaturalis. Quare gratiæ de quibus agimus, et quas ostendimus dari infidelibus, sunt gratiæ medicinales, quibus adjuti infideles possunt adimplere legem naturalem ac vincere difficultates, quæ eidem observantiæ adversantur; opera autem horum adjumentorum ope parta intra ordinem moralis honestatis continentur. His autem gratiis si infideles obsequantur, majora eis subsidia adjiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernaturalem per initium fidei, sive per homines ad hoc missos, sive per Angelum, sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum fuerit. Quo spectant verba, quæ superius retulimus ex S. Thoma, *Quæst. XIV, De verit.* art. XI, ad 1: *Si aliquis taliter nutritus*, etc. (1). Atque hinc rectius intelligitur verus sensus effati theologici, de quo superius egimus: *Faciendi, quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

(1) Eadem habet, *Contra Gent.* lib. III, cap. 159, ubi scribit: *Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat... Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non inmerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni.* Jam vero qua ratione posset homo nisi gratia medicinali adjutus hæc impedimenta tollere? Similia habet, *In II Sent.*, dist. XXVIII, art. 4; neque unquam contrarium docuit, ut nonnulli autumant, eo quod I, 2, q. 109, a. 6, ad 2, ejusmodi effatum theologicum exponat, de faciente quod in se est ex

viribus gratiæ: *Et ideo cum dicitur, inquit, homo facere quod in se est, dicitur, hoc est in potestate hominis secundum quod est motus a Deo; ibi enim loquitur S. Doctor de præparatione ad gratiam sanctificantem seu ad justificationem. En statum quæstionis, quem ipse declarat in corpore articuli: Duplex est, inquit, præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Una quidem ad bene operandum et ad Deo fruendum; et tamen præparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorii; alio modo potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum; ad hoc autem, quod præparet se homo ad susceptio-*

DIFFICULTATES.

438. Obj. prima. 1^o Apostolus, Act. XIV, 15 : *Deus*, inquit, *in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*; et XVII, 30 : *Tempora hujus ignorantiae despiciens Deus*. Gentes igitur omni penitus gratia caruerunt. 2^o Quænam enim fuerit istarum gentium conditio, declarat idem Apostolus, ad Ephesios (II, 12) scribens : *Eratis illo in tempore sine Christo... promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo*. 3^o Tantum vero abest, ut Deus velit omnes gentes ad fidem vocare, ut Paulus et Barnabas, prout legitur Act. XVI, 6, vetiti fuerint a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. Ergo.

439. Resp. ad 1^m, *Dist.* Dimisit Deus gentes ingredi vias suas, ac illa ignorantiae tempora despexit, non eis tribuendo immediate gratiam fidei, prout tribuerat Judæis, *conc.*; omnem absolute gratiam denegando, qua potuissent ad fidem ac salutem pervenire, *neg.* In utroque enim loco testatur Apostolus, non sine testimonio Deum se reliquisse, quo gentes potuissent ipsum quærere et invenire; quod sine gratia saltem sufficienti fieri nequit.

440. Ad 2^m, *Dist.* Respectu Judæorum, in quorum comparatione Apostolus Ephesios olim gentiles alloquitur, *conc.*; in se et absolute, *neg.* ut patet ex contextu; dicit enim eos alienatos fuisse a conversatione Israël et hospites testamentorum.

441. Ad 3^m, *Dist.* Id est dilata est in aliud tempus prædicatio Evangelii in Asia, *conc.*; negata est in perpetuum, *neg.* Non

nem hujus doni, non oportet præsupponere aliquid aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio Dei. Hæc interpretatio communis fere est pluribus antiquis Scholasticis illius ætatis.

Cfr. apud Du Plessis d'Argentré, op. cit. *De multiplici genere divinæ gratiæ*, etc. Imo addo, hoc effatum, quod vix in terminis non habetur apud Isidorum Pelus. lib. v, ep., 459, Scholasticos juxta sensum a nobis expositum hausisse ex antiquis Patribus, ut ostendit Cl. Isaacus Habert, op. cit. *Theol. Græc. Patrum*, lib. I; cap. xxiv, §§. præsertim 3 et 4.

multo enim post iidem Apostoli Evangelium ibidem annunciarunt, ut referunt ipsa Acta Apostolica. Interim non omni gratia destituti Asiatici fuerunt, ut ex dictis colligitur.

442. Obj. secunda. Fides ex Concilio Trid. sess. VI, cap. VIII, est *initium et radix omnis justificationis*. Fides igitur in Christum est prima gratia; quod plane cohæret cum doctrina S. Augustini, qui, lib. *De prædest. SS.* cap. VII, loquens de fide, 2^o ait: *Ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*; et lib. *De grat. et lib. arb.* cap. XIII: *Gratia*, inquit, *per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides*; et *Tract. III in Joan.* n. 8, sciscitatur: *Quam gratiam primo accepimus? Fidem*, respondet, *quia*, ut ibidem subdit n. 9, *ipsa fides gratia est*; quam doctrinam iterum inculcans S. Doctor in lib. *De gestis Pelagii*, cap. XIV, n. 34: *Ipsa* (fides), scribit, *initium est, unde bona opera incipiunt*. Constat proinde fidem omnium gratiarum primam omnino esse; cum vero eadem fide careant infideles negativi, plane consequitur, nullam ipsis gratiam tribui.

443. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Fides est prima gratia proxime influens in dispositiones ad justificationem, *conc.*; est prima gratia, quæ infidelibus conferatur, *neg.* Multi enim vocantur ad fidem per gratias remote sufficientes, quibus si bene utantur, Deus gratuito et ex sua liberalitate, ut diximus, eis tribuit fidei donum, ut ex facto Cornelii patet, aliisque passim.

444. Ad 2^m, *Dist.* Est prima gratia Salvatoris, proxime disponens ad justificationem, *conc.*; simpliciter et absolute, *neg.* ut contextus ipse ostendit; disserit enim S. Doctor de operibus salutaribus, ad quæ requiritur gratia supernaturalis ac proprie dicta. Atque ita responsio extenditur ad reliquos textus, qui eundem sensum præ se ferunt; nec aliud evincunt, nisi vocationem ad fidem esse primam gratiam supernaturalem proprie dictam, quæ proxime disponit ad justificationem per opera salutaria.

445. Obj. tertia. Si gratiæ saltem remote sufficientes ad salutem darentur infidelibus omnibus etiam negativis, quibus ipsi instructi per mandatorum observantiam possent pervenire ad

fidem, plura consequerentur absurda non minus a S. Augustini quam a totius Ecclesiæ doctrina prorsus aliena. Ac 1^o sequeretur, opera naturaliter honesta homines disponere ad fidem; 2^o vocationem ad fidem non amplius esse gratuitam, sed dari juxta merita naturalia; 3^o gratiam esse omnibus communem; 4^o qui sunt totidem errores Pelagianorum et Semipelagianorum; atque ut postremo huic errori insistamus, 5^o præterquam quod gratia communis omnibus non esset amplius gratia, et 6^o quemadmodum loquitur S. Thomas: *Si (gratia) omnibus datur, non videtur aliud esse quam aliquod naturale donum; nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire nisi in aliquo naturali* (1), 7^o S. Augustinus expresse pronunciat de gratia: *Scimus non omnibus hominibus dari* (2); et S. Prosper fidenter lacescit Semipelagianos in *Carminibus de ingratis*, cap. XI, v. 273 et seqq.

. . . . *Dic, unde probes, quod gratia Christi*

Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,

Prætereat, cui non regnum vitamque beatam

Impertire velit (3).

Ergo.

446. Resp. *Neg. ant.* Ad primam prob. *Dist.* Sequeretur ejusmodi opera disponere homines ad fidem negative, *conc.*; positive, *neg.* ut patet ex iis, quæ disseruimus agendo de gratiæ necessitate et gratuitate; fidelis enim mandatorum observantia, quæ per auxilium divinæ gratiæ obtinetur, removet tantum obstacula ad ulteriora et uberiora auxilia excipienda (4), ac minus indignos homines efficit divina et gratuita vocatione. Si sermo vero sit de iis, qui in Deum creatorem et remuneratorem credunt, dici posset, hos non omni penitus fide destitui supernaturali, quamvis ea sit adhuc imperfecta, et quodammodo inchoata per supernaturale aliquod lumen ipsis a Deo inditum, cujusmodi fuit in Cornelio, de quo scribit S. Augustinus: *Non sine aliqua fide donabat*

(1) *Quæst. xxiv de verit. a. 15.*

Salinas, Romæ 1732.

(2) *Epist. ccxvii ad Vital. n. 16.*

(4) S. Thom. vocat *Removens pro-*

(3) *Opp. S. Prosperi, edit. D. Joan.*

hibens.

et orabat (1); et qua per gradus usque ad perfectam perveniri potest mediante cooperatione ad superiores gratias. *Fiunt ergo*, inquit idem S. Doctor, *inchoationes quædam conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam* (2).

447. Ad 2^m, *Neg.* juxta modo dicta; his enim dispositionibus non obstantibus, posset Deus vocationis gratiam non concedere.

448. Ad 3^m, *Dist.* Qualem adstruimus, *conc.*; gratiam supernaturalem proprie dictam tum ratione sui, tum ratione finis, nempe fidei, *neg.* *Non enim omnium est fides*, inquit Apostolus, II Thess. III, 2.

449. Ad 4^m, *Neg.* Siquidem error Pelagianorum in eo erat, quod inficiarentur gratiæ necessitatem, cum sine illa, ex istorum systemate, homines propriis viribus possint totam legem servare, tum gratiam promereri. Error vero Semipelagianorum versabatur pariter circa gratuitatem gratiæ; cui aliud adnectebant veluti corollarium, gratiam nempe æquali ratione omnibus propositam esse, neque expectare ad sese communicandam nisi prævium liberæ voluntatis motum, ut suo loco exposuimus. Nihil porro commune habet cum his erroribus doctrina catholica, quæ tradit, ex sola Dei liberalitate dari hominibus infidelibus gratias sufficientes, quibus sanetur infirmitas per peccatum originale contracta ad legem servandam.

450. Ad 5^m, *Neg.* Ut enim aliquid gratia dicatur et sit, satis est ut non sit debitum; jam vero Deus ex sola misericordia sua ac intuitu meritorum Christi gratiam confert. Sane creatio omnibus rebus existentibus communis est, num propterea non erit amplius gratuita? Nonne gratia omnibus Angelis communis fuit, fatentibus Jansenianis, et communis fuisset omnibus hominibus, si Adam non peccasset?

451. Ad 6^m, *Dist.* Et loquitur S. Thomas de gratia sanctificante in præsentī statu, *conc.*; loquitur de gratia actuali, *neg.* Quid

(1) *De prædest. Sanct.* cap. 7.

(2) Lib. I *Ad Simplic.* quæst. 11, n. 2.

In hoc ipso numero scribit: *Incipit*

homo percipere gratiam, ex quo incipit

Deo credere, vel interna, vel externa

admonitione motus ad fidem.

enim senserit de istius distributione, patet tum ex iis, quæ paulo ante ex ipso retulimus, tum ex iis, quæ lib. III, *Contra gentes*, cap. CLIX, scribit: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire... sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniente.*

452. Ad 7^m, *Dist.* Et S. Augustinus, S. Prosper aliique, quorum similia testimonia adduci possent, negant gratiam fidei omnibus dari, præsertim sensu Semipelagianorum, adversus quos agebant, *conc.*; sensu catholico a nobis exposito, *neg.* Gratia actualis fidei perfectæ et justificationis profecto non omnibus datur, et hoc sensu recte illi Patres id inficiati sunt adversus Semipelagianos, contendentes hanc pariter omnibus dari, præsertim si per conatus, per desiderium, per naturalem humanam voluntatem, aut merita naturalia sibi comparata propria virtute eam promeruerint. Mentem Semipelagianorum exponit idem S. Prosper, *Carm.* cit. cap. I, v. 29 et seqq.

NULLUM AUTEM EX CUNCTIS EXORTEM MUNERIS HUIUS

JUDICIO GENITUM ESSE DEI; SED QUEMQUE MERERI

LIBERTATE SUA, UT CAPIAT PROMISSA VOCANTIS,

QUÆ SINT AVERSI INDEBITA, DEBITA RECTIS.

Nos vero adstruimus, nemini deesse gratiam sufficientem ad servanda divina mandata.

453. Obj, quarta. 1^o Si infidelibus tribuerentur gratiæ sufficientes ad servandam legem naturalem, possent in illo statu diligere Deum super omnia; quod tamen dici nequit, alioquin possent justificari et salvari sine fide in Christum. 2^o Præterea, si infideles iisdem gratiis bene utentes possent ad fidem pervenire, nulla amplius in ipsis daretur ignorantia invincibilis et inculpabilis mysteriorum fidei; atqui hæc propositio in Bajo damnata est. Veram porro fore hanc Baji propositionem in hypothesi, quod omnibus darentur gratiæ sufficientes, ita conficitur: Illud saltem indirecte vincibile et culpabile censendum est, quod est

voluntarium in causa; atqui illa mysteriorum fidei ignorantia esset voluntaria in causa, ob voluntariam nempe legis naturalis transgressionem. 3^o Quanquam ex facto ipso ejusmodi hypothesis destruitur; si enim gratia fidei iis concederetur, qui gratiis saltem remote sufficientibus bene obsequerentur, debuisset profecto dari Tyriis et Sidoniis, qui credituri fuissent in Christum, visis ejus miraculis, quæ patravit apud Corozaitas et Bethzaiditas, quæ tamen iis data non fuit. Patet proinde, nullam infidelibus gratiam conferri, quæ non nisi noxia ipsis foret; imputarentur enim ad culpam propter hanc gratiam eorum transgressiones legis naturalis, quæ sine illa, utpote involuntariæ seu necessario factæ, non imputarentur, saltem in doctrina Catholicorum. Ergo.

454. Resp. ad 1^m, *Neg. min.* nempe dici non posse cum hujusmodi gratiis infideles Deum diligere super omnia, cum nihil obstet. Nec tamen inde inferri potest eos justificari; cum ejusmodi amor non esset nisi naturalis ordinis, sine fide autem, ac propterea sine actu supernaturali nemo potest justificationem adipisci, cujus illa radix, initium et fundamentum est (1).

455. Ad 2^m, *Neg.* Ad prob. *Neg.* iterum. Ad hoc enim, ut aliquid voluntarium in causa censi debeat, duo requiruntur, tum nempe ut effectus ex ea necessario profluat, tum ut, saltem in confuso, ut aiunt, idem effectus secuturus prævideatur.

(1) Nonnulli Theologi contendunt in infidelibus negativis ad hoc, ut actum supernaturalem cum gratia eliciant, sufficienter fidem implicitam in Christum. Quo referunt verba Apostoli, Hebr. xi, 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hanc sententiam tenuerunt Scotus, Soto, Suarez aliique non pauci. Card. Gotti, *Theol. Scholastico-Dogmatica*, tom. x, seu i, in 2, 2. S. Thomæ, *Tract. de fide*, quæst. ii, dub. iv, § 1, de hac sententia scribit: *Sententia negans, si-*

dem explicitam Christi et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo justificari aut salvari queat, valde probabilis est. Eam enim videtur docere S. Thomas tum hac 2, 2, q. 10, a. 4, ad 3, tum p. 3, q. 69, a. 4, ad 2, ubi de Cornelio Centurione ait: Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per Fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicitè. Cardinalis tamen adhæret sententiæ affirmanti tanquam probabiliori et tutiori.

Cum autem infideles nullam, ne levem quidem notitiam aut suspicionem habeant mysteriorum fidei, nulla ratione, dum naturalem legem transgrediuntur, illorum ignorantiam aut volunt aut intendunt. Falso præterea, qui hæc opponunt, pro certo sumunt, his operibus deberi gratiam fidei. Hoc porro sublato fundamento, corrui difficultas.

456. Ad 3^m, *Neg.* Ad prob. *Dist.* Tyriis et Sidoniis collata gratia fidei fuisset, si hæc pro meritis vel ex præviso bono ipsius usu conferretur, *conc.*; si gratuito ac independenter ab ejusmodi prævisione, *neg.* Deus enim dominus est donorum suorum, nec quidpiam alicui debet.

457. Ad 4^m, *Neg.* Ut ex dictis constat. Negamus præterea, ejusmodi gratias, quæ conferuntur infidelibus negativis ad mandatorum observantiam, ipsis noxias fore. Cum enim facultatem expeditam tribuant ad præcepta implenda, si infideles iis resistent vel non obsequantur, sibi debent imputare, si ea non impleant, maxime quod, iis etiam gratiis absentibus, legis naturalis transgressiones ipsis imputari deberent ad culpam, cum physica saltem potentia polleant ad eam servandam; necessitas proinde, in qua versarentur sine gratia, non esset nisi moralis, minime vero absoluta.

PROPOSITIO V.

Deus, quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus absque baptismo præparavit, quibus ad salutem pervenire possent.

458. Tota quæstio in eo versatur, utrum Deus, quantum ex se est, sufficienter providerit media salutis obtinendæ infantibus, qui ex solo naturali rerum seu naturæ cursu ex vita excidunt, quin ulla ratione potuerit ipsis baptismi remedium applicari. Alii negant, alii affirmant. Nos his subscribimus sequentibus rationum momentis ducti.

459. *Primo*, Deus sincere vult etiam istorum parvulorum sa-

litem; ergo, quantum ex se est, debuit ipsis salutis media sufficienter providere, quibus ad eam pervenire possint.

460. *Secundo* Christus pro his quoque infantibus mortuus est, et sanguinem suum fudit ex vero ac sincero desiderio eos salvandi; ergo iis etiam media vere sufficientia, quibus æternam vitam consequi possint, meritus est ac præparavit.

461. Hæc autem nonnullis exemplis confirmari ac declarari possunt. Eadem ratione ac censerentur vere ac sufficienter medicus vel dominus providisse saluti infirmi aut libertati captivi, qui remedium vel summam pecuniariam ad eos per famulum miserint, etsi hic famulus vel subita morte correptus vel alio modo detentus fuerit, vel ex propria oscitantia alio divertens pharmacum aut pecuniam non attulerit; sic Deus censendus est, quantum est ex se, sufficienter istorum infantium salutis prospexisse per baptismi sacramentum, licet administrari illud ipsis minime potuerit ex aliquo impedimento, vel a naturali naturæ cursu exorto, vel ex negligentia aut culpa hominum.

DIFFICULTATES.

462. Obj. 1^o Deus sufficienter iis remedium salutare non providit, si *ipso nolente* nullo pacto remedium istud applicari potest; id porro sæpe testatur S. Augustinus, qui præsertim in lib. *De dono persev.* cap. XII, et *Epist. CXCIV*, aperte docet, plerumque parvulo non conferri baptismum *Deo nolente*. 2^o Loquens præterea loc. cit. *De dono persev.* de infantibus, quorum aliqui baptizantur, alii vero baptizari non possunt: *Quare, interrogat, illos potius quam illos liberat?* Respondet autem: *O homo, quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia Dei.* Pro certo igitur sumit, ex sola Dei voluntate fieri, ut alius baptizetur, alius vero baptizari nequiverit; non igitur ex naturæ cursu aut alia causa id repeti debet. 3^o Sane qui eum naturæ ordinem instituit, in quo prævidit futurum, ut infans prius moriatur, quam ei baptismum administrari possit, non censetur istius salutis sufficienter prospexisse: *Insanum omnino et contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei vo-*

luntate non fieri, ut recte arguebat adversus Semipelagianos S. Prosper (1). Ex Dei autem voluntate hic naturæ ordo constitutus est, et cum tali prævisione. 4^o Accedit, quod omnis provisor teneatur malum avertere ab eo, cui providet, ut vere dici possit sufficienter ejus bono prospicere. Cum igitur Deus ab infantibus ejusmodi impedimentum non averterit, evidens est, remedium salutare iis minime providisse. Ergo.

463. Resp. ad 1^m, *Dist.* Si administrari non possit baptisma Deo nolente *positive*, *conc.*; Deo nolente *negative* seu permissive, ut aiunt, *Subd.* Antecedenter ad prævisionem causarum impediendum, *conc.*; consequenter tantum, *neg.* Voluntas enim Dei antecedens salvandi homines semper conditionata est, dummodo nempe nihil obstet vel ex mala hominis voluntate, si sermo sit de adultis, vel ex generali naturæ cursu, si sermo sit de infantibus. *Non est ex defectu divinæ misericordiæ*, inquit S. Thomas, *quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii.... Quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiæ* (2). Nec alio sensu intelligi debet S. Augustinus, qui pluries ostendit adversus Julianum, etiam pro his infantibus Christum mortuum esse (3).

464. Ad 2^m, *Dist.* Interrogat Augustinus, quare unus infans præ altero in talibus adjunctis constituatur, ut baptizari possit; alter vero non possit, seu *comparative*, *conc.*; absolute, *neg.* Talem vero esse mentem S. Augustini, ostendunt quæ ipsemet scribit, *Epist. CXCIV*, n. 32 et seqq. in qua quærit: *Cur providentia Dei non consulit omnibus parvulis filiorum suorum; et nonnullis consulit filiis impiorum; et exclamandum docet*

(1) In *Resp. ad vi Object. Vincen-*
tian. In App. ad tom. x opp. S. Aug.

(2) In *iv sent. dist. vi, q. 1, a. 1,*
ad 1.

(3) Sic *Cont. Jul. lib. vi, cap. iv.*
Cum Julianus negaret parvulos mortuos esse per peccatum, S. Augustinus ostendit illos reipsa per peccatum mortuos esse, quia *Christus mortuus est*

pro illis perinde ac pro ceteris; ait enim:
Si abs te quæram: si non sunt inter peccatores, quomodo pro eis (parvulis) mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Eadem habet S. Doctor *Op. imperf. lib. II, cap. 134*, et alibi passim. Cfr. Tricassin. *De necessariis ad salutem gratia*, sect. v.

cum Apostolo : *O altitudo!* Quandoquidem ab inscrutabilibus Dei judiciis pendet, cur alter in ea rerum dispositione collocetur, in qua vivat et sanctum lavacrum percipiat, alter vero non item.

465. Ad 3^m, *Dist.* Si ille, qui talem naturæ ordinem instituit, directe et in eum finem eum instituisset, ut non possit applicari remedium salutis ejusmodi infanti, *conc.*; si hunc finem non intendat, *neg.* Natura enim in præsentī casu est subjectum gratiæ, cui scilicet gratia supervenit, quæ proinde per accidens omnibus vicissitudinibus subjacet, cui subjacet ipsa natura, quam gratia, ut ita loquar, complet et informat. Cum propterea Deus prius sit auctor naturæ quam gratiæ (logice saltem, seu ratione et ordine), hinc voluit hanc naturæ vicissitudines sequi, quas ut provisor universalis nullo modo impedire aut evertere tenetur, etsi aliquis per accidens pereat.

466. Constat itaque S. Prosperī effatum accipiendum esse, cum cetera paria sunt, minime vero cum agitur de collisione duorum ordinum, quorum alter ab altero pendet, eique subordinatus est, nec est nisi conditionatus.

467. Ad 4^m, *Dist.* Si sermo sit de provisoro particulari, *conc.*; si de universali, *neg.* Etenim *provisor universalis*, ut bene animadvertit S. Thomas, *permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi* (1).

(1) Part. I, q. 22, a. 2, ad 2. Cfr. circa finem. Cfr. præterea quæ de hoc Suarez, *In III part. S. Thom.* tom. III, ipso argumento scripsimus in Tract. q. LXIX, art. VII, disp. XXVII, sect. III, *De Deo*, n. 544. et seqq.

TRACTATUS

DE GRATIA.

PARS SECUNDA.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

CAPUT I.

PRÆNOTIONES.

468. Gratia sanctificans , quæ et habitualis nuncupari solet , vulgo definitur *supernaturale Dei donum permanenter inhærens animæ , quo homo immediate et formaliter sanctus redditur , justus , Deo gratus , filius Dei adoptivus , capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ , ejusdemque hæres.*

469. Ex hac definitione totum catholicæ doctrinæ systema colligitur circa hujus gratiæ naturam , ejusque effectus ; ac 1^o eam esse animæ nostræ intrinsecam seu ei intime inhærentem ; 2^o illam esse , quæ animam a sordibus abluit , ac divino quodam decore fulgentem efficit ; 3^o inseparabilem propterea esse hanc sanctificantem gratiam a justificatione , quæ ab illa pendet , cum uno eodemque actu homo peccator , justus sanctusque efficiatur ; 4^o eam donum Dei esse , ad quod homo actuali Dei auxilio præventus se quidem disponere , nunquam tamen illud proprie mereri potest , neque fide neque aliis operibus , cum a Deo gratis communicetur , præviis tamen necessariis dispositionibus in iis , qui ad eas sunt idonei , ita ut in hoc dono recipiendo activus simul et passivus homo sit ; 5^o non ea tamen ratione inhærentem esse ejusmodi gratiam homini , ut ipse eam amittere amplius non possit ; sed sicut libere per gratiam actualem se disposuit ad eam recipiendam , ita libere rursum eandem per peccatum amittere potest ; 6^o quod consequens est , cum nunquam sciat homo cer-

titudine fidei, num omnes dispositiones attulerit, quæ ad formalem sanctitatem seu justificationem adipiscendam prærequiruntur, patet neminem credere posse, multo minus debere, fide divina, se gratiam justificantem esse consecutum; 7^o pariter colligitur, quod si reipsa quispiam justificatus sit per ejusmodi donum ac sanctificatus, nihil in eo esse, quod Deo displiceat; cum peccatum, quod separat a Dei amicitia, sit prorsus ab eo depulsum, neque ei amplius noceat concupiscentia, quæ justo relinquitur ad agonem, qui dum pro viribus ei resistit, meritum fit ipsi uberrima seges, suppeditando jugem humilitatis ac vigilantie materiem. 8^o Demum infertur, opera meritoria esse fructum gratiæ sanctificantis, quæ per hæc ipsa opera augeri potest; et, si quis in ea perseveret usque in finem, ipsum hæredem fieri vitæ æternæ, cujus gloria major aut minor erit pro meritis, quæ sibi comparaverit.

470. Talis est doctrina catholica circa gratiam sanctificantem, justificationem ac meritum, quam Tridentina Synodus totidem canonibus definivit, quos inferius dabimus. Interea, ut pateat nexus hujus doctrinæ cum reliquis veritatibus et cum toto systemate, animadvertendum est, catholicam hanc gratiæ sanctificantis doctrinam profluere et necessario conjungi cum Ecclesiæ doctrina circa statum primi hominis ejusque lapsum.

471. Etenim, cum gratia originalis, prout toties inculcavimus, gratuitum donum fuerit, quo Deus in primo parente naturam humanam cumulavit, et quod ipsi addidit, spectari debet ea gratia velut *accidentalis* respectu ejusdem naturæ. Hinc, tali gratia per peccatum amissa, humana natura expoliata pariter fuit omnibus donis gratuitis, quæ gratiam seu justitiam originalem comitabantur. Attamen hæc ipsa natura, etiam post lapsum, ob amissionem hujus doni accidentalis, cujusmodi justitiam originalem esse diximus, nihil amisit de suis essentialibus. Cum igitur intelligendi ac libere eligendi facultates ad naturæ humanæ essentialiam spectent, patet hasce facultates activitate ipsis propria pollere, quamvis attenuatæ et infirmæ evaserint post lapsum, relate ad integritatem primævæ conditionis a Deo elevatae ac tot donis auctæ. Reparata propterea per Christum humana natura,

atque in pristinam dignitatem restituta, per gratias medicinales valida efficitur ad vincendam concupiscentiam oblectantem atque ad præcepta servanda; per gratias præterea supernaturales illuminatur intellectus et excitatur hominis voluntas ad detestanda peccata, atque ad se disponendum ad justificationem et gratiam sanctificantem adipiscendam. Posita autem ultima seu proxima dispositione, Deus gratiam sanctificantem in animam infundit, qua prorsus ab ea omne peccatum expellitur et destruitur, fitque propterea homo Deo gratus et amicus, ac jus acquirit ad æternam beatitudinem ob adoptionem, quam recipit, in filium Dei. Exinde homo gratia adjutus elicit opera meritoria, aliaque præstat superius commemorata. Talis est nexus harum veritatum in doctrina catholica.

472. Longe diversum, imo vero contrarium est systema Novatorum sæc. XVI. Nam ipsi, uti sæpius pariter exposuimus, ex falso principio, quod gratia sive justitia originalis fuerit pars *essentialis* humanæ naturæ, ex lapsu hominis paradisiaci intulerunt ipsam humanam naturam fuisse *essentialiter* ac *substantialiter* labefactatam atque corruptam. Peccatum originale in horum doctrina est *qualitas positiva*, imo *substantia* quædam *mala*, quæ homini lapsu necessario inhæret (1). Per hoc peccatum intelligentia et voluntas, etiam prout facultates naturales sunt, omnem suam activitatem amiserunt, nec inserviunt nisi ad peccandum (2). Peccata actualia non sunt nisi totidem ma-

(1) Lutherus in *Ps. L: Lutum illud*, inquit, *ex quo vasculum hoc fingi cœpit, damnabile est... Fœtus in utero, antequam nascimur et homines esse incipimus, peccatum est.* Sic etiam Melanch. *Loc. Theol.* pag. 19: *Sicut in igne est genuina vis, qua sursum fertur, sicut in magnete est genuina vis, qua ad se ferrum trahit, ita est in homine nativa vis ad peccandum.* Ex Lutero paradoxum suum hausit Matthias Flaccius Illyricus, quod peccatum originale sit *Substantia*. Cfr.

Bellarmin. *De statu peccati*, lib. v, cap. 1 et cap. xv. Cfr. etiam Moehler, *Symbolique*, tom. 1, pag. 56 et seqq.

(2) *Solid. declar.* 1, § 10, pag. 614: *Præterea affirmatur, quod peccatum originale in humana natura non tantummodo sit talis, qualem diximus, horribilis defectus omnium bonarum virtutum in rebus spiritualibus ad Deum pertinentibus; sed quod etiam in locum imaginis Dei amissæ successerit intima, pessima, profundissima (instar cujusdam abyssi), inscrutabilis et inef-*

nifestationes peccati originalis perpetuo subsistentis (1). Fieri proinde non potest in hoc systemate ut homo se disponat ad justificationem, quam Novatores sejungunt a gratia sanctificante seu a sanctificatione (2); cum juxta ipsos non justificatio a sanctificatione, sed sanctitas a justificatione pendeat. Impossibilia sunt in ejusmodi systemate præterea opera bona ante justificationem, quæ formaliter ex fide producitur, independenter a quavis hominis cooperatione. Hæc porro justificatio, imo et sanctitas tota exterior est in horum hypothesi, et tota consistit in remissione seu absolute poenæ peccatis debitæ, prout contingit in justificatione forensi; culpa autem sive originalis sive actualis remanet, etiam post baptismum et justificationem. Etenim, si peccatum originale constituit partem *essentialem* ipsius naturæ corruptæ, si peccata actualia non sunt nisi manifestationes peccati originalis, evidens est, nec illud nec ista tolli posse per justificationem aut gratiam sanctificantem, quæ juxta

fabilis corruptio TOTIUS NATURÆ ET OMNIUM VIRIUM, *inprimis vero superiorum et principalium animæ facultatum, quæ infixæ sit penitus intellectui, cordi et voluntati hominis. Itaque jam post lapsum homo hæreditario a parentibus accipit congenitam pravam vim, immunditiam cordis, pravas concupiscentias et pravas inclinationes...* Hinc passim primi Novatores adversus *συνίψυσιν*, *synergismum*, seu *cooperationem* insurrexerunt, eamque penitus rejecerunt, ut *ἀδυναμίαν*, seu absolutam *impotentiam* statuerent. Postea vero aliquantulum ab hac doctrina deflexerunt. Ita Wegscheider, § 149, in not.

(1) Melancht. *Loc. Theol.* pag. 19: *Scriptura, inquit, non vocat hoc originale, illud actuale peccatum; est enim et originale peccatum plane actualis quædam prava cupiditas. Cfr.*

Moehler, *Symbolique*, tom. 1, p. 62, ubi scribit: *Après cela, nous devons comprendre le dogme selon lequel tous les péchés délibérés, c'est-à-dire, tous les péchés actuels ne sont qu'autant de manifestations, de formes particulières du péché originel, que les branches, les fleurs et les fruits de cet arbre mauvais. Atque in nota (3): Luther dit (Luth. Werk. Wittemb. 1551. II part. pag. 335.): On peut fort bien l'appeler un péché père (Ertzsunde); car il n'est point un péché que l'on commette comme les autres; mais il est le péché unique qui fait et produit tout péché, et tous les autres ne sont rien que les fruits de ce péché père...*

(2) Cfr. Moehler, *op. cit.* pag. 104 et seqq. qui plura tum antiqua tum recentia documenta affert hujus Novatorum doctrinæ.

Novatores exterior est, et solum efficit, ut Deus has culpas non consideret, perinde ac si tectæ essent oculis suis, quas propterea non imputat. Hæc sanctitas et justitia non est hominis justificati *propria*, sed est ipsa sanctitas et justitia formalis Christi ab homine apprehensa, et ea est, quæ bona opera profert tanquam fructus vel signa apprehensæ hujus Dei vel Christi sanctitatis et justitiæ, eodem tempore ac natura humana manifestat per actualia peccata jugem subsistentis peccati originalis existentiam (1). Ejusmodi est monstrosum systema Protestantismi circa justificationem, sanctitatem, opera bona; quod per partes explanabimus in hujus tractatus decursu.

473. Et hæ sunt, quæ inter se pugnant, doctrinæ, et de quibus viget controversia inter Catholicos et Protestantés. Reliqua libere in scholis agitantur. Disceptant enim Theologi catholici inter se: 1^o Utrum gratia sanctificans sit qualitas physica vel moralis, creata vel increata, et an sit ipsa Spiritus Sancti persona, quæ substantialiter animæ justi communicetur eamque vivificet (2)? 2^o Utrum gratia per modum habitus inhæreat animæ justi, an potius sit ipsa gratia actualis, quæ jugiter influat in animam justi eamque fecundam efficiat (3)? 3^o Utrum gratia hæc sancti-

(1) Suis locis apposita documenta afferemus.

(2) Cfr. Petav. *De Trinit.* lib. viii, cap. iv et seqq. cui præverat Magister Sent. lib. 1, dist. 17.

(3) Cfr. Joan. Morinus in *Comentario historico de disciplina in administratione Sacr. Pœnitentiæ*, lib. viii, cap. 2 et seqq. Antwerp. 1682, præsertim cap. viii, ubi plurimos et celeberrimos refert Scholasticos, qui affirmant, per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia latuisse. Profert præterea Patres, qui ante illud tempus Sacramentorum effectam, hominis impij justificationem, fidei operamque nos-

trorum meritum sine gratiæ habitualis mentione explicarunt, nec commemorarunt nisi actualia auxiliâ gratiæ et opera hinc profecta. Ostendit, nondum esse definitum, gratiam habitualement ad hos effectus esse necessariam; et nonnullos Doctores etiam nunc istos effectus sine ea explicare. Unius nobis satis sit ex tot Scholasticis quos Morinus adducit, verba proferre, nempe Barthol. Medinæ Ord. Præd. qui in 1, 2, q. 110, a. 2, de tota doctrina ista sic scribit: *Secunda conclusio. Non est certum secundum doctrinam fidei, quod gratia sit habitus infusus in anima inhærens. Nam hoc non colligitur ex Sacris Litteris, neque ex*

ficans a virtute charitatis realiter distinguatur, nec ne? 4^o Utrum præter virtutes theologicas infundantur præterea una cum gratia sanctificante etiam virtutum moralium habitus, qui in facilitate quadam et propensione ad recte operandum consistunt (1)? Hoc verisimilius esse censuit Concilium Viennense, ut patet ex Clementina, *De summa Trin.* ubi legitur: *Opinionem, quæ dicit,*

traditione ecclesiastica, neque ex definitionibus Conciliorum. Et Concilium Trident. locis supra commemoratis, ut recte admonet doctissimus Pater Soto, lib. 2, De nat. et grat. cap. 18, consulto abstinuit a nomine habitus, sed tantum definiuit hominem justificare per justitiam diffusam in cordibus nostris, quæ illi inhæreat.

Et paulo post in solutione objectionis: *Illud etiam advertendum, quod illa justitia interior et inhærens, et illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, potest fieri duobus modis. Uno modo per infusionem alicujus qualitatis supernaturalis in animam; alio modo potest fieri a Deo sine infusione alicujus qualitatis permanentis, sed per solam actualem motionem divini auxilii, quod auxilium sua efficacia convertit animum hominis a pravitate ad rectitudinem. Utrum vero Deus efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem et infusam, vel potius per solam motionem actualis auxilii divini, Concilium Tridentinum non definit. Non enim illa quæstio pertinebat ad id, quod erat propositum in Concilio. Cfr. etiam Vasquez, In 1, 2, dist. 187, cap. 2, tota et longa disput. 203; disp. 210, cap. 8; disp. 196, cap. 3, n. 11 seqq. n. 15;*

disp. 211, cap. 3, n. 17; disp. 218, cap. 3, n. 15; disp. 219, cap. 1, n. 3, 4; In tert part. art. 2, dub. 3, n. 17. Hæc adnotare volui, ne minus periti in rebus theologis decipiantur, permiscentes cum articulis fidei quæstiones mere scholasticas, atque ita traducant tanquam hæreticam aut erroneam eorum doctrinam, qui nullam agnoscunt distinctionem inter gratiam habitualem et actualem. Quod sane de fide non est. Ceterum cum doctrina, quæ ponit distinctionem inter utramque gratiam, communis sit ac ab omnibus nunc recepta, nos ab ea non discedimus; imo certa nobis videtur ac magis conformis Scripturis et sensui Ecclesiæ, ut postea ostendemus. Cfr. Suarez, lib. vi, De essentia gratiæ seu justitiæ habitualis, capp. viii et ix. Quamvis ipse ulterius progredi videatur, dum censet, de fide esse infundi habitus virtutum theologicarum per baptismum, et verba Concilii Viennensis exponit de habitibus virtutum moralium. Ceterum et ipse Bellarminus, De Justif. lib. ii, cap. 15, utrum justitia inhærens, per quam formaliter justus sumus, sit justitia habitualis, an actualis, an utraque, inter disputationes catholicorum Theologorum censet.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit.

tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem et virtutes, tanquam probabiliorem et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam (1). 5° Utrum dispositiones, quæ in adultis ad gratiam sanctificantem assequendam requiruntur, veram meriti, saltem *de congruo*, rationem habeant, eoque nomine designari possint, nec ne? 6° Utrum ad actum salutarem *constituendum* et eliciendum, præter gratiam sanctificantem, etiam in facilibus, opus sit gratia actuali, ut supernaturalis dici possit?

474 Has vero aliasque non paucas quæstiones, si primam excipias, de qua quid nobis verisimilius videatur aperiemus, utpote minus necessarias prætermittimus, ut dogmatibus catholicis tuendis insistamus. Cum proinde ut diximus, gratia sanctificans illa sit, qua homo justificatur et capax efficitur eliciendi opera meritoria vitæ æternæ, prius hic de justificatione agemus, acturi in tertia hujus tractatus parte de merito.

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE IMPII.

475. Quæcumque ad impii justificationem spectant, revocari possunt vel ad ejusdem justificationis naturam, vel ad dispositiones, quæ ad eam adipiscendam requiruntur, vel demum ad ejus proprietates. Per partes rem totam expendemus.

(1) Cfr. *Act. Concil. Harduini*, tom. VII, col. 1359. Placet integrum decretum referre, ut melius pateat Concilii mens. Exposita doctrina de necessitate Baptismi ad salutem, ita pergit: *Verum quantum ad effectum* (Baptismi), *cum Theologi varias opiniones habeant: videlicet dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed GRATIAM NON CONFERRI; aliis e contra asserentibus, quod et culpa eisdem in*

Baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum, nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, OPINIONEM SECUNDAM, quæ dicit, etc. Ex quibus patet, minus conformem videri menti Concilii interpretationem modo allatam a Suarezio.

ARTICULUS I.

De justificationis essentia seu natura.

476. Justificatio, quæ a *justitia* seu *justum faciendo* dicitur, si nomen spectes, quatuor modis in Scripturis usurpatur; interdum enim pro lege sumitur, ut Ps. CXVIII passim legitur: *Justificationes tuas custodiam; Doce me facere justificationes tuas*; interdum vero pro acquisitione justitiæ, ut I Cor. VI, 11: *Hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*; aliquando pro incremento justitiæ, ut Apocal. XXII, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc*; demum pro declaratione externa justitiæ modo forensi, cum judex, ex. gr. quempiam justum declarat ac insontem illius criminis, de quo accusatus fuerat, quo sensu, Prov. XVII, 15, dicitur: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum* (1).

477. Jam vero Lutherus et Calvinus cum suis asseclis contendunt, hunc postremum tantum sensum hujus vocis esse, cum sermo est in Scripturis de justificatione peccatoris, juxta eorum systema nuper expositum; ex quo inferunt: 1^o per justificationem vere peccata non remitti, sed tantum non imputari; 2^o nullam fieri in justificatione interiorem renovationem per gratiam animæ inhærentem, sed solam externam imputationem justitiæ Christi, vel etiam, ut autumavit Osiander, per inhabitationem in nobis essentialis justitiæ Dei, qua nempe Deus essentialiter justus est (2). Alii autem alia ratione eandem doctrinam exponunt; verum in eo omnes conveniunt, quod velint justitiam seu causam formalem justificationis esse nobis extrinsecam, non autem animæ inhærentem, qua homo vere intrinsece justus sit (3).

(1) Cfr. Bellarm. *De justificat.* lib. I, cap. I.

(2) Osiander, *Harmonia Evangelica*, autumavit gratiam sanctificantem esse *substantiam*, quia, inquit, gratia nil aliud est quam justitia et sanctitas ipsius Dei constituens hominem

justum et sanctum, sicut lux solaris nihil est aliud quam præsentia solis super totum hemisphærium. Cfr. Gotti, tom. III, in 1, 2, q. III, dub. II.

(3) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. I.

478. In sententia Catholicorum justificatio definitur *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum*. Ex qua definitione, quæ est ipsius Concilii Tridentini (1), patet justificationem in sensu catholico consistere in interiori animæ renovatione, per inhærentem ipsi gratiam, ob Christi Salvatoris nostri merita. Exponens propterea Concilium causam formalem nostræ justificationis, pergit : *Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justii nominamur et sumus* (2). Et iterum paulo post : *Id, inquit, in hac impij justificatione fit, dum ejusdem (Christi) sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem* (3). Quibus verbis tum vera doctrina de justitia intrinseca et inhærente adstruitur, tum rejicitur error fundamentalis adversariorum de justitia extrinseca, ex quo ceteri errores dimanant de ipsa formali justitia Dei in nobis habitante, aut de justitia Christi nobis imputata, aut de sola remissione peccatorum quoad pœnam modo forensi, alique ejusmodi (4).

479. Cum igitur totius quæstionis nodus in eo sit, quod juxta hæreticos, maneat culpa originalis in homine ejusque propagine, colluvies scilicet peccatorum actualium, quæ sunt ejus manifestatio, et quorum pœna tantum remittitur ac culpa tegitur, ex quo sequitur justitiam seu causam formalem justificationis esse extrinsecam; juxta catholicos vero, quod tum peccatum originale tum peccata actualia, quæ ex libera hominis voluntate unice prodeunt, vere dimittantur, non solum quoad pœnam, verum

(1) Sess. vi, cap. 4.

(2) Ibid. cap. 7.

(3) Ibid.

(4) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. ii,

cap. 2.

etiam quoad culpam, per interiorem hominis renovationem, quam efficit gratia sanctificans homini infusa; plane consequitur duo a nobis esse præstanda: ostendendum scilicet in primis est, peccata vere remitti; deinde gratiam, qua justificamur, intrinsecam prorsus ac nobis inhærentem esse. Sit igitur

PROPOSITIO I.

In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur.

480. Propositio hæc de fide est, can. V, sess. VI, Conc. Tridentini his verbis sancita: *Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in baptisate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Quod vero hic dicitur de peccato originali, id ipsum dicendum de peccatis actualibus, cum eadem sit ratio; solum vero memorat Tridentina Synodus peccatum originale ad mentem Novatorum.

481. Sic autem veritas propositionis ex Scripturis ostenditur: Scriptura docet, Deum ita peccata remittere, ut ea tollantur, auferantur, deleantur, et homines ab iis prorsus mundentur; atque ea ratione tolli, auferri, deleri, hominesque a peccatis mundari, ut non amplius ea remaneant, et justificati dicantur abluti, mundi, purgati, ac veluti ipsa lux effecti, non habentes maculam. Ergo juxta Scripturam, non solum quoad reatum pœnæ peccata remittuntur, verum etiam quoad reatum culpæ, ita ut hæc penitus evanescat. Etenim, Joan. I, 29, de Christo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; Act. III, 19: *Convertimini, ut deleantur peccata vestra*; II Reg. XII, 13: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Rursum Is. XLIV, 22: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua*; hinc David, Ps. L: *Lavabis me, et super nivem dealabor...* *Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum*

rectum innova in visceribus meis; I Cor. VI, 11 : *ABLUTI ESTIS, sanctificati estis, justificati estis*; Hebr. I, 3, de Christo scribit idem Apostolus : *PURGATIONEM peccatorum faciens*; ibid. IX, 28 : *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*; ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem LUX in Domino*; ac ibid. 26 et seq. testatur, Christum passum esse, ut Ecclesiam *MUNDANS santificaret lavacro aquæ... ut exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam, NON HABENTEM MACULAM, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*. Aptioribus profecto verbis significari non poterat perfecta culpæ ablatio, ac mundities et puritas inde secuta (1).

482. Non minus aperte hæc eadem veritas ex sensu traditionali evincitur. Ex innumeris porro Patrum testimoniis, quæ ad duci possent, ut brevitati consulamus, unum vel alterum seligimus. S. Joan. Chrysostomus : *Corporis lepram, inquit, purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Judæorum Sacerdotibus licebat... his vero (nostris) non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed PURGARE PRORSUS concessum est* (2). S. Augustinus : *Dicimus baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum, et AUFERRE CRIMINA, non radere* (3). Quod sæpius alias repetit.

483. Ratio denique theologica id ipsum ostendit. Si enim peccata post justificationem adhuc existerent nulla facta hominis renovatione, de peccatoribus dici non posset, eos per gratiam translatos esse de morte ad vitam, aut resurrexisse cum Christo,

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 7, ubi n. 6, præclare observat : *Scriptura utitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quærat vocabula, quibus perspicue declaret, peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit.*

(2) Λέπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μάλλον δὲ ἀπαλλάττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον εἶχον ἐξουσίαν οἱ τῶν Ἰουδαίων ἱερεῖς.... Οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀπαλλαγείσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν. *De sacerdot. lib. III, n. 6.*

(3) *Ad Bonifac. lib. 1, cap. 13, n. 26.*

aliaque ejusmodi. Atqui talia affirmant S. Joannes, I Epist. III, 14, et Apostolus Paulus, Rom. VI, 1. Ergo.

484. Hæc adeo luculenta sunt, ut sequiores sectarii conati fuerint sic magistrorum suorum sententias temperare et emollire, perinde ac si nihil aliud sibi voluerint significare, quam peccata remanere adhuc *materialiter*, quatenus semper verum sit, talem hominem legem aliquando violasse, non autem *formaliter* quantum ad culpæ aut pœnæ reatum (1). Verum enim vero, qui sic exponunt veterum Novatorum sententiam, totum eorum systema ejusque nexum aut assecuti non sunt, aut se non assequi finxerunt.

DIFFICULTATES.

485. Obj. prima. 1° Peccata in justificatione impii teguntur tantummodo, seu ad pœnam non imputantur. 2° Etenim, Psal. XXXI, dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Perinde igitur est, iniquitates remitti et tegi, ac non imputari. 3° Prout etiam, Prov. X, 12, legitur: *Universa delicta operit charitas.* 4° Quæ confirmantur ab Apostolo, qui non modo, Rom. IV, 7, refert verba Ps. XXXI, nuper adducta, sed præterea exponit, II Cor. V, 19, qua ratione Deus peccata dimittat, dicens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, NON REPUTANS illis delicta ipsorum.* Ergo non delendo, sed non reputando, Deus peccata dimittit. 5° Sane hanc esse Apos-

(1) Ita rem explicat Abbas Molanus in *Cogitationibus privatis*, apud Bossuetum, tom. premier des *Oeuvres posthum.* édit. de Liège 1767, pag. 56 et seq., ubi exposita distinctione inter actum materialem, qui præteriit, et id quod dicitur *formale* peccati, concludit: *Statuimus peccata tam actualia quam habitualia, quoad formale, sive reatum culpæ et pœnæ, tolli in justificatione vere et totaliter per remissionem, condonationem, non imputatio-*

nem... Quod autem nonnulli Protestantium Theologorum dixerunt, peccatum in justificatione non tolli, sed manere, id intelligunt de peccato originis, et specialiter de prava concupiscentia, quam in renatis manere contendunt, non quoad formale, sed quoad materiale, nempe quoad habitualement in malum propensionem, absque tamen dominio. At hæc non est doctrina Protestantium, ut patet ex adductis aliisque non paucis, quæ afferri possent.

toli mentem magis constat ex iis, quæ scribit, Rom. VII, 17 : *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ergo adhuc in justificatis peccatum permanet, ac propterea non deletur.

486. Resp. ad 1^m, *Dist.* Teguntur a Deo peccata ita, ut non amplius subsistant, *conc.*; ut permaneant, *neg.* Sic etiam : Non imputantur per condonationem, *conc.*; per non imputationem, *neg.* Figuratae enim ejusmodi locutiones cum ad Deum referuntur, non alium sensum habere possunt; quia, si peccata quoad culpæ reatum reipsa in peccatoris anima permanerent, nec tegi coram Deo, neque non imputari dici possent.

487. Ad 2^m, seu ad 1^m probat. *Neg.* Sic enim eum textum exponit S. Augustinus : *Cooperta sunt peccata, abolita sunt, tecta sunt... Non sic intelligatis, quod dixit : cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant* (1). Ejusmodi porro esse sensum germanum horum verborum, tum contextus declarat, tum evincunt testimonia cetera a nobis prolata, imo postulat ipsa natura rei de qua agitur; si enim adhuc peccata reipsa subsisterent, quomodo tegerentur coram Deo, cui *omnia nuda sunt et aperta oculis ejus* (2).

488. Ad 3^m, seu 2^m probat. *Dist.* *charitas operit*, id est, *extinguit* universa delicta, ut rursus interpretatur hunc Proverbiorum locum S. Augustinus, *conc.*; operit tanquam velum ac tegumentum, *neg.* (3).

(1) *Enarr.* II, in *Ps.* xxxi, n. 9.

(2) Cfr. Bellarm. *De just.* lib. II, cap. 9. Vix quisquam superest inter Protestantes, qui adhuc contendat, alium esse sensum verborum, quæ nobis objiciuntur. Satis sit adducere interpretationem Georgii Rosenmulleri, qui in cap. IV, *Epist.* ad Rom. v. 6, hæc scribit : *Δικαιοσύνην λογιζοσθαι τινι est nova loquendi formula, quæ posita esse videtur pro δικαιούν τινά absolvere aliquem; nam in Psal. (xxxii) de remissione*

peccatorum sermo est. Et in v. 7, prosequitur : *Felices eos* (inquit David), *quorum scelera condonata, quorum peccata deleta sunt, proprie tecta, id est, omnino remissa, et oblivioni tradita, Indicatur totalis ἀμνηστεια ἀμαρτιῶν, Hebr. VIII, 12; X, 17. Sic apud Ciceronem pro Cælio, cap. 18, vitia multis virtutibus objecta commemorantur.*

(3) *Tract.* I in *Ep.* I Joan. n. 6.

489. Ad 4^m, *Neg.* Etenim ad Rom. loc. cit. Apostolus in eum tantum finem adducit verba Psalmi XXXI, ut ostendat, gratuitam prorsus esse justificationem, non vero ut absolutam sive adæquatam justificationis notionem exhibeat, multo minus ut doceat, prout autumant adversarii, remissionem peccatorum in non imputatione consistere, non autem in vera ablatione. Hæc siquidem nihil ad ejus scopum conferebant, et præterea ejus doctrinæ alibi traditæ adversantur.

490. Sensus verborum, quæ ex Epist. ad Corinth. adducta sunt, juxta S. Joan. Chrysostomum aliosque græcos Patres et interpretem syrum, hic est: Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, gratis remittens et condonans delicta ipsorum per Christi merita, seu intuitu ejus passionis. Nec alia est expositio Patrum latinorum (1).

491. Ad 5^m, *Dist.* Peccatum improprie dictum seu concupiscentia, *conc.*; formale ac proprie dictum, *neg.* Ideo autem concupiscentiam vocavit Apostolus peccatum, quia, ut declarat Concilium Tridentinum, *a peccato est et ad peccatum inclinat*; alioquin non dixisset paulo post idem Apostolus: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

492. Obj. secunda. 1^o Verbum *justificare* in Sacris Litteris modo forensi accipitur, ita ut idem significet ac *justum pronunciare*, minime vero *justum efficere*; 2^o Sic Rom. VIII, 33: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat, quis est qui condemnet?* et alibi passim, 3^o Quod et ex usu profanorum scriptorum confirmari posset, qui nunquam nisi hac significatione vocem justificandi usurparunt (2). Verum necesse non est, ut voci insistamus, cum rem ipsam Scripturæ exhibeant; 4^o ad plenum siquidem justificationis opus significandum Scripturæ non adhibent nisi voces ex formis judiciariis depromptas; ita videmus, *judicium*, Ps. CXLV, 7; *judices*, Joan. V, 17; *tribunal*, Rom. XIV, 10; *accusatum*, Rom. III, 19; *accusatorem*; Joan. V, 45; *testes*, Rom. II, 15; *acta processus*,

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. et Bernard. a Piconio in hunc locum.

(2) Ita Kemnitius apud Bellarm. loc. cit.

Col. II, 14; *advocatum*, I Joan. II, 1 : *sententiam*, Ps. XXXII, 1; *executionem*, Luc. XVI, 22, etc. Cum igitur omnes occurrant formæ forenses seu legales in toto justificationis negotio, quidni etiam in justificatione ipsa? 5° Nil mirum propterea, si inveniamus, Rom. V, 13 : *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur*; 6° Sap. XI, 24 : *Misereris omnium.... et dissimulas peccata hominum*; 7° Nil mirum, si de hominibus etiam justificatis Scriptura pronunciat, *neminem arbitrari posse se esse justum*, ex. gr. Ps. CXLII, 2 : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; Job IX, 2 : *Vere scio... quod non justificetur homo compositus Deo*; et Matth. VI, 12, omnes peccatores et justis indiscriminatim jubeantur dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, et alibi passim. Quæ quidem omnia in systemate Protestantium de peccatis perseverantibus etiam post justificationem optime intelliguntur, ast componi nulla ratione possunt in systemate catholico cum absoluta peccatorum abolitione. Ergo.

493. Resp. ad 1^m, *Dist.* Verbum *justificare* accipitur interdum in Sacris Litteris modo forensi, *conc.*; semper et præcise in casu nostro, *neg.* Testimonia enim, quæ in probationibus adduximus, contrarium prorsus evincunt. Quod si interdum vox *justificare* etiam in subjecta materia, de qua agimus, in sensu *declarationis* usurpatur, tropice intelligenda est, quatenus per eam significetur, Deum re ipsa efficere interius, quod exterius in foro judiciali fit. Nam cum judices reum præsumptum absolvunt, declarant hoc ipso eum immunem esse iis delictis, quæ ipsi affingebantur, cum non aliud præstare possint; Deus vero, qui præterea potest reum justum efficere, dum eum justum declarat, hoc ipso per interiorum immutationem talem constituit ut veritas interna cum externa declaratione simul cohæreant. Quod evidentius fiet ex dicendis.

494. Ad 2^m, *Dist.* *Deus qui justificat*, et interiori peccatorum abolitione, et exteriori declaratione, *conc.*; Sola exteriori declaratione, *neg.*

495. Ad 3^m, Resp. nil mirum esse, si Scriptores profani non alio sensu vocem hanc aliasve ejusmodi usurpaverint, quia inter

homines nulla alia datur justificatio præter declaratoriam sive forensem, ac omni prorsus idea sublimioris ac interioris justificationis destituti fuerunt. Ast insolens non est, in Scripturis easdem voces longe excellentiori adhiberi significatione ac diversa ab ea, qua iis utuntur Scriptores profani, ob rationem quam attulimus (1).

496. Ad 4^m, *Dist.* Non adhibent Scripturæ nisi voces ex formis judiciariis depromptas ad plenum justificationis opus significandum, ut symbolorum et emblematum exteriorum ope quodammodo referant, quod invisibiliter ac spiritualiter Deus in anima operatur, *conc.*; ut consistant in symbolorum et emblematum cortice, *neg.* Cum enim mundus spiritualis et invisibilis in lucem prodire nequeat, nisi quodam, ut ita dicam, exteriori ac sensibili indumento vestiatur, hinc fit, ut quoties invisibilis et spiritualis aliqua veritas aut operatio hominibus proponitur, toties ad horum captum per sensibilem aliquam formam significetur. Quod pluribus exemplis ostendi facile potest: ex. gr. æterna beatitudo sub symbolis domus, civitatis, convivii, esus et potus, aliisque similibus exhibetur in Sacris Litteris; status corporum gloriosus sub emblemate aquilæ, vituli subsilientis, etc. Frustra autem, imo et absurde quispiam contenderet, et contra omnes sacræ exegeseos leges, non in alio consistere æternam beatitudinem, quam in domo, convivio, etc.; id ipsum de conditione corporum gloriosorum dicatur. Jam vero idem contingit circa justificationem, ad quam adumbrandam et ob oculos nostros quodammodo subjiciendam Scriptura figuras et symbola petit ex iis, quæ in humanis judiciis in usu sunt; nec propterea aliquis inferre possit, Deum exterius homines justificare, ut humani iudices solent. Hæc magis confirmantur ex indole orientalis philologiæ, quæ passim symbolicis ac figuratis locutionibus redundat (2). Ergo quo plures ejusmodi phrases congerunt adver-

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. 11, cap. 9, n. 18 et seq. cum *Vindiciis Viti Erbermanni.*

(2) Cfr. Glassii *Philologia sacra,*

ex edit. Dathii et Baveri Lips. 1797, tom. 11, part. post. partis primæ, cap. 3, § 49 et seqq. et lib. 11, tract. 1, cap. 7, pag. 957 et seqq. Ceterum

sarii, eo melius evincunt, non nisi figurate ea accipienda esse, quæ de justificatione ex Sacris Litteris ipsi exhibent. Ceterum eadem Sacræ Litteræ omnem ambiguitatem circa hujus vocis vim amovent, cum tradunt Deum peccata *delere*, *abluere*, *auferre*, *tolere*, etc. ut superius ostendimus (1).

497. Ad 5^m, *Dist.* Peccatum non imputabatur ad legis scriptæ normam definitis seu statutis pœnis, *conc.*; non imputabatur omnino, *neg.* Contrarium ostendit ipsa Genesis, in qua transgressores legis naturalis gravissimis pœnis multati exhibentur, uti ex. gr. cum homines universi præter Noë familiam, aquis diluvii, Sodomitæ autem igne consumpti sunt, etc.

498. Ad 6^m, *Dist.* *Dissimulat* dilatione punitiōis promeritæ, ut sones resipiscant, *conc.*; *dissimulat* non imputatione, *neg.* Sensus obvius est.

499. Ad 7^m, *Dist.* Nisi Deus gratuita miseratione culpis hominum ignoscat eas remittendo, *conc.*; si remiserit, *neg.* In his porro aliisque similibus textibus hoc solum Scriptura significat,

Winer in suo *Lexico manuali Hebraico*, ad vocem פָּטַח , fatetur apud veteres Hebræos vocem *justificare* usurpatam passim fuisse de justitia interna, quod adductis exemplis ostendit. Winero præverant Grotius, in *Prolegom. ad epist. ad Roman.* Geor. Bullus, in *Harmonia Apostolica*, diss. 1, cap. 1, § 1, ubi solum contendit, verbi δικαιοῦν significationem *forensē* non perpetuam prorsus; sed tantummodo *maxime obviā et familiarem* esse. Ernestus Grabe, in *Annotatis* ad cap. 1, et præcise ad § 2 dissertationis Bulli colligit præterea non pauca loca ex V. T. in quibus ipsi rigidiores Protestantes vocem *justificandi* in sensu *justum faciendi* usurpari agnoverunt, ut Dan. XII, 3; Eccl. XVII, 22; Ps. LXXII, 13; tum Isa. LIII, 11. Ex N. autem T. præter Apoc. XXII, 11, ostendit idem

auctor vocem usurpari præterea Rom. VI, 7, in eadem significatione. Demum Rom. item IV, 25, verba illa: *Resurrexit propter justificationem nostram*, δικαιοσιν ἡμῶν , infusionem justitiæ nobis in hærentis significare, ex Protestantibus docuerunt Martinus Borræus, in Genes. XV, pag. 161, Petrus Martyr, in Ep. ad Rom. IV, ac Martinus Bucerus ad eundem locum. His locis addere potuisset Grabe, quod legitur Rom. V, 17, ubi vocem δικαιοσύνης , *justitiæ*, poni in sensu morali ipse contextus manifeste ostendit; instituit enim ibi Apostolus comparationem inter injustitiam, quam per Adæ inobedientiam contraximus, et justitiam, quam per obedientiam Christi consecuti sumus; ut de reliquis taceam.

(1) Cfr. etiam Moehler, *Symbolique*, tom. I, pag. 124 et seqq.

neminem posse de propria justitia gloriari, sive quia homines, si quam habent interiorem justitiam et sanctitatem, a Deo habent; sive quia plerumque in ipsis pietatis operibus ac recte factis aliquid admiscent imperfectionis ex propria infirmitate, socordia, aut malitia; sive quia peccatis saltem levibus se commaculant, propter quæ divinam clementiam exorare debent; sive demum per comparisonem ad justitiam Dei incommutabilem atque essentialem, in cujus conspectu quævis justitia nostra penitus evanescit, ut lux lucernæ ad solis adventum. Qua ratione exponi pariter debent nonnulla Patrum dicta, quin diutius in iis singillatim expendendis tempus teramus; adeo enim constat de ipsorum mente, ut adversarii ultro non semel id fassi sint, atque ab iis se recedere palam profiteantur (1).

500. Ex dictis patet, quid sentiendum sit de adversariorum conclusione, utrum nempe Scripturarum effata melius concilientur cum doctrina catholica an cum systemate Novatorum. Nulla enim difficultas ex doctrina catholica oritur; contra vero in systemate Novatorum, præter quam quod ex falso principio hæc doctrina dimanat, Deus declararet justum esse eum, qui actu impius est; non cerneret peccata in eo, qui illis est undique pollutus; nec posset omnipotenti virtute sua ea radicitus evellere; aliaque ejusmodi profluerent non minus a sana fide quam a recta ratione abhorrentia (2).

PROPOSITIO II.

Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiæ Christi vel sola peccatorum remissione; sed justificantur per gratiam et caritatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhæret; neque gratia, qua justificamur est tantum favor Dei.

501. Propositio hæc de fide est; totidem enim verbis Concilium Tridentinum eam definivit, sess. VI, can. X: *Si quis*

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(2) Cfr. Moehler. loc. cit.

dixerit, homines per eam ipsam (justitiam Christi) formaliter justos esse, anathema sit. Can. XI: Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

502. Hanc porro fidei veritatem adversus recensitos Novatorum errores ita in primis adstruimus: Justificatio juxta Scripturas non in sola peccatorum remissione forensi consistit, vel externa justitiæ Christi imputatione, sed in interiori renovatione, si ipsæ conceptis verbis testentur, in justificatione charitatem seu gratiam diffundi in cordibus nostris, ac ita diffundi, ut abundantiam ipsius gratiæ in nobis accipientes regeneremur et renovemur, ac Deus in nobis mansionem per gratiam suam faciat. Jam vero hæc omnia luculentissime Sacræ Litteræ affirmant. Etenim, Rom. V, 5, scribit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; et v. 17, de justis prosequitur: *Abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Rursum in Epist. ad Tit. III, 5: *Salvos, inquit, nos fecit per lavacrum REGENERATIONIS et RENOVATIONIS Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Christus ipse jam dixerat, Joan. III, 5: *Nisi quis RENATUS fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro, est; quod NATUM EST EX SPIRITU, Spiritus est.* Et ibid. XIV, 23, de homine justo affirmaverat: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus, utique per gratiam saltem inhærentem.* Ergo.

503. Ex Patribus unum appellamus Augustinum, qui in lib. *De spir. et litt.* cap. IX, loquens de justificatione, quam adipiscimur per fidem, qua creditur in Christum, ait: *Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus; utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate*

donatur. Et cap. XXXII, n. 56: *Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justus ejus munere efficitur, et Domini salus, qua nos salvos facit, et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.* Hæc ipsa vero adeo frequenter inculcat S. Doctor, ut Calvinus plane fateatur, se ab Augustino discedere, quia: *Gratiam, inquit, ad sanctificationem refert, qua in vitæ novitatem per Spiritum regeneramur* (1).

504. Hanc demum theologicam rationem ex intima rei, de qua agimus, natura petitam urget Angelicus Doctor: In præsentī statu nullum datur medium inter dilectionem Dei et ejus odium, quod generat peccatum impediendo effectum dilectionis divinæ; hinc, sublato peccato, necessario reviviscit effectus istius dilectionis, quæ dilectio seu amor Dei non supponit bonitatem in objecto, quod diligit, sed efficit et producit; non potest proinde concipi remissio peccati, quin concipiatur infusio gratiæ, per quam homo interius renovetur, et ex objecto odii fiat objectum amoris et dilectionis (2). Hinc non solum constanter docet, justificationem esse quemdam motum et transitum de statu in statum; sed præterea docet, qua ratione id fiat, scribens: *Justificatio impii non est successiva, sed ordine naturæ unum eorum est prius altero, et inter ea naturali ordine primum est gratiæ infusio, secundum motus liberi arbitrii in Deum, tertium est motus liberi arbitrii in peccatum, quartum est remissio culpæ* (3).

505. Et hæc circa dogma. Si quis vero quærat, cujusmodi sit gratia hæc inhærens, qua formaliter justificamur, utrum habitulis, ut vocant, an vero actualis? Reponimus cum communi theologorum doctrina, nos pro certo habere, eam habituales esse,

(1) Lib. III, *Institut.* cap. 11, § 15. Chemnitius pariter fatetur, Patres saltem ratione loquendi cum Catholicis consentire; nam in *Examine Conc. Trid.* part. 1, scribit: *Non movemus litem, quo modo justificationem acci-*

piant Patres. Et paulo post: *Non ignoro, inquit, aliter loqui Patres; sed de proprietate linguarum quæstio est.*

(2) I. 2, q. 113, art. 2.

(3) Ibid. art. 8.

non autem actualem. His porro rationum momentis cum Suarezio ducimus ad hanc sententiam tenendam. Tunc homo efficitur formaliter justus, quando ex Deo nascitur et filius Dei constituitur; ergo per eandem gratiam justificatur, per quam ex Deo generatur et constituitur filius Dei. Jam vero gratia, per quam homo ex Deo generatur, est habitualis et permanens. Etenim, I Joan. III, 9, dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam SEMEN IPSIUS IN EO MANET*. Ac iterum, Joan. XIV, 23: *Ad eum veniemus (per gratiam), et mansionem apud eum faciemus*. Hæc præterea doctrina confirmatur ex Conc. Viennensi, cujus verba superius retulimus, atque ex Conc. Tridentino, quod, sess. VI, utitur passim voce *inhæret*, loquendo de gratia sanctificante, qua justificamur, et præterea, cap. VII, docet justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum; cap. XI, addit, gratiam justificationis non amitti per venialia peccata, et cap. XVI, acceptam gratiam aliquos justificados perpetuo conservare; sensit igitur, gratiam justificantem esse aliquid permanens. Sane parvuli et perpetuo amentes, dum baptizantur, accipiunt gratiam et virtutes; atqui eam non recipiunt per modum motionis ad operationem, cujus incapaces sunt; ergo per modum habitus. Quæ quidem postrema ratio ineluctabilis prorsus est (1).

(1) Cfr. Suarez loc. cit. Ad ea vero, quæ profert Morinus ex Patribus, reponimus, utique Patres non meminisse gratiæ *habitualis* vel etiam *sanctificantis*, cum hæc nomina serius inducta sint; damus præterea ipsi, Patres minime locutos fuisse de infusione habituum, aut de qualitatibus, cum hæc pariter loquendi formæ non nisi sequiori ævo obtinuerint in scholis, postquam scilicet Aristotelis philosophia invalescere cœpit. Verum aliud est de vocibus ac nominibus, aut etiam de ratione exponendi aliquam doctrinam disserere, aliud vero de ipsa re. Porro falsum est,

Patres non agnovisse statum permanentis justitiæ et sanctificationis in hominibus justis. Satis sit oculos conjicere in innumera pene Patrum testimonia, quæ refert ac illustrat Petavius, *De Trinit.* lib. VIII, capp. 4, 5, 6, 7, ex quibus apertissime constat, Patres sensitse, Deum *inhabitare* in anima justit, eam *implere*, *efficere divinæ naturæ participem*, in ea *perpetuo manere*, etc., animam justit eum *percipere*, fieri templum Spiritus Sancti, etc., imo nec a voce *qualitatis* Patres abhorrent. Id enim aperte constat ex verbis S. Cyrilli Alex. lib. IX, in *Joan.* ubi ait: *Πῶς*

DIFFICULTATES.

506. Obj. prima. 1^o Scriptura sæpe testatur, nos justos esse ex sola justitia Christi. 2^o Nam Apostolus, Philipp. III, 9 : *Et inveniar, inquit, in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu ; quæ ex Deo est justitia in fide.* 3^o Et, I Cor. I, 30, de Christo scribit : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Loqui porro Apostolum de justitia extrinseca Christi nobis imputata, patet 4^o ex antithesi, quam II Cor. V, 21, instituit, dum de Christo ait : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Atqui nonnisi extrinsece peccatum factus est Christus ; ergo pariter nonnisi extrinsece nos efficimur justitia Dei in Christo.

507. Resp. ad 1^m, *Dist. antec.* Tanquam causa *meritoria, conc.* ; tanquam causa *formali, neg.* Quæ ut intelligantur, juverit

δὲ θείας φύσεως κοινωνοὶ κατὰ τὰς τῶν ἁγίων φωνὰς οἱ πνεύματος μέτοχοι, εἰ γενητοῖς ἐναριθμιόν ἐστι, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐξ αὐτῆς, ἡμῖν τῆς θείας φύσεως πρόεισιν, οὐ δίκνουμένοι δι' αὐτῆς εἰς ἡμᾶς ἄς ἀλλότριον ἄλλ', ἢν οὕτως εἴπω, ποιότης ὅσπερ τις τῆς Θεότητος ἐν ἡμῖν γινόμενον, καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικοῦν, καὶ ἀπομένον διὰ παντός, εἰ τῆς ἑαυτῶν διανοίας τὸν ὀφθαλμὸν διὰ πάσης ἐπιεικειᾶς ἀποκαθαίροντες, καὶ διὰ τῆς εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀνεύδοτου σπουδῆς συντηροῦεν ἑαυτοῖς τὴν χάριν ; Id est, *Quomodo, inquit, divinæ naturæ participes secundum dicta Sanctorum erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit, non ita, ut per ipsam in nos tanquam alienus transeat, sed, ut ita dicam, qualitas veluti quædam divinitatis in nobis insit, et in*

Sanctis habitet, ac perpetuo maneat ; si mentis suæ oculum omni probitate purgantes, et virtutum omnium indefesso studio gratiam sibi conservent ? Sed consulatur cit. eruditissimus vir. Abjectis igitur, si placet, vocibus *habitualis, habituum, qualitatis* in sensu peripateticorum, sine insignis temeritatis nota vix fieri posse existimo, ut doctrinam de permanente jugiter in hominibus justis gratia sanctificante in dubium revocetur. Stultum porro est de vocibus litem serere, quum de re ipsa constat. Quando Scholastici, quos refert Morinus, incognitam exhibent antiquitati doctrinam de gratia *habituali*, loquuntur relate ad doctrinam de *infusione habituum*, non autem de permanentia gratiæ sanctificantis in homine justificato. Cfr. etiam Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. 15 et seq.

afferre doctrinam Concilii Tridentini circa causas justificationis, quæ ita se habet : *Hujus sanctificationis causæ sunt : finalis quidem gloria Dei et Christi et vita æterna ; efficiens vero misericors Deus , qui gratuito abluit et sanctificat , signans et ungens Spiritu promissionis Sancto , qui est pignus hæreditatis nostræ ; meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus D. N. J. C. qui , cum essemus inimici , propter nimiam charitatem , qua dilexit nos , sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit , et pro nobis Patri satisfacit ; instrumentalis item sacramentum baptismi , quod est sacramentum fidei , sine qua nulli unquam contigit justificatio . Demum unica formalis causa est justitia Dei , non qua ipse justus est , sed qua nos justos facit , qua videlicet ab eo instructi renovamur spiritu mentis nostræ ; etc. (1). Sublata hoc modo omni ambiguitate, pronum erit, objecta Scripturarum testimonia aliaque ejusmodi explanare, eorumque veram ac germanam significationem assequi.*

508. Ad 2^m seu 1^m probat. *Dist.* Ut inveniar in illo non habens *meam* justitiam, id est, *propriam* independentem a meritis Christi, *conc.*; *propriam*, id est, intrinsecam seu inhærentem per Christi merita ejusque gratiam, *neg.* Ut patet ex contextu, in quo Apostolus opponit justitiam legalem, propriis meritis partam, justitiæ, quam, per fidem in Christum consequimur ob ejus merita.

509. Ad 3^m, *Dist.* Christus factus est nobis justificatio *efficienter* et *meritorie*, *conc.*; *formaliter*, *neg.* Metonymice hic siquidem, ut alibi passim, effectus pro causa ponitur; ut, Ps. XXVI, 1, inquit David : *Dominus illuminatio mea et salus mea*, id est, causa illuminationis et salutis.

510. Ad 4^m, *Dist.* Id est, Pater fecit Christum peccatum improprie, nempe eum fecit hostiam pro peccato, *conc.*; peccatum sensu proprio et formali, *neg.* Hoc enim absurdum est. Hinc negamus Christum sensu exposito nonnisi extrinsece peccatum factum esse; nam vere hostia pro peccato factus est Christus. Constat propterea, sensum antithesis in eo esse, ut,

(1) Sess. vi, cap. 7.

quemadmodum causa meritoria mortis Christi fuere peccata nostra, ita causa meritoria justificationis nostræ fuerint Christi cruciatus.

511. Obj. secunda. 1° Pluries Scriptura docet, justos nos *reputari*, *constitui*, *denominari*. 2° Sic, Rom. IV, 5 : *Credenti in eum, qui justificat impium, REPUTATUR fides ejus ad justitiam*; et alibi passim. 3° Rursum idem Apostolus, ibid. V, 19, scribit : *Per unius obedientiam justii CONSTITUENTUR multi*. 4° Item, Jacobus in Epistola sua II, 23, cum retulisset verba Geneseos : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, subdidit : *Et amicus Dei appellatus est*. Ergo non per inhærentem justitiam homines justii sunt; sed tales reputantur per externam imputationem ac denominationem.

512. Resp. ad 1^m, *Dist.* Scriptura pluries docet, justos nos *reputari*, etc. quia tales reipsa efficimur ob inhærentem justitiam, *conc.*; sine rei veritate, et per solam extrinsecam imputationem, *neg.*

513. Ad 2^m, *Dist.* *Fides* reputatur ad justitiam, *conc.*; *justitia Christi* nobis reputatur ad justitiam, *neg.* Hæc enim duo permisceri non debent; cum aliud prorsus sit, fidem reputari ad justitiam, id est, Deum gratuito acceptare et reputare tanquam dispositionem actualem ad justitiam conferendam (1); aliud vero justitiam Christi nobis formaliter imputari ad justitiam. Primum affirmat Apostolus; alterum de suo addunt seu obtrudunt Novatores.

(1) Sic enarrat verba Apostoli Bernardinus a Piconio in *Paraphrasi*, ac sensum totius orationis exponit : V. 3, *Declarat Scriptura, Genes. 15, Credidit Abraham Deo; et hæc Abraham fides a Deo fuit illi imputata ad justitiam*. V. 4. *Juxta quæ verba sic ratiocinor: homini, qui opus exercet, merces rependitur, non gratis, sed ex justitia, et tanquam quid ei debitum*. V. 5, *E contra vero homini,*

qui nullum exercet opus, sed qui tantum credit in eum, qui peccatores justificat, huic, inquam, homini, si justitia detur, datur non quasi merces debita, sed gratis et ex gratuito Dei proposito, cui placet hujus hominis fidem acceptare ad justitiam; atqui constat ex jam citata Scriptura, quod justitia Abraham fuit data ex solo Dei reputantis nutu; hoc enim significat; et reputatum est; ergo gratis data est,

514. Ad 3^m, *Dist.* Per unius obeditionem justi constituentur multi *meritorie, conc.; formaliter, neg.* Opponit enim Apostolus effectus inobedientiæ Adam effectibus obedientiæ Christi.

515. Ad 4^m, *Dist.* Amicus Dei appellatus est eo, quod talis vere factus esset, *conc.*; per solam denominationem, *neg.* Judith enim VIII, 22; dicitur: *Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Quo autem sensu dicatur in libro Geneseos: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, patet ex responsione ad 2^m.

516. Obj. tertia. Sæpe monemur induere justitiam, seu gratiam, qua justi efficimur, ut Ephes IV, 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis*; et Ps. CXXXI, 9: *Sacerdotes tui induantur justitiam*; et iterum Apostolus. Rom. XIII, 14, scribebat: *Induimini Dominum Nostrum Jesum Christum*; et ad Galatas III, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Porro indumentum est quid extrinsecum. Ergo.

517. Resp. *Dist. min.* Indumentum materiale extrinsecum est, *conc.*; spirituale, *neg.* Eadem quippe ratione, qua excitamur ad *induendum novum*, provocamur pariter ad *deponendum* seu *exuendum veterem hominem*, id est, ad interiores peccati maculas eluendas, malasque consuetudines abjiciendas. Ideo autem juxta S. Augustinum David et Apostolus indumenti similitudine utuntur, ut innuant, justitiam nostram non ex nobis esse, sed ex Dei dono. *Justitia sit, scribit, sed ex gratia sit: a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes tui, inquit, induantur justitiam; vestis accipitur, non cum capillis nascitur; pecora de suo vestiuntur* (1). Revocari præterea in mentem debent, quæ de orientali philo-

ergo non ex operibus, sed ob fidem; ergo et nos pariter gratis per fidem sine operibus justificamur. Deinde ostendit, ibi agi non de prima justificatione, sed de ejusdem justificationis augmento. Nam, cum illa verba adducta ex Genesi prolata sunt, Abraham jam justus erat. Conciliat denique hunc

textum Apostoli Pauli cum textu Jac. II, 21, ex eo quod Paulus loquatur de fide per charitatem operante ac viva; S. Jacobus de bonis operibus, quæ fluant ex fide; cum fides honorum operum sit principium, mater et alitrix.

(1) Serm. xv, *De verb. Apost.* in ord. Maur. clxix, cap. 9.

logiæ indole superius adnotavimus. Nec obest, quod hac justitia, quam induere dicimur, vocetur *justitia Dei*; Dei siquidem justitia nuncupatur ratione causæ efficientis, minime vero ratione causæ formalis.

518. Obj. quarta. Saltem in sola peccatorum remissione collocanda est formalis causa justificationis, 1^o juxta id quod Apostolus docet, Rom. IV, 25, scribens de Christo: *Qui traditus est propter delicta nostra*. Ideoque ad solam peccatorum remissionem obtinendam. Et confirmatur ex I Joan. III, 8, ubi dicitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Non alia porro diaboli opera sunt nisi peccata. Hinc II Cor. V, 19, Deus dicitur in Christo reconcilians mundum sibi: *Non reputans illis delicta ipsorum*, nempe dimittendo peccata. In Actibus vero Apost. XIII, 38, sic Apostolus Judæos alloquebatur: *Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari*, Sane non aliud petentem præter remissionem peccatorum Publicanum inducit Christus, Luc. XVIII, illis verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Sola proinde peccatorum remissione justificatus exhibetur præ Phariseo justitiam suam jactante. 2^o Concludendum igitur, doctrinam de justitia inhærente et justificante esse Christo injuriosam, et humilitati adversantem.

519. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m probat. *Dist.* Ad peccatorum remissionem obtinendam per culpæ abolitionem ac mediante interiori gratia sanctificante, *conc.*; ad gratiæ sanctificantis exclusionem, *neg.* Eadem porro ratione cetera, quæ adducuntur, testimonia explicanda sunt, quæ semper supponunt dari remissionem peccatorum juxta modum, quo Deus eam conferre statuit et quem Scripturæ alibi tradunt. Ceteris enim omissis, exponens Apostolus, ad Coloss. II, 13, quomodo Deus peccata remittat, scribit: *Et vos cum mortui essetis in delictis... CONVIVIFICAVIT cum illo, donans vobis omnia delicta*; et alibi passim. Ideoque ex eo, quod non semper expresse tradat Scriptura totam justificationis seriem, concludi nequit, Sacras Litteras gratiam interiori et inhærentem non complecti, multo minus excludere. Et sic responsio patet ad id, quod subditur de Publicano, quem præ-

terea docet Christus fuisse justificatum ob suam humilitatem , rejectum vero pharisæum ob superbiam tumorem (1).

520. Ad 2^m, *Neg.* Cum potius major gloria Christo proveniat ex eo, quod magis in hac doctrina patefiat efficacia meritorum suorum, quibus factum est, ut non solum poenae absolutionem forensam, uti adversarii autumant, sed totalem culpæ destructionem obtinuerit, nos vivificando ac renovando gratiæ suæ dono. Magna e contra Christus injuria afficitur in Novatorum hypothesi, juxta quam ejus meritorum efficacia seu virtus adeo extenuatur, quasi non potuerit reipsa diaboli opera dissolvere per culpæ destructionem ac plenam hominis interioris renovationem. Falsa præterea est illa humilitas, quæ mendacio nititur; cum humilitas non aliud sit, ut ita loquar, quam *expressio veritatis* (2).

ARTICULUS II.

De dispositionibus ad justificationem.

521. In Novatorum systemate justificationis processus est hujusmodi: Homo, qui essentialiter peccator est, omnique activitate destitutus, in peccatis jacet, donec perterrefactus per legis prædicationem, quæ ei præbet cognitionem peccatorum ab Evangelio, quod ei præsto est, subveniatur, ne in desperationem incidat; ejus cor terrore perculsum apprehendit per fidem, quæ sola justificat, merita Salvatoris. Propter hæc merita Deus hunc fidelem declarat justum, etsi in se minime justus reipsa sit. Quamvis porro hac ratione innocens reputetur et immunis a poena peccatis debita; peccatum originale cum suis manifestationibus jugiter perseverat in homine sic extrinsece justificato. Etsi vero fides sola justificet, sola tamen non permanet; sed justificationi accedit sanctificatio, ac fides se manifestat per bona opera, quæ fidei fructus sunt. Confundi tamen simul in hoc systemate nequeunt justificatio et sanctificatio; alioquin non pos-

(1) Cfr. S. Thom. 1. 2, q. 113; (2) Cfr. Bellarm. *De justific.* lib. II, a. 6. cap. 12 et seqq.

set ulla amplius haberi certitudo sive adeptæ remissionis peccatorum sive salutis æternæ, quæ tamen certitudo est proprietas essentialis fidei christianæ, id est, *fiduciæ*. Hinc opus regenerationis ad Deum solum spectat; homo nullam activam partem in ea habet; quia solus Spiritus Sanctus, qui producit actum hominis, est exclusive activus. Hac ratione tota gloria in Deum unice redundat, quin ullam ejus particulam in justificationis opere homo sibi arrogare possit. Ita Lutherani (1). Calvinistæ quoad rei substantiam cum illis conveniunt, nec differunt nisi in accidentalibus, in eo, ex. gr. quod Calvinus contendat, non sola fide hominem expergefieri a peccatis suis; sed quod hunc effectum tribuat præterea Evangelio; quod ex fide ingenerari censeat pœnitentiam ac deinceps sanctificationem; justificationem demum velit esse propriam tantummodo electorum; aliaque ejusmodi propria habeat, quæ deinceps exponemus (2).

(1) Ita ipsi in *Solid. declar. v, De Lege et Evangel.* § 6, p. 678: *Pec-
catorum cognitio ex lege est. Ad sal-
lutarem vero conversionem illa pœni-
tentia, quæ tantum contritionem habet,
non sufficit; sed necesse est, ut fides
in Christum accedat, cujus meritum,
per dulcissimam et consolationis plenam
Evangelii doctrinam, omnibus
resipiscentibus peccatoribus offertur,
qui per legis doctrinam perterriti et
prostrati sunt. Evangelion enim rem-
issionem peccatorum non securis
mentibus, sed perturbatis et vere pœ-
nitentibus annunciat. Et, ne contritio
et terrores legis in desperationem ver-
tantur, opus est prædicatione Evan-
gelii, ut sit pœnitentia ad salutem.*
Et iterum, *Apolog. vi* § 45, pag. 87:
*Fides illa, de qua loquimur, existit
in pœnitentia, hoc est, concipitur
in terroribus conscientie, quæ sentit
iram Dei adversus peccata, et quærit*

*remissionem peccatorum et liberari
a peccato. Apolog. iv, de justit.* § 26,
pag. 76: *Igitur sola fide justificamur,
intelligendo justificationem ex injusto
justum effici seu regenerari.* §. 19,
pag. 72: *Nec possunt acquiescere per-
terrefactacorda, si sentire debent, se
propter opera propria, aut propriam
dilectionem, aut legis impletionem
placere, quia hæret in carne pecca-
tum, quod semper accusat nos...*
§ 25, pag. 75: *Dilectio etiam et opera
sequi fidem debent, quare non sic
excluduntur, ne sequantur, sed fidu-
cia meriti dilectionis aut operum in
justificatione excluditur.* Cfr. Moheler,
op. cit. pag. 96 et seqq.

(2) Ita Calvinus, *Instit. lib. III,*
cap. 3, § 1, pag. 152, edit. cit.:
*Proximus autem a fide ad pœnitentiam
nobis erit transitus; quia, hoc
capite probe cognito, melius patebit,
quomodo sola fide et mera venia jus-*

522. In doctrina catholica aliter omnino ex contrariis principiis instituitur justificationis processus, quem sic exponit Synodus Tridentina : *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, QUIPPE QUI ILLAM ET ABJICERE POTEST, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit (1)... Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem (2).... Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et dono-*

tificetur homo, neque tamen a gratuita justitiæ imputatione separetur realis, ut ita loquar, vitæ sanctitas. Pœnitentiam vero non modo fidem continuo subsequi, sed ex ea nasci, extra controversiam esse debet... Quibus autem videtur fidem potius præcedere

pœnitentia, quam ab ipsa manare vel proferri, tanquam fructus ab arbore, nunquam vis ejus fuit cognita, et nimium levi argumento ad id sentendum moventur.

(1) Sess. VI, cap. V.

(2) Ibid. cap. VI.

rum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ; etc. (1).

523. Ex quibus intelligimus, hæc intercedere discrimina inter Novatorum doctrinam et doctrinam catholicam in quæstione, de qua agimus : 1^o Quod Novatores, nullam admittentes activitatem in homine ante justificationem et regenerationem, inferant, nullam requiri dispositionem ad eam consequendam ; Catholici ex adverso, libero arbitrio præditum agnoscentes hominem lapsum, inferant, aliquas dispositiones prærequiri, ut se Dei gratia præventum disponat ad justificationem ; 2^o Quod in systemate Novatorum fides sola sit, quæ justificat, sive instrumentum sit, quo homo apprehendit merita vel justitiam Christi (2) ; in doctrina catholica præter fidem requirantur aliæ dispositiones, cujusmodi

(1) Ibid. cap. VII.

(2) In *Apolog.* III, II, 70, dicitur : *Fides non ideo justificat aut salvat, quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam.* Et in *Form. Conc. solid. decl.* 684 et seqq. et 688 et seqq. : *Ad justificationem... necessaria sunt : gratia Dei, meritum Christi, et fides, quæ hæc ipsa Dei beneficia in promissione Evangelii amplectitur ; qua ratione nobis Christi justitia imputatur ; unde remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios Dei, et hæreditatem vitæ æternæ consequimur.* Ceterum optime cl. Moehler, op. cit., exponit nexum doctrinæ Novatorum de justificatione cum eorundem doctrina circa peccatum originale. Sic enim scribit, tom. I, pag. 102 : *Il n'est pas moins clair, que les Luthériens ne peuvent admettre la libre coopération ; car, selon leur doctrine, le péché originel consiste dans la destruction de*

*l'image de Dieu, c'est-à-dire, dans l'extinction des facultés qui seules peuvent agir avec l'Esprit-Saint. Aussi enseignent-ils, que la régénération est exclusivement l'ouvrage de Dieu, que l'homme n'y a pas la moindre part. Déjà dans la célèbre dispute de Leipsick Luther soutint cette erreur contre le docteur Eck ; il compara l'homme à une scie qui, purement passive sous la main de l'ouvrier, se laisse mouvoir dans toutes les directions. Plus tard il se plut à l'assimiler à un tronc, à une pierre, à une statue, qui n'a ni cœur, ni yeux, ni oreille. Sane Lutherus, in *Genes.* cap. 19 : *In spiritualibus, inquit, et divinis rebus, quæ ad animæ salutem spectant, homo est instar statuæ salis, in quam uxor Patriarchæ Loth est conversa, imo est similis trunco et lapidi, statuæ vitæ carenti, quæ neque oculorum, oris, aut ulorum sensuum, cordisque usum habet.**

sunt spes, contritio, poenitentia, etc. 3^o Quod fides, quæ in hypothese adversariorum justificat, sit *fiducia* illa, qua quis pro certo habet, sibi imputari justitiam Christi, dimitti peccata, id est, peccatorum poenam, et se in Christi ut innocentem et sanctum spectari a Deo, etsi peccata omnia intus quoad culpam permaneant; in doctrina vero catholica fides, quæ est initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sit firmus assensus ad ea omnia, quæ divinitus revelata sunt. Nostrum igitur est, tres enumeratas veritates adstruere, ac refellere totidem eisdem adversantes errores.

PROPOSITIO I.

In adultis ad justificationem consequendam aliquæ præter fidem dispositiones prærequiruntur, seu sola fides non justificat.

524. Est de fide hæc propositio, quam Concilium Trid. definivit, sess. VI, can. IX, his verbis: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.* Duo, ut patet, hoc canone Concilium definivit; primo scilicet, nonnullas dispositiones in homine requiri, ut perveniat ad justificationem; secundo, fidem non esse solam dispositionem, sed præter fidem alias insuper necessarias esse. Duo hæc propterea ostendenda assumpsimus in hac propositione, quæ duas has veritates simul complectitur.

525. Verum, antequam hæc ostendamus, præmittendum est ad majorem rei, de qua agimus, perspicuitatem, 1^o has dispositiones exposci ad impedimentum gratiæ seu justificationis removendum, non autem quod illæ habeant rationem meriti *proprie dicti*; siquidem gratis a Deo gratia sanctificans infunditur intuitu meritorum Christi; ac proinde illæ dispositiones sunt tanquam conditio, *sine qua non* infunditur gratia, aut solum habent rationem meriti, ut vocant, *de congruo* seu *impetrationis*. Prænotamus 2^o, has dispositiones præter fidem, quæ omnium consensu

ad justificationem requiritur, esse timorem, spem, charitatem saltem inchoatam, poenitentiam et propositum servandi in posterum divina mandata, ut exponit Tridentina Synodus loc. cit.

526. His positis, sic accedimus ad priorem propositionis partem ostendendam: Scripturæ exigunt ad justificationem assequendam ab hominibus adultis conversionem et poenitentiam; ergo aliquas dispositiones velut necessariam conditionem ad eandem assequendam requirunt. Nam, Ezech. XVIII, 21, dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et justitiam, vita vivet et non morietur.* Zach. I, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Absoluta autem necessitate talem poenitentiam requiri, constat ex Christi verbis, Luc. XIII, 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quare Apostolus Petrus, Act. II, 38, sic Judæos compunctos ad ejus prædicationem alloquebatur: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Luculenter igitur ex Scripturis evincitur, dispositiones aliquas requiri, ut quispiam justificationem consequatur.

527. Frustra post hæc adeo luculenta Scripturarum oracula Patrum testimonia congereremus ad hanc veritatem, unanimi illorum consensu firmatam, adstruendam. Sed unus præ ceteris audiatur Augustinus, cujus notum effatum est ex *Serm. XV, de verbis Apostoli: Qui fecit te sine te, non te justificat sine te... Fecit nescientem, justificat volentem* (1). Quibus verbis complexus est S. Doctor rationem, quæ ex intima rei natura exurgit. Quemadmodum nempe impius voluntarie peccando recessit a Deo, ejusque obstitit gratiæ; sic congruum est, ut non accipiat reconciliationem nisi per suam voluntariam conversionem ad Deum.

528. Ad alteram autem propositionis partem quod attinet, eam pariter Sacris Litteris inniti, sic demonstramus: Sacræ Litteræ præter fidem ad justificationem requirunt opera. Ergo... Jacobus enim, Epist. II, 24: *Ex operibus, inquit, justificatur*

(1) Cap. XI, n. 13.

homo, et non ex fide tantum. Et suæ assertionis hanc rationem affert (v. 26) : Quia nempe *fides sine operibus mortua est.* Et Apostolus Paulus, Rom. II, 13 : *Non enim, scribit, auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur.* Ac iterum, I Cor. XIII, 2 : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Demum, Galat. V, 6, exponens, cujusmodi debeat esse fides, quæ ad justificationem requiritur, hæc habet : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur* (1). Ergo ex Apostolo non sola fides, quæ sterilis sit ac sejuncta a charitate et operibus, confert ad justificationem, sed quæ cum ipsa charitate et per ipsam operetur seu vivificetur. Proinde non solam Jacobi Epistolam veluti *stramineam* (2) rejicere debuisset Lutherus ad portentosum dogma suum stabiliendum de sola fide justificante, sed præterea omnes Paulinas Epistolas, quæ ejusmodi errorem pariter evertunt.

(1) Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομὴ
 τε ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία· ἀλλὰ πίστις
 δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Ubi notanda
 est vis hujus vocis ἐνεργουμένη, operatur,
 in sensu passivo, non autem activo usur-
 patæ; quæ tantundem valet ac *mota*
 atque *acta* a charitate. Cfr. Bellarm.
De justif. cap. iv, n. 11.

(2) Ita Lutherus in *Præf.* antiquissima edita Witembergæ ante annum 1525; quanquam in recentioribus editionibus opp. Lutheri ommissa sunt verba, quibus ille hanc Jacobi Epistolam vocabat *stramineam*, si comparatur cum Epistolis Petri et Pauli, atque indignam esse affirmabat indole Evangelica. Quare Whitakerus aliique judices, qui Edmundum Campianum S. J. tanquam calumniatorem traduxerunt, quod illa Luthero affinxerit, ea dein in anti-

quioribus editionibus repererunt. Rem totam fuse refert Bayle in suo *Diction. critico*, art. *Luther*, Rem. O. P. Lutherum secuti sunt A. Althamerus et Centuriatores Magdeburgenses. Wetstenius cum retulisset hæc verba Lutheri : *Meam sententiam nemini obtudam; tantum dicam, me Epistolam Jacobi non existimare esse scriptum Apostolicum, ob hanc rationem, primo quia directe contra Paulum et omnem Scripturam operibus justificationem tribuit; denique Jacobus iste ita confundit omnia ac permiscet, ut mihi vir bonus aliquis ac simplex fuisse videatur, qui, arreptis quibusdam dictis discipulorum Apostolicorum, ea in chartam conjecerit*, etc. His, inquam, adductis, sic scribit : *Si enim Jacobus Paulo contradiceret, utique*

529. Rursum, quemadmodum alicubi Scriptura justificationem fidei tribuit, ita alibi aliis eam tribuit dispositionibus. Si dicitur, Rom. III, 28 : *Arbitramur hominem justificari per fidem*; etiam, Eccli. I, 28, legitur : *Qui sine timore est, non poterit justificari*; et Prov. XXVIII, 25 : *Qui sperat in Domino, sanabitur*; ac I Joan. III, 14 : *Qui non diligit, manet in morte*; ut alia præteream paulo ante commemorata loca, in quibus eadem justificatio pœnitentiæ adscribitur. Ergo, sicut non excluditur fides in iis Scripturæ testimoniis, in quibus solius timoris, spei, charitatis, pœnitentiæ, etc. fit mentio, cum sermo occurrit de justificatione, ita neque excluduntur timor, spes, etc. ubi solius fidei mentio fit.

530. Sancti Ecclesiæ Patres videntur data opera scripsisse ad hos Novatores refellendos; nam S. Joan. Chrysostomus, *Hom. LXIV in Matth.* ait : *Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus pœnas* (1). Et S. Augustinus, *Serm. XVI, cap. VI, de verbis Apostoli* : *A fide, inquit, incipit homo; sed et dæmones credunt et contremiscunt... Adde ergo fidei spem... speique ipsi adde charitatem* (2). Et *Serm. XXVII, cap. I : Domus Dei*, scribit, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

non Jacobus, qui id aperte docet, quod lex naturæ, quod Scriptura ubique, quod Paulus alibi inculcat, sed illæ Pauli Epistolæ, in quibus dogma a reliquis dissidens contineretur, fuissent abjiciendæ. At, si rem recte consideremus, nulla inter Jacobum et Paulum est pugna; quum Jacobus loquatur de lege naturæ et de lege Christi, Paulus vero de lege et œconomia Mosis. Cfr. Rosenmüll. Schol. in Epist. Jacobi. Cfr. etiam J. D. Michaelis, Introduct. au Nouveau Testament. Genève, 1822, tom. IV, chap. 25, sect. II et sect. VI. Frustra proinde non-

nulli Rationalistæ autumant, Jacobo hoc propositum fuisse, ut Pauli sententiam refutaret.

(1) N. 4. Ἄν μὴ καὶ βίον προσῴμεν τῆς πίστεως ἄξιον, τῆν ἰσχάτην δάσομεν δίχην. Tom. VII op. pag. 640.

(2) Totum hoc caput est de hoc argumento, ut evincat, juxta Apostolum vivam fidem, quæ discernitur a fide dæmonum, esse fidem, quæ per dilectionem operatur. Eadem fere habet, *Serm. LIII, cap. 10, n. 11*. Ubi inter cetera scribit S. Doctor : *Discernenda est fides nostra a fide dæmonum. Fides enim nostra mundat cor; fides*

531. Denique Novatorum systema falsitatis arguitur 1^o in eo, quod perperam supponat fidem, quæ velut organum et instrumentum spectatur ad apprehendendam justitiam Christi, non aliud esse nisi *fiduciam*; quod tamen mox ostendemus falsum esse (1). 2^o In eo, quod assumant adversarii, fidem hanc justificantem toto cœlo esse distinctam a virtute qualibet, et præsertim a charitate; quod pariter falsum est; cum ex ea ceteræ virtutes profluant, præsertim charitas, quæ ex fide germinat, ut perveniatur ad justificationem. In quo præterea adversarii sibi non cohærent, qui deinceps fatentur, ut mox videbimus, charitatem ex fide gigni, evolvi et crescere veluti plantam ex germine (2). 3^o Denique, ceteris omissis, ex eo falsum ejusmodi systema deprehenditur, quod præcidat omnia virtutum germina, omniumque operum bonorum necessitatem excludat, hominem velut truncum spectet omni libero motu et activitate carentem ante justificationem et sub gratiæ vel concupiscentiæ motione, quæ exitiosa sunt omnia et absurda, ut tum ex iis, quæ superius diximus, tum ex inferius dicendis planum fit.

DIFFICULTATES.

532. Obj. prima. Scriptura constanter fidei tribuit justificationem, ac ita fidei soli tribuit, ut quælibet opera excludat. Nam, Rom. III, 28, scribit Apostolus: *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis*; et ib. IV, 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Ex quo concludit, ib. v, 5: *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei*; et cap. V, 1: *Justificati ergo ex fide*. Hæc eadem repetit, Galat. II, 16:

autem illorum reos facit... Non est talis fides, quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorum. Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus, ubi ait: Fides, quæ per

dilectionem operatur?

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. 1, cap. 18.

(2) Cfr. Moehler, op. cit. tom. 1, pag. 178 et seqq. tum pag. 184.

Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis; et Ephes. II, 8 : *Gratia estis salvati per fidem*; et alibi passim eadem inculcat. Imo recte dixeris, hanc esse thesim, quam ostendendam assumpsit Apostolus in Epistola ad Romanos, quamque statuit cap. III, v. 24, illis verbis : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, et quam evolvit sequentibus capitibus. Ergo.

533. Resp. *Dist. antec.* Scriptura constanter tribuit justificationem fidei vivæ, quæ scilicet per charitatem operatur, *conc.*; fidei mortuæ ac sine operibus, *neg.* Sic etiam responderi posset : Fidei soli tribuit ad exclusionem eorum operum, quæ præcedunt fidem seu vocationem ad fidem, *conc.*; quæ fidem sequuntur et in fide fundantur, imo et ex ea oriuntur, *neg.* Scopus enim Apostoli in adductis locis est ostendere, justificationem esse donum Dei gratuitum, quod per opera solum naturaliter honesta, qualia Gentes jactabant, aut per opera ex sola legis cognitione sine gratia ac fide in Christum facta, in quibus gloriam suam, imo et justitiam collocabant Judæi, promereri nullatenus potuerit. Ex quo infert Apostolus, tam Judæos quam Gentiles non fuisse consecutos vocationem et justificationem nisi per solam fidem in Christum ipsis gratuito concessam; quia, si quispiam potuisset justificari ex operibus sine gratia factis, ac propterea sine fide in Christum, Christus gratis mortuus esset (1). Opera autem, quæ fidem consequuntur et ex ipsa proveniunt, non rejecisse Apostolum, omnes ejus Epistolæ testantur, in quibus exhortatur fideles, ut eis strenue sese dedant.

534. Obj. secunda. Scriptura solius fidei meminit, quoties loquitur de justificatione et remissione peccatorum. Sic Matth. IX, 22, et Luc. VII, 50 : *Fides tua te salvam fecit*; ac iterum Luc. VIII, 50 : *Crede tantum, et salva erit*; Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*; et ibid. III, 36 : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Quare Philippus, Act. VIII, 37, ab Eunucho baptismum petente solam fidem petiit : *Si credis ex toto corde, licet*. Ergo.

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. 1, cap. 19.

535. Resp. 1^o *Neg. ant.* Quia, etsi *interdum* Scriptura solius fidei mentionem injiciat, cum loquitur de justificatione; sæpe tamen etiam alias virtutes aut sacramenta commemorat, disserens de eadem justificatione. Ut Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; Tob. XII, 9 : *Eleemosyna a morte liberat*; Rom. VIII, 24 : *Spe salvi facti sumus*; Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum*; Tit. III, 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; Ephes. V, 26, loquens de Ecclesia, ait : *Mundans (eam) lavacro aquæ in verbo vitæ* (1); nec tamen quispiam jure aut soli dilectioni, aut soli spei, timori etc. justificationem adscribere possit. Cum igitur plures causæ ad eundem effectum producendum concurrunt, consuevit Scriptura modo uni modo alteri causæ illum tribuere, quin ceteras non excludens. Hinc, cum ejusmodi causæ ordine quodam inter se conjunctæ sint, ac fides reliquas omnes præcedat ac producat, restat ut concludamus, Scripturam reliquas includere, dum solius fidei meminit, seu loqui de fide viva, activa et operatrice, dum ei tribuit justificationem.

536. Resp. 2^o ad primos duos textus. *Dist.* Et in his sermo est de miraculo seu sanatione corporali, *conc.*; de justificatione; *neg.*

537. Quoad reliqua testimonia, *Dist.* Loquuntur de fide tanquam de prima dispositione, ex qua ceteræ profluunt, ut dictum est, *conc.*; tanquam de dispositione unica et adæquata, *neg.* Hinc optime S. Augustinus ad factum Philippi, quod opponitur : *Scriptura, inquit, tacuit, atque intelligenda dimisit cetera, quæ cum illo spadone baptizando Philippus egit; atque in eo, quod ait : baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatibus, tamen serie traditionis scimus implenda* (2).

538. Inst. Atqui Scripturæ loquuntur de fide sola tanquam unica et adæquata causa justificationis; ac præterea de ea loquuntur tanquam *instrumento* et *organo* ejusdem justificationis, non

(1) Καθάρσις τῆς λουτρῆς τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. In textu græco deest *vitæ*.

(2) Lib. *De Fide et oper.* cap. 9.

autem tanquam de *dispositione*, quæ ceteras includat. Atque ad primum quod attinet, 1^o nota sunt Apostoli verba, Rom. I, 16 : *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*; ergo non ex *fide in opera*, quæ nempe fides inchoet. 2^o Eodem sensu dicitur, Habacuc II, 4 : *Justus ex fide vivit*; ergo fides, et quidem sola vitam, quam inchoavit, continuat. 3^o Sane Abraham, cum dictum est de eo, Gen. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, novitius non erat, sed sanctitatis omniumque virtutum exemplar; ergo non ei aditum ad justitiam patefecit fides, ut aliunde postea justificatio compleretur. 4^o Quin potius opera, quæ fidei superveniunt, a justificatione exclusit Apostolus, qui, loquens de Abraham jam credente, Rom. IV, 2, ait : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Sed, ubi analysis justificationis instituetur, id magis patefiet. 5^o Siquidem prius est in nobis justificatio, quam charitas, quæ est bonorum operum initium, dicente Joanne, I Epist IV, 10 : *Non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Porro Deus nos diligendo justificat. Ad alterum vero quod spectat, facile evincitur, quia, si fides ac virtutes reliquæ tanquam dispositiones in homine requirentur ad justificationem, 6^o his dispositionibus tribuenda esset justificatio; attamen Concilium Arausicanum definivit : *Ut a peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat* (1).

7^o Plures reipsa quotidie justificantur absque ulla suæ voluntatis cooperatione, ut amentes, lethali morbo correpti, omnique rationis usu destituti, quibus Sacramenta administrantur. Ergo
539. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Revelatur justitia Dei ex fide inchoata et imperfecta in fidem perfectam et charitate formatam, *conc.*; ex fide in fidem sine charitate ac bonis operibus, *neg.* Hic enim posterior sensus excluditur per ea omnia, quæ superius adduximus (2).

(1) Cap. iv.

(2) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. 1, cap. 20. Postremis hisce temporibus

Protestantes passim acceperunt ad catholicam explicationem fidei vivæ seu formatæ, ut conferat ad justificatio-

540. Ad 2^m, *Dist.* Justus ex fide vivit, ex fide viva, quæ per charitatem operatur; *conc.*; ex fide mortua, nempe sine operibus, *neg.* Fides enim, quævis sit, sine operibus mortua est, ut declarat Apostolus Jacobus loc. cit. Quod autem mortuum est, alteri vitam præbere non potest. Hinc bene intelligitur, quare dixerit Apostolus Paulus, justitiam Dei esse de fide in fidem, quia scriptum est: *Justus ex fide vivit*; quatenus justitia Dei, quæ ex fide imperfecta inchoatur, in fidem perfectam, hoc est, vivam, desinit sive adducit.

541. Ad 3^m, *Dist.* Ideoque novum accepit justificatio Abrahæ incrementum, quia ex fide in fidem progressus est juxta dicta, *conc.*; secus, *neg.* Hinc Jacobus quoque hoc retulit Geneseos testimonium ad ostendendum, fidem sine operibus non justificare; et, quoniam fides per opera justificat, ideo per opera ex fide peracta in dies augetur et crescit hæc ipsa justificatio, robustior ac fecundior fit, juxta illud Prov. IV, 18: *Justorum semita quasi lux splendens, quæ procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

nem, atque ita recesserunt a primis Protestantium placitis. Sane Knappius in Commentatione VIII, quæ est *De dispari formula docendi, qua Christus, Paulus atque Jacobus de fide et factis disserentes usi sunt, item de discrimine ἔργων νόμου et ἔργων ἀγάθων*, effata S. Pauli et S. Jacobi exponit de fide, quæ sit principium bonorum operum: *Ipsius Christi auctoritate, inquit, dici sine ulla hæsitacione potest, etiam factis (ἐξ ἔργων) homines impunitatem et salutem consequi. At qualibus? Num iis, quæ a fide sejuncta sunt, aut fidem excludunt? Minime vero. Sed his, quæ a fide, Deo et Jesu Christo habita nascuntur, velut e bona arbore boni fructus; ut, si quis professus fuerit, salutem se ob pie facta (ἐξ ἔργων ἀγάθων) sperare, perinde id habendum*

sit, ac si dixisset: e fidei effectis et documentis. Nam omnes sacri Scriptores, inde usque a Mose, in hoc una mente consentiunt, omnium recte factorum, quæ quidem Deo probentur, principia a fide duci; summaque eorum, quæ illi præceperunt, hæc est: χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαριστήσαι τῷ Θεῷ, sine fide impossibile est placere Deo; item τὸ τέλος τῆς πίστεως σωτηρία ψυχῶν: Finis fidei, salus animarum, Heb. XI, 6; I Petr. I, 9, cfr. vss. 5 et 21. Quæ deinde late prosequitur. Cfr. G. Christiani Knappii scripta varii argumenti, Halis Saxonum, 1823, tom. II, pag. 419 et seqq. Hac ratione recentiores Protestantes apologiam texunt illius catholicæ doctrinæ, cujus causa eorum majores ab Ecclesia disceserunt.

542. Ad 4^m, *Dist.* Secrevit Apostolus a justificatione opera, in quæ fides vim suam non indiderit, *conc.*; opera ex fide elicita, *neg.* Placuit igitur Deo Patriarcha Abraham et per primam fidem, qua justificatus est, ac deinceps semper magis placuit, quatenus hac fide instructus nova semper opera edidit, quæ meritum suum ex fide influente in ea, consequebantur (1).

543. Ad 5^m, *Dist.* Prius est justificatio quam charitas habitualis, quam Deus nos diligendo per Spiritum Sanctum diffundit in cordibus nostris, *conc.*; prius est quam charitas actualis, cujusmodi ad justificationem una cum fide requiritur, *neg.* Utraque porro charitas gratuita est, procedens ex divina erga nos dilectione.

544. Ad 6^m, *Dist.* Tanquam conditionibus, sine quibus non tribuitur a Deo justificatio, *conc.*; tanquam meritoriis, *neg.* Concilium autem Arausicanum, ut superius ostendimus, loquitur adversus Semipelagianos, qui, excludendo gratiam prævenientem, docebant, Deum nostram expectare voluntatem.

545. Ad 7^m, *Dist.* Perpetuo amentes, qui infantibus æquiparantur, *conc.*; ceteri, *Subdist.* Absque ulla ipsorum cooperatione actuali, *conc.*; præcedente, quæ virtualiter perseveret, *neg.* Hæc enim sufficit ad justificationem, præsertim in enunciatis casibus.

546. Obj. Tertia. Patres unanimi consensu soli fidei justificationem adscribunt. S. Hilarius: *Fides*, inquit, *sola justificat* (2). S. Ambrosius, seu Auctor *Comment. in Epist. ad Rom.* in cap. III: *Sola fide justificati sunt dono Dei* (3). S. Joan. Chrysostomus: *Fidelem*, ait, *sine operibus possum ostendere et vixisse, et in regnum cælorum ivisse.... Latro tantum credidit, et vitam habuit* (4). S. Augustinus: *Quantælibet*, scribit, *fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Media-*

(1) Cfr. Bernardin. a Piconio in hunc loc. Cfr. etiam Pallavicini, *Istoria del*

Concilio di Trento, lib. viii, cap. 4, n. 18 et seq. ubi refert diversas rationes, quibus Theologi in Concilio Trid.

verba Apostoli juxta doctrinam catholicam exposuerunt.

(2) Cap. 8 in Matth. n. 6.

(3) In v. 24.

(4) *Homil. de Fide*, n. 1.

toris (1), et alibi passim. S. Leo : *Fides vera justificans impios et creans justos* (2). Denique juxta S. Bernardum ideo Christus tantum dixit : *Qui non crediderit , condemnabitur*, ut per hoc innueret : *Solam interdum fidem sufficere ad salutem* (3). Ergo.

547. Resp. *Dist. ant.* Per oppositionem ad legem seu ad opera tantum naturaliter honesta, *conc.*; per oppositionem ad reliquas dispositiones et ad opera ex fide elicita, *neg.*

548. Sane S. Hilarius fidem opponit legi; ait enim ibid. hominem fuisse ab illo peccato liberatum, *quod lex lavare non poterat ; fides enim sola justificat.*

549. Eodem sensu loquitur Ambrosiaster, spectans opera elicita absque fide.

550. S. Joan. Chrysostomus, seu potius auctor illius *Homiliae de fide* loquitur de operibus externis, quæ non sunt ejusdem necessitatis ac fides, ut patet ex subjecta materia. Latro enim credidit, speravit et dilexit. Ceterum hæc homilia spuria est.

551. S. Augustinus per citata verba, ut alibi semper, docet, veteres Sanctos non fuisse justificatos per opera legis, sed per fidem in Christum et gratiam ejus, non secus ac nos; ut constat ex ejus scopo adversus Pelagianos.

552. S. Leo loquitur de fide catholica per oppositionem ad falsas sectas hæreticorum, in quibus salus haberi nequit.

553. S. Bernardus disserit de actuali susceptione baptismi, quæ absolute interdum necessaria non est, ut liquet ex contextu, ubi ostendit, fidem cum voto baptismi in casu necessitatis actualem ejusdem perceptionem supplere posse; alibi enim aperte docet : *Nec fides sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem* (4).

(1) Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* cap. 21, n. 39.

(2) *Ep. cxxiv. cap. 4. edit. Baller.* alias lxxxiii.

(3) *Epist. seu Tract. ad Hugonem de S. Victore, de Baptismo, cap. 2. n. 8, edit. Maur.*

(4) *Serm. xxiv., in Cantica, n. 8.*

Et hic observo, neminem ex Patribus inveniri, qui constanter non doceat, necessarias esse cum fide reliquas dispositiones ad justificationem et salutem; ut patet ex iis ipsis locis in suo contextu spectatis, quæ nobis objiciuntur

PROPOSITIO II.

Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quæ Deus revelavit.

554. Hoc est de fide, ut patet ex can. XII, sess. VI, Conc. Tridentini: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.*

555. Ut autem melius intelligatur status quæstionis, animadvertendum est, 1^o Protestantes triplicem distinguere fidem, *historicam*, qua credimus vera esse quæ Deus revelavit, *miraculorum*, qua illi intelligunt facultatem miraculorum edendorum, *promissionum*, qua quis credit veras esse promissiones, quas Deus fecit de remittendis peccatis, tum in genere quoad omnes homines, qui credunt in Christum, tum in specie quoad singulos homines, credentes sibi remitti peccata, seu potius sibi esse remissa per Christum. Hanc porro fidem specialem, qua quis certo credit, sibi esse dimissa peccata, quamque fiduciam appellant, eam esse contendunt, quæ sola justificet (1).

556. Animadvertendum est, 2^o in systemate Novatorum fidem hanc seu fiduciam, quæ apprehendit misericordiam vel promissiones divinas tanquam organum et instrumentum, non esse *subjectivam* seu intrinsecam homini, nec ullam intrinsecam seu intimam relationem afferre inter hominem et Christum; sed esse solum *objectivam* et extrinsecam, alioquin esset *debilis* et *imperfecta*; quod explicat Calvinus per similitudinem *ollæ fictilis, quæ in se recondit aurum* (2). Porro nulla est intrinseca relatio

a Protestantibus. Hi enim verba detraxerunt a contextu, ut aliqua ratione evincerent, ipsos primos non fuisse ad paradoxum istud excogitandum de fide sine operibus justificante.

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. I, cap. 4.

(2) Ita Calvinus, *Instit.* lib. III, cap. 11. In quo confutat Osiandrum, qui, ut ipse loquitur, monstrum nes-

inter aurum et vas fictile; illud enim semper pretiosum est, istud semper vile. Sic Christus Jesus, apprehensus per fidem, est ipsa puritas; homo autem fidelis est impurus in mente et corde suo (1). Ex hoc patet ingens discrimen, quod intercedit inter fiduciam, qualem concipiunt Novatores ut necessariam ad justificationem, et inter spem seu fiduciam, quam præter fidem etiam Catholici necessariam agnoscunt inter ceteras dispositiones ad justificationem assequendam.

cio quod essentialis justitiæ invenit. Respondens itaque, § 7, pag. 192, ad Septimum Osiandri argumentum, ita scribit: *Quod objicit, vim justificandi non inesse fidei ex seipsa, sed quatenus Christum recipit, libenter admitto. Nam, si per se vel intrinseca, ut loquuntur, virtute justificaret fides, ut est semper debilis et imperfecta, non efficeret hoc nisi ex parte; sic manca esset justitia, quæ frustulum salutis nobis conferret... Neque tamen interea tortuosas hujus Sophistæ figuras admitto, quum dicit, fidem esse Christum; quasi vero olla fictilis sit thesaurus, quod in ea reconditum sit aurum. Neque enim diversa ratio est, quin fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretii, nos justificet, Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat... Jam expeditus est quoque nodus, quomodo intelligi debeat vocabulum fidei, ubi de justificatione agitur. Neque alia ratione sentiunt aut loquuntur Lutherani. Etenim in *Apollog.* iv, de *Justific.* § 18, pag. 71, dicitur: *Et rursus quoties nos de fide loquimur, intelligi volumus objectum, scilicet misericordiam promissam. Nam fides non ideo justificat, aut salvat, quia ipsa sit opus per se di-**

gnum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam. Sic etiam Chemnitius, *Exam. Conc. Trid.* pag. 1, et 294.

(1) Cfr. Moehler, op. cit. pag. 165. Ubi apposite ait: *Nous l'avons entendu, la foi n'est point un écoulement de l'Esprit du Christ; elle n'est point une puissance affranchissante, un principe de vie régénérant le fidèle; mais elle est à Jésus-Christ ce que le vase d'argile est au trésor. Comme le vase et le trésor ne deviennent pas une et même chose, comme l'un reste de l'argile et l'autre de l'or, de même la foi n'unit pas l'homme intimement à Jésus-Christ; de même entre le Christ et le fidèle il n'existe que des rapports purement extérieurs. Jésus-Christ est la pureté même, le chrétien est impur dans son esprit et dans son cœur; le Christ est offert à Dieu par son disciple et son disciple ne devient pas un sacrifice agréable à Dieu.* Deinde ostendit hic idem auctor, hanc rationem exponendi proprium suum systema ex ipsa natura ejusdem systematis necessario descendere. Semel enim constituto principio quod justitia sit extra nos, primum erat inferre, nonnisi extrinsece posse hominibus applicari obedientiam seu merita Salvatoris.

557. His ita constitutis, consonam esse Sacris Litteris veritatem catholicam, quam enunciavimus, sic ostendimus: Sacræ Litteræ ad justificationem requirunt firmum assensum ad ea omnia, quæ Deus revelavit; ergo. Nam, Marci cap. ult. 15, ait Christus: *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit... salvus erit*; Joan. XX, 31: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*; Rom. X, 9: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis; salvus eris*. Demum, aliis omissis, Act. VIII, 37, Eunuchus baptisma petenti respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet*; et respondens (Eunuchus), ait: *Credo, Filium Dei esse Jesum Christum*. (1) Jam vero in his omnibus ne verbum quidem occurrit de Novatorum fiducia.

558. Consonam quoque esse eandem doctrinam universæ traditioni, constat ex antiquissima consuetudine, quæ jam a primis Ecclesiæ seculis in Ecclesia universa obtinuit, exigendi a catechumenis ante baptismum professionem præcipuorum fidei nostræ articulorum, qui in symbolo Apostolico continentur (2); in quibus nullum vestigium occurrit de speciali fiducia sibi dimissorum peccatorum. Argumentum, quod ex hac constanti et universali consuetudine exurgit, nunquam non vehementer torsit hæreticorum ingenia.

559. Hinc supervacaneum putamus Patrum testimonia singillatim appellare, quæ longo agmine adducit Bellarminus (3). Certe S. Basilius docet, fidem illam ad salutem et justificationem necessariam esse, qua creduntur, quæ Deus revelavit (4); S. Cyrillus Hierosol. fidem justificantem vocat fidem dogmaticam, qua credimus Jesum esse Christum atque a mortuis resurrexisse (5);

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. vi et seqq.

(2) Cfr. quæ scripsimus in Tract. *De Trinit.* n. 104 cum notis appositis. Cfr. etiam Binghami, *Origines, sive antiquitates*, etc. Halæ, 1727, vol. IV,

lib. XI, cap. VII, § 8 et seq.

(3) *De justif.* lib. I, cap. 9.

(4) *Hom. de Fide*, n. I. opp. edit. Maur. tom. II, pag. 224.

(5) *Catech.* v, *De Fide et Symbolo*, n. X.

nec alia insedit sententia Gregorio Nazianzeno (1), S. Joan. Chrysostomo (2), S. Augustino (3), S. Fulgentio (4) aliisque omnibus, qui hanc fidei notionem ex verbis Apostoli hauserunt (cap. XI Epist. ad Hebr.), quibus describit fidem justificantem seu illam qua justus vivit: *Est autem, inquit, fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, id est, persuasio et convictio illa intellectus, qua quis assentitur iis, quæ non assequitur, eo quod mentis ipsius angustæ captum excedunt (5); quæ profecto non est illa, quam Protestantes prædicant, fiducia specialis.

560. Ratio demum commentum hoc Novatorum excludit. Specialis enim fiducia de dimissis sibi peccatis per Christum supponit et sequitur justificationem, quæ in ipsa peccatorum dimissione consistit; ergo eam nec præcedit nec producit, nisi velint adversarii effectum præcedere causam (6). In hac præterea hypothesis omnis intercluditur aditus orationi; siquidem frustra quis diceret: *Dimitte nobis debita nostra*, si fide credere deberet,

(1) *Orat. xl, in Sanctum Baptisma*, n. 51, edit. Paris. 1630, tom. 1, pag. 671 et seq.

(2) In duabus *Homiliis de Symbolo*, edit. Chevallon, Paris. 1536, tom. v, fol. 205 et seqq.

(3) *Enchirid.* capp. II, V, VII, VIII, etc.; tum in lib. *De Fide et Symbolo*, qui totus est de hoc argumento; cfr. ejusdem libri conclusio, n. 24.

(4) Lib. *De Fide, ad Petrum*, qui totus pariter de eodem argumento est.

(5) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 8, cum vindiciis Erbermanni adversus Amesium.

(6) Hoc ipsum plures Protestantes animadverterunt; hinc confugerunt ad distinguendos duos modos, quibus peccata dimissa esse credant. Primo

quoad decretum Dei et mortem Christi ex decreto illo jam obitam; secundo vero quoad efficacem applicationem, tum ex parte Christi donantis remissionem peccatorum, tum ex parte credentium fide eam accipientium. Istorum itaque mens est, nobis donari atque applicari remissionem peccatorum, quia certa fiducia Christum amplectimur, et persuasi sumus Christum juxta Dei decretum peccata nostra morte sua delevisse atque expiasse. Alii simpliciter concedunt, peccata nobis esse dimissa, antequam credamus, et fidem justificatione posteriorem esse. Adeo strenue se implicant! Cfr. Ludov. Le Blanc, verbi divini minister, in op. *Theses Theologicæ*, Londini, 1675, *Thes. De Fidei justificantis natura*, n. LVIII et seqq.

sibi jam dimissa esse peccata; quod si hanc fidem non habet, frustra petit sibi dimitti peccata, cum nemini sine fide peccata dimitti possint. Addo, hoc commentum esse contra systema ipsorum Protestantium, juxta quod ante justificationem homo omni libertate destitutus est. Ergo.

DIFFICULTATES.

561. Obj. Soli fiduciæ adscribit Christus remissionem peccatorum, Matth, IX, 2: *Videns fidem illorum, dixit paralytico: confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*; et v. 22 ait hemorrhœissæ: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*; Luc. XVII, 19: *Fides tua te salvum fecit*. Quam fiduciam ut magis inculcaret, Marc. XI, 24, dicebat discipulis suis: *Omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis*. Quod si cetera per fiduciam obtinentur, multo magis peccatorum remissio. Hinc Paulus, Act. XIII, 38, sic Judæos alloquitur: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur... in hoc omnis, qui credit, justificabitur*. Et conceptis verbis passim fidem vocat fiduciam, ut cum, Ephes. III, 12, de Christo scribit: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus*; et Hebr. XI, 1: *Fides est sperandarum substantia rerum*, seu ut græce legitur ὑπόστασις (hypostasis) nempe *expectatio*; ex quo patet non aliud fidem esse præter expectationem misericordiæ divinæ, nec proinde consistere nisi in fiducia. Sane quoties aliquid nobis vel promissum vel oblatum est, nihil aliud requiritur ex parte nostra quam acceptatio; porro justificatio nobis a Christo promissa et oblata est. Ergo.

562. Resp. *Dist. ant.* Adscribit Christus remissionem peccatorum fiduciæ, quæ oriatur ex firmo assensu iis omnibus, quæ Deus revelavit, *conc.*; fiduciæ de demissis sibi peccatis, ut Novatores autumant, *neg.* Nisi enim quispiam pro certo habeat quidquid Deus revelavit, impossibile est ut concipiat fiduciam de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est iis omnibus, qui in ipsum credunt et condiciones adimplent ad veniam peccatorum

obtinendam necessarias. Fides enim reliquas omnes dispositiones sustentat tanquam initium, radix et fundamentum. Hæc propterea fiducia, quam Christus requirit, habet pro objecto veritatem divinarum promissionum; ast hoc non sufficit, sed necesse præterea est ex parte subjecti, ut ab eo ponantur conditiones omnes seu dispositiones, quas Deus requirit, ut sibi in specie hæc promissiones applicentur. Deberet proinde hæc fiducia in sententia Novatorum complecti actum fidei de præstitis a se conditionibus, ut posset quis sibi blandiri de dimissis peccatis per Christum; quod absurdum est, et totum Protestantium systema evertit. Hac de causa ipsi rejecerunt omnes dispositiones velut non necessarias, imo ut prorsus inutiles ad consequendam justificationem, docentes hanc fieri per solam apprehensionem extrinsecam meritorum Christi. Quo posito, jam facile est singulis objectis testimoniis occurrere.

563. Itaque Christus ait paralytico: *Confide, id est, Pro certo tene, quod possim et velim peccata tua remittere.* Ad hemorrhoidiam: *Fides tua te salvam fecit, id est, Sanitatem obtinuisti per fidem, qua credidisti, me id potuisse præstare.* Idipsum dicatur de leproso illo, de quo, Luc. XVII, sermo est; Marci XI commendat Christus efficaciam orationis, quæ ex fiducia in Christi omnipotentia et bonitate oritur. Apostolus, Act. XIII, annunciat remissionem peccatorum credentibus in Christum et firmum assensum præbentibus iis omnibus, quæ ipse docuit. Hinc, qui in Christum credit et præstat ea, quæ ipse facienda præscripsit ad veniam peccatorum obtinendam, profecto justificatur. Ad Ephesios vero scribit, omnem spem nostram et fiduciam in Christi meritis esse collocandam; quod nemo ambigit. Ideo vero, Hebr. XI, fides dicitur, *sperandarum substantia rerum*, quia fides, qua in Deum credimus, est spei fundamentum; subdit enim: *Argumentum non apparentium.* Hinc prosequitur: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei... Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* et alia quæ sequuntur, in quibus commendatur fides Patriarcharum et reliquorum justorum, qua firmo assensu credebant Dei omnipotentia, fidelitati, veracitati; nusquam vero commendatur fiducia

de dimissis sibi peccatis per apprehensam justitiam (1). Sic eodem sensu cetera, quæ objici solent testimonia, exponi debent, cum non aliam patiantur interpretationem.

564. Ex dictis pariter responsio patet ad illud, quod postremo loco inferebatur de promissione et acceptatione; si enim promissio absoluta sit, nihil aliud certe requiritur præter acceptationem; ast, si sit conditionata, acceptatio non sufficit, sed præterea requiritur conditionis positio. In casu autem nostro, condiciones sunt dispositiones, quæ a nobis prærequiruntur. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris*, dicitur Deut. IV, 29; et Act. II, 38: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; et alibi passim (2).

ARTICULUS III.

De proprietatibus justificationis.

565. Novatores ex principio, quod fides instrumentalis, ut ipsi loquuntur, non sit nisi objectiva et exterior, nullamque interiorerem relationem producat inter hominem lapsum et Dei misericordiam ejusque promissiones, quas fidelis apprehendit, tria inferunt corollaria, quæ constituunt tres proprietates illius justificationis, quam fides operata est. Ac primo quidem hanc justificationem aiunt esse certam certitudine fidei, adeo ut quisque credere teneatur, se Deo esse charum et acceptum per justitiam imputativam Christi vel Dei (3). Secundo inferunt, hanc justificationem æqualem esse in omnibus, cum sit ipsa justitia Christi

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 11, n. 4 et seq.

(2) Cfr. Becanus, *Manuale controvers.* 1, cap. XVI, quæst. IV.

(3) Ita passim Calvinus, toto cap. 2 libri III, *Instit.* ubi inter cetera, § 16, pag. 145, scribit: *In summa, vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deum sibi propitium bene-*

volumque Patrem esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur, nisi qui, divinæ erga se benevolentia promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit. Et iterum, ibid: Fidelis non est, nisi qui, suæ salutis securitati innixus, diabolo et morti confidenter insultet.

vel Dei per fidem apprehensa et imputata. Tertio contendunt, hanc justificationem esse inamissibilem, nisi fides ipsa amittatur, juxta Lutheranos parum sibi cohærentes, vel inamissibilem absolute, juxta Reformatos seu Calvinistas.

566. Quo vero melius cognoscatur nexus harum proprietatum justificationis cum reliquis totius eorum systematis partibus, revocandum in mentem est totum negotium justificationis a Deo solo active peragi in homine, qui passivus est. Eadem porro ratione, qua Deus solus cœpit justificationem, injiciendo in hominem fidem, qua apprehenditur misericordia aut justitia Christi imputativa, pergit Deus ipse in homine justificato credere, sperare, etc. quasi principium extrinsecum (1). Cum vero hæc justitia Christi apprehensa et imputativa non tollat ab homine nec destruat peccatum originale cum suis manifestationibus seu peccatis actualibus, pergit peccatum originale se manifestare; prout se pariter signis externis manifestat justitia imputativa homini communicata per fidem, spem, dilectionem, opera bona. Hinc duæ istæ manifestationes simul in uno eodemque homine lapso et justificato consistunt, summa nempe flagitia cum summa sanctitate; flagitia, quæ hominis sunt, nec tamen imputantur ad pœnam per fidem, quæ permanet; et sanctitas, quæ ex fide nascitur in homine justificato. Pronum propterea inde fuit inferre excellentiam, æqualitatem, inamissibilitatem justitiæ; quia justitia et sanctitas ipsius Christi est, quæ est ratio, ob quam Protestantibus interdum se comparant non solum Sanctis quibuslibet, sed et Beatæ Virgini et Christo ipsi (2). Pronum præterea ipsis fuit inferre, summa flagitia nullo modo officere sanctitati (3);

(1) Cfr. Moehler, op. cit. tom. I, pag. 171 et seq.

(2) Lutherus, *Serm. de Nativ. B. V. M.*: *Omnes Christiani*, inquit, *æque magni sumus atque Mater Dei et æque Sancti ac ipsa.*

(3) Lutherus sæpe hæc inculcat; nam in lib. *De captivit. Babylon.* tom. II, fol. 284: *Ita vides*, inquit,

quam dives sit homo christianus, etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem. Ex hoc principio

cum non possint officere sanctitati aut justitiæ Christi. Inde rursum originem habet illa securitas, illa jucunditas, qua inter fornicationes, adulteria, homicidia, aliaque ejusmodi peccata lætantur Protestantes, dummodo firmi in fide persistent juxta Lutherum, vel dummodo sint electi juxta Calvinum.

Ad has igitur perniciosas justificationis proprietates evellendas, quæ omnia moralis honestatis principia subruunt, has opponimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum.

567. Duplex est propositionis pars, quarum prior est certa adversus Ambrosium Catharinum docentem, posse quempiam certum esse certitudine fidei *divinæ*, non autem *catholicæ* (1),

profluit, quod scribebat idem Lutherus, anno 1521, ad Melancthonem: *Si gratiæ prædicator es, gratiam non fictam sed veram prædica; si vera gratia est, verum non fictum peccatum fert, Deus non facit salvos fide peccatores.*

Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi; peccandum est, quamdiu hic sumus. Vita hæc non est habitatio justitiæ; sed expectamus, ait Petrus, cælos novos et terram novam, in quibus justitia habitat.

Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccata mundi; ab hoc non evellet nos peccatum, etiamsi millies, millies uno die fornicemur aut occidamus. Putas

tam parvum esse pretium et redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno? Hac ratione quærebat Lutherus conscientiæ suæ stimulos angoresque temperare. Diu enim noctuque omnibus indulgebat vitiis. Hinc receptum illud proverbium apud primos Protestantes, qui vellent diem flagitiose transigere: *Hodie lutheranice vivamus.* Cfr. Moehler, op. cit. pag. 165 et seqq. Attamen hi ipsi audebant non solum se Christo sanctitate comparare, verum etiam se eidem æquare!

(1) Ambrosius Catharinus hoc posuit discrimen inter fidem catholicam et fidem divinam, quod illa proposita sit universæ Ecclesiæ, hæc vero non item, cum sit propria cujusque in particulari. Verum in eo deceptus est, quod putarit, posse fidei divinæ subesse falsum,

se esse justificatum; negat tamen hic auctor hominem per ejusmodi fidem justificari, in quo distat ab hæresi Novatorum. Posterior pars est dogmatica seu de fide adversus recensitos Lutheri et Calvinii errores.

568. Diximus, priorem partem propositionis esse certam, non solum quia communi consensu a Theologis traditur, sed præterea quia aperte declaratur ab ipso Concilio Tridentino, sess. VI, cap. IX, his verbis: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Eadem ferme repetit cap. XVI (1).

569. Diximus, alteram partem esse de fide, his siquidem canonibus contrarius Novatorum error profligatus fuit ab eadem Synodo, ibid. can. nempe XIII: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit;* et can. XIV: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.*

570. Dum vero excludimus certitudinem fidei sive divinæ sive catholicæ de adepta justificatione, non removemus tamen eam, quam vocant certitudinem *moralem*, vel si accuratius loqui velimus, *conjecturalem*; quæ nititur bono conscientiæ testimonio, ex quo pax et conscientiæ tranquillitas oritur, qua justii passim fruuntur.

571. Sed ut jam accedamus ad assertæ propositionis veritatem

non autem fidei catholicæ. Ast quænam fides divina ejusmodi esset, cui posset falsum subesse? Cfr. quæ adversus hanc distinctionem scribit Bellar-

minus, *De justif.* lib. III, cap. 3, § 11 et seqq.

(1) Cfr. Bellarm. ibid. cap. 4.

adstruendam, quoniam posterior ejus pars a priori tanquam a suo principio ac fundamento pendet, utramque propterea simul sequenti argumento perstringimus: Nemo tenetur fide divina credere se esse justificatum, si nemo fide divina absque speciali revelatione certus esse potest se justificatum esse. Jam vero neminem, excepto casu specialis revelationis, certum esse posse de propria justificatione, sic in primis ex Sacris Litteris ostendimus:

572. Eccles. IX, 1, dicitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Prov. XX, 9, interrogat Sapiens: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Hinc de se aperte profitetur Apostolus, I Cor. IV, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Ergo.

573. Eamdem veritatem Patres unanimiter confirmant, quorum testimonia collegit Bellarminus (1). Nos, ne nimii simus, unum ex his proferimus Augustinum, quem unice æstimare videntur adversarii. Porro ita scribit S. Doctor (ad verba illa Psalmi XLI: *Ad me ipsum anima mea turbata est*): *Novi, quia justitia Dei mei manet; utrum mea maneat, nescio* (2). Et in libro *De perfect. justit.*: *Quantalibet, inquit, justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum* (3). Sæpius alibi hæc ipsa ingeminat. Talis præterea est sensus Sanctorum omnium; qui, quo ulterius in perfectione ac sanctitate progrediuntur, eo magis timent, ac humiliores ex conscientia propriæ imperfectionis fiunt; quod in ipsorum historiis nullibi non est videre.

574. Ratio in promptu est. Etenim nemo fide divina credere potest, multoque minus tenetur, nisi quod a Deo revelatum est; atqui nusquam revelatum est, talem vel talem in specie præ se tulisse dispositiones necessarias ad justificationem asse-

(1) Ibid. cap. 7.

(2) N. 12.

(3) Cap. xv, n. 33.

quendam, vel eam fuisse assecutum. Ergo. Error autem hæreticorum inde oritur, quod perperam doceant, opus justificationis solius Dei esse absque hominis cooperatione; quam doctrinam superius confutavimus. Verum, in hac quoque erronea hypothesi, quis, seclusa revelatione, certo nosse poterit, sibi collatam esse fidem instrumentalem ad percipiendam justitiam Christi aut Dei? Nonne et ipsi Protestantes requirunt opera ut signa adeptæ justificationis? Nihil porro his incertius est; cum sæpe aut illusioni homines sint obnoxii aut ex principio naturali operentur. Ergo.

DIFFICULTATES.

575. Obj. prima. Textus Eccles. non evincit, incertam esse justitiam nostram; 1^o si enim ad verbum reddatur, ita se habet: *Et amorem et odium non sciens homo, omnia ante eos* (1). 2^o Quæ quidem evincunt, hominem agnoscere non posse, acceptum se Deo esse ex eventis externis; *eo quod universa æque eveniant justo et impio*, ut immediate prosequitur Ecclesiastes; 3^o alioquin nec peccator certo scire posset, se dignum odio esse. Ergo.

576. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. Resp. textum hebraicum sententiæ nostræ non obesse; cum sermo sit de amore et odio coram Deo. Ceterum versio vulgata, quæ est S. Hieronymi, ac proinde antiquissima, refert eleganter simul ac fideliter sensum Ecclesiastæ (2). Nec pariter 2^o obstant verba immediate sequentia; nam, si de notitia loqueretur Salomon, quæ haberi tantum potest ex eventibus externis, non autem absolute, non adjecisset: *Omnia ante eos, seu omnia in futurum servantur incerta*; cum hanc cognitionem homo sibi posset comparare etiam in præsentiarum ex internis suis affectionibus. 3^o Nec demum officit, quod postremo loco additur, cum de *solis justis* loquatur Ecclesiastes (3).

(1) נִסְתָּאֲהֵבָה גַּם־שֹׂנְאָהָ אִין
יִדַע הָאָדָם הַכֹּל לִפְנֵיהֶם.

syriaca, arabica, etc. eundem sensum referunt, ut videre est in *Bibliis polyglottis Walton.*

(2) Omnes antiquæ versiones, græca,

(3) Cfr. Bellarm. loc. cit.

577. Obj. secunda. Assertam certitudinem aperte adstruit non uno in loco Apostolus Paulus, imo instar principii sumit. Nam, Rom. VIII, 38 : *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* 2º Cujus rei rationem tradit, ibid. v. 16, dicens : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; jam vero testimonium Spiritus Sancti certum est ac infallibile. 3º Quapropter, huic principio innixus, sic, II Cor. XIII, 5, provocabat fideles : *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis*; 4º ac rursum, I Cor. II, 12 : *Accepimus, inquit, Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* Quorsum vero hæc nisi exploratam habuisset ejusmodi certitudinem? 5º Fidenter propterea de semetipso, II Cor. I, 12, affirmat : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Neque 6º ab Apostolo Paulo dissentit S. Joannes, qui I Epist. V, 13, hæc habet : *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Eadem igitur certitudine cognoscere possumus Christum esse in nobis, ac certi sumus de fide nostra; atqui omnimodam certitudinem fidei nostræ habere possumus. Quare ibid. 19, prosequitur : *Scimus, quoniam ex Deo sumus*; et cap. III, 14 : *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; et Apoc. II, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum... quod nemo scit, nisi qui accipit.* Ergo.

578. Resp. Neg. ant. Ad 1^m prob. Dist. Certus sum, id est, Dei charitate et beneficiis auctus, ejusque ope innixus, *confido*, nulla, sive prospera sive adversa, nullamque creaturam, sive in cælis sive in terra, me separaturam a Deo, *conc.*; certus sum ex assecuta justificatione, *neg.* Hic sensus prorsus alienus est a mente Apostoli et contrarius omni exegeseos regulæ. Hic enim S. Paulus, commemoratis tum immensa Charitate Dei erga homines, tum beneficiis, quibus a Christo iidem cumulati sunt, divino quodam impetu abreptus, exclamat, se, divina ope fretum, certum seu persuasum habere, nihil esse tam potens, quod valeat

ipsum avellere a Dei dilectione ; eo ferme sensu , quo jam in ea verba Psalmista proruperat : *Ego dixi in abundantia mea : non movebor in æternum* (1). Ex quo patet , hic magnificari in Deum fiduciam in posterum , arguendo ex præteritis (2). Unde igitur certitudo et securitas Protestantium de assecuta justificatione ?

579. Ad 2^m, *Dist.* Certum est et infallibile Spiritus S. testimonium in se , *conc.* ; respectu nostri , *neg.* Quatenus enim nobis exhibetur , non est nisi conjecturaliter et moraliter certum ; eo quod certi non simus , utrum affectus , quos experimus , a Spiritu Sancto procedant , an a malo spiritu transfigurante interdum se in Angelum lucis (3).

580. Ad 3^m, *Dist.* Ita ut hæc tentatio ac probatio habeat pro

(1) Ps. **xxix**, 7.

(2) Cfr. Bernard. a Piconio in hunc loc. Sed juverit hanc interpretationem confirmare auctoritate hominis protestantis et rationalistæ. Sic igitur in v. 35 hujus capituli scribit Georg. Rosenmüller : *Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ, potest significare eum amorem , quo Christus nos complectitur , vel etiam amorem eum , quem nos erga Christum habemus. Plurimi interpretes priorem significationem præferunt ; quia de beneficiis Dei in fideles collatis, atque de eorum felicitate fit sermo. Tum sensus igitur erit : Quis nobis possit eripere amorem , quo Christus nos complectitur ? vel privare nos benevolentia et amore Christi ? Quidquid adversi nobis eveniat , nos nihilominus firmiter erimus persuasi , nos a Christo amari. Si ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ est pietas in Christum , tum sensus est : Quis infringat , tollat nostrum amorem in Christum ? Quis nos permoveat , ut deserenda religione rursus excidamus hoc tanto Dei Christique amore ? Hæc interpre-*

tatio præferenda esse videtur. Non enim dicit Apostolus : Quis Christum abstrahat ab amore erga nos ? Sed : Quis nos abstrahat ab amore erga Christum ? Post tot actanta beneficia debemus eum constanter amare. Demum concludit v. 39. juxta sensum Apostoli : Nihil igitur in rerum natura δύνησεται... κερὶ ἡμῶν, nos poterit abstrahere ab illo amore erga Deum , qui in nobis inest , propter Christum Jesum Dominum nostrum , qui oritur e beneficiis , quæ Deus nobis propter et per Christum ejusque doctrinam tribuit ac destinavit.

(3) Idem author ita refert sensum Apostoli , ad hunc v. 16 : *Ipse ille sensus et animus animum nostrum convincit nos esse Dei filios. Αὐτὸ τὸ πνεῦμα scilicet πίστεως, animus ille et sentiendi agendique ratio liberalior , qua non amplius timore servili regimur , sed ex amore Dei et plena fiducia recte agimus , nobis est quasi testimonii loco , nos esse filios Dei. Qua posita interpretatione concidit omnis difficultas.*

objecto fidem miraculorum operatricem, *conc.*; fidem theologiam, vel *neg.* vel *subdist.* charitate formatam, et quidem in coetu ipso fidelium, *conc.*; solam fidem in singulis fidelibus seorsim sumptis, *neg.* Ut enim patet ex contextu, Apostolus vult ostendere ex dono miraculorum, quod tunc temporis commune erat in Ecclesiis, Christum esse cum ipsis, quibus prædicaverat; ex quo infert, se verum fuisse Jesu Christi Apostolum. Et hæc est etiam expositio S. Joannis Chrysostomi (1). Nihil propterea hic locus commune habet cum fide Protestantium.

581. Ad 4^m, *Dist.* Ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, id est, beneficia, quæ per Christi mysteria toti humano generi totique Ecclesiæ collata sunt, *conc.*; quæ collata sunt singulis individuis per fidem illam specialem, quam adstruunt adversarii, *neg.* Hunc sensum pariter series orationis postulat (2).

582. Ad 5^m, *Dist.* Quod sincere in ministerio suo se gesserit, *conc.*; quod certitudinem habeat suæ justificationis, de qua hic non loquitur, *neg.*

583. Ad 6^m, *Dist. min.* Omnimodam certitudinem habere possumus fidei nostræ theoreticæ seu speculativæ, *conc.*; practicæ seu ejus, quæ per charitatem vivit et operatur, *neg.*

584. Reliqua duo testimonia respiciunt universum fidelium coetum, non autem singula individua, nec sine dilectionis apposita conditione.

585. Textus denique Apocalypseos est de interna quadam animi suavitate, de qua supra in resp. ad 2^m.

586. Obj. tertia. Patres tam græci quam latini in eo conveniunt, quod affirmant 1^o, animam certam esse de dimissis sibi peccatis, ut S. Basilius et S. Gregorius Nazianz.; 2^o, testimonium Spiritus Sancti omnem tollere a nobis ambiguitatem, an simus filii Dei, ut S. Joan. Chrysostomus et S. Cyrillus Alex.; 3^o nullum in nobis locum esse anxietatibus et sollicitudinibus, ut S. Cyprianus et S. Hilarius; 4^o certum esse, qui Christo adhæret et spiritualis est, de sua salute, ut S. Ambrosius et S. Hierony-

(1) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc. ipse expositor in allatos locos.

(2) Cfr. pro his etiam textibus hic

mus (1). 5^o Adhortantur nos, ut Deo gratias ageamus ob acceptam justificationem, ut S. Augustinus passim, qui præterea docet, nos non dicere: *Dimitte nobis peccata nostra, quæ remissa credimus in baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus* (2). Quibus verbis et illud insinuat S. Doctor, nos certitudinem adipisci de nostra justificatione ex efficacia Sacramentorum, quæ sunt totidem ejusdem pignora et sigilla. 6^o Demum ratio id ipsum suadet; alioquin in perpetua fluctuatione et anxietate versari deberemus, cum tamen dicat Apostolus: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum* (3). Ergo.

587. Resp. *Neg.* Cum nemo sit inter Patres adductos, qui loquatur de certitudine fidei, quam adstruunt Novatores et Catharinus cum illis; sed de certitudine tantum conjecturali aut morali disserunt, qualis ex testimonio propriæ conscientiæ haberi potest aut ex virtute spei christianæ, quæ certum ac immobile habet fundamentum in Dei promissis, dummodo nihil desit ex parte nostra. Itaque singillatim

588. Resp. ad 1^m, *Dist.* Ex parte Dei, *conc.*; ex parte nostra, *subdist.* Est anima certa certitudine conjecturali ac morali, *conc.*; certitudine fidei, *neg.* De hac enim nec verbum habent; sed de ea, quæ oritur ex affectu in Deum et ex odio peccati, nempe supposita conditione ex parte nostra hi Patres loquuntur.

589. Ad 2^m, *Dist.* Generatim, *conc.*; in particulari, *subdist.* Adimpleta conditione, quam requirunt ac supponunt, *conc.*; absolute, *neg.*

590. Ad 3^m, *Dist.* Quæ se teneat ex parte divinarum promissionum, *conc.*; quæ se teneat ex parte nostra, *subdist.* Ex quadam certitudine experimentalis et conjecturalis, *conc.*; omnimoda et absoluta, *neg.* Vult enim S. Cyprianus pares atque idoneos

(1) S. Ambros. *Sacrament.* lib. v, cap. 2; *Serm.* v; S. Hieronym. *Comment.* in cap. vi Ep. ad Galat.

(2) *Tract.* in Ps. LXXXVIII; tum *Serm.* XXVIII, de *Verbis Domini*; *Tract.* XII in *Joan.* etc. Hæc porro

tum S. Augustini tum ceterorum Patrum testimonia cfr. apud Bellarm. *De justific.* lib. III, cap. 10.

(3) Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εὐρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν. Ad Rom. v, 1.

reddere fideles ad fortiter quævis pro Deo superanda atque ad contemnendum nimium mortis metum. S. Hilarius loquitur de fide in resurrectione corporum, quæ utique certa esse debet.

591. Ad 4^m, *Dist.* Si certi sint certitudine fidei, se vera charitate Christo adhærescere ac spirituales esse, *conc.*; secus, *neg.* Ut per se constat.

592. Ad 5^m, *Dist.* Quam, adhibita morali diligentia in dispositionibus necessario afferendis, confidimus nos esse assecutos, *conc.*; quam certitudine fidei novimus obtinuisse, *neg.* Etenim S. Augustinus alloquitur loc. cit. neophytos; et ex præsumptione, ut vocant, quod ii omnes necessarias attulerint dispositiones ad baptismum cum fructu suscipiendum, certiores eos facit de obtenta justificatione. Prout et nos præstamus quoad pœnitentes, quos apte dispositos judicamus, cum ad pœnitentiæ sacramentum accedunt. Hinc sacramenta nos etiam efficacia per se esse credimus, ita ut gratiam ex *opere operato* producant; attamen, si sermo sit de adultis, in rite tantum dispositis ea gratiam conferre dicimus (1).

593. Ad 6^m, *Neg.* Ad hoc enim, ut optatam pacem habeamus, satis est, ut bono conscientiae utamur testimonio, quod ex recte factis exurgit, juxta illud Joan. III, 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum.* Quævis alia pax quærat, falsa erit ac perniciosa. Nunc addo, longe melius conscientiae securitati ac tranquillitati prospicere doctrinam catholicam, quam systema Lutheranorum aut Calvinistarum. Cum enim in systemate Lutheranorum fides imminui ac amitti possit, hoc ipso statim fidelis laceratur atrocibus conscientiae morsibus; in hypothesis autem Calvinistarum, cum fides propria tantum electorum sit, illico homines dubitationum fluctibus agitantur, cum quispiam jure anceps esse debeat, utrum ipse in electorum numero sit, an in censu reproborum (2). Quare vel ipsi refor-

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit., ubi singulorum Patrum testimonia accurate discutit.

§ 16, pronunciaverat iterum atque iterum, non esse fidelem eum, qui non sit prasuasus Deum sibi propitium, eum qui securitati salutis suæ non sit innixus,

(2) Calvinus, qui *Instit.* lib. III,

mationis auctores seu *emendatores Sacrorum*, ut vocant, teterimis angustiis vexati fuere (1), etsi mendacem jucunditatem ceteris polliciti sint.

PROPOSITIO II.

Accepta justitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera, non est propterea in omnibus æqualis.

594. Hoc est de fide, ut constat ex can. XXIV, Conc. Trid. *De justific.* his verbis concepto: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendi causam; anath. sit.*

§ 17, turpiter sibi contradicit. Sic enim sibi proponit objectionem: *Atqui (dicit quispiam) longe aliud experiuntur fideles, qui, in recognoscenda erga se Dei gratia, non modo inquietudine tentantur (quod sæpe illis contingit), sed gravissimis etiam terroribus quæstunt, tanta est ad deturbandas eorum mentes tentationum vehementia.* Respondet autem: *Nos certe, dum fidem docemus esse debere certam ac securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione, nec securitatem, quæ nulla sollicitudine impetatur; quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia.* Hoc vero prosequitur in toto capite; ac modo certitudinem, modo fluctuationem commemorat. Id est, fluctuat ipsemet inter hæreticum dogma suum et dictamen practicum conscientie, quod idem dogma evertit.

(1) Quid in se expertus sit Calvinus, vel ex ipsis, quæ modo attulimus,

verbis satis constat. Quid in se senserit Lutherus, inter alia ostendunt, quæ in suis *Colloquiis familiaribus* ipse scribit. Ex quibus aliqua hic subjicimus juxta versionem gallicam operis. Cl. Moehler: *J'ai tout cru, inquit, sur la foi du Pape et des moines; mais à présent ce que dit Jésus-Christ, qui certes ne ment point, je ne le crois, je ne puis le croire assez fermement. C'est là une chose fâcheuse; n'en parlons plus jusqu'à l'autre vie... l'esprit est prompt et la chair est faible, dit J.-C. en parlant de lui-même. S. Paul dit aussi: l'esprit voudrait se donner entièrement à Dieu, aller à lui dans la foi et l'obéissance; mais la raison, la chair et les sens résistent; ils ne veulent, ni ne peuvent obéir. Aussi Dieu, notre-Seigneur, a-t-il patience avec nous, il n'éteint pas la mèche encore fumante; car les fidèles ont seulement les prémices de l'esprit, mais non la dîme et la perfection.— Comme quelqu'un demandait*

595. Permiseri nequit Novatorum error, quem impugnamus, cum errore Joviniani, contendentis, virtutes omnes pares esse perinde ac vitia, juxta Stoïcorum placita (1). Novatores enim nec pares virtutes faciunt, nec paria vitia; imo sentiunt, quempiam posse majori aut minori virtute pollere aut vitiis plus minusve sordescere. In eo igitur versatur hæretica Novatorum, quam impugnamus, doctrina, quod ipsi asserant, justitiam formalem, qua justificamur, esse ipsam justitiam Christi nobis extrinsece imputatam. Cum igitur hæc justitia Christi sit prorsus immutabilis, incrementi ullius aut decrementi incapax, fit ut eadem in omnibus prorsus æquali ratione seu mensura inveniat. Præterea, cum doceant, nullas dispositiones ad eam apprehendendam, præter fidem, requiri, consequitur, bona opera, quæ inter dispositiones a nobis recensentur, nullam vim in justificationem exercere, sive ut illam adipiscamur, sive ut illam jam adeptam conservemus aut augeamus. Demum, cum in hoc systemate bona opera non sint nisi signa et fructus adeptæ justificationis, nec quidpiam conferant ad salutem, opera vero mala propter fidem non imputentur ad pœnam, inferunt, hæc saluti minime nocere. Atque hæc animadvertenda hic erant, tum ad intelligentiam canonis Tridentini, tum ad certiores systematis Novatorum cognitionem. Perspicue enim ex dictis colligitur, hunc errorem esse merum corollarium constituti principii de justitia externa imputativa,

pourquoi Dieu ne nous donne pas une connaissance parfaite? Le docteur Martin Luther répondit : Si un mortel pouvait croire véritablement, il ne pourrait de joie ni boire, ni manger, ni faire quoique ce soit. — Un jour on chantait à la table du Dr. Martin Luther ces paroles du prophète Osée : Hæc dicit Dominus. Alors le docteur Luther dit au docteur Jonas : Aussi peu que vous croyez que ce chant soit beau, aussi peu je crois assez fermement que la théologie soit vraie. J'aime tendrement ma femme, je l'aime plus

que moi-même ; oui, n'en doutez pas, je mourrais volontiers pour elle, et pour ma pauvre petite enfant. J'aime tendrement Jésus-Christ qui, par son sang, m'a délivré de la puissance et de la tyrannie du démon ; mais ma foi devrait être beaucoup plus grande et beaucoup plus vive. Ah ! Seigneur, n'entrez pas en jugement avec votre serviteur, etc. (Symbol. tom. I, pag. 172 et suiv.). Talis erat securitas et tranquillitas, qua isti fruebantur !

(1) Cfr. S. Hieronym. *Cont. Jovin.* lib. II.

adeoque præoccupatum ac eversum esse in propositione, qua ostendimus, justitiam seu gratiam sanctificantem, per quam formaliter justificamur, internam esse seu nobis inhærentem. Ea proinde, quæ hic adducemus, dum directe probant veritatem assertæ propositionis, indirecte confirmant magis ac magis principium catholicum de causa formali justificationis.

596. Sic igitur breviter evincimus, quod proposuimus: Sacræ Litteræ 1^o exhibent nobis justos proficientes in sanctitate. Etenim, Prov. IV, 18, legitur: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.* II Corinth. IX, 10: *Deus auget, inquit Paulus, incrementa frugum justitiæ vestræ.* Demum, Apocal. XXII, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc.* Ergo, si justorum sanctitas et justitia augetur et crescit ita, ut justii in adepta justitia ulterius semper progredi possint, evidens est, eam non esse in omnibus æqualem. 2^o Huc pariter referuntur, quæ de charitate eadem Sacræ Litteræ testantur. Charitas siquidem aut identificatur cum justitia, aut saltem ab ea inseparabilis est; porro Scripturæ constanter docent, charitatem in diverso gradu in hominibus justis reperiri. Sic Joan. XXI, 15, Christus Petrum interrogat: *Diligis me plus his?* Ac rursus, ibid. XV, 13, dicitur: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* et I Joan. IV, 18: *Perfecta charitas foras mittit timorem;* et alibi passim (1).

597. Huc accedunt omnia illa Scripturarum loca, quæ ostendunt, varietatem dari præmiorum et coronarum; quæ quidem præmiorum diversa distributio varium meritorum gradum supponit, ideoque inæqualitatem justitiæ; hæc autem suo loco addaximus (2).

598. Nec alia est Sanctorum Patrum doctrina. Ceteris omis-
sis, S. Augustinus, *Serm. de Verbis Apostoli, XVI, n. 5: Justificati, inquit, sumus; sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit.* Et, *Epist. CLXVII, n. 13, ad Hieronymum: Induti*

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. III, cap. 15.

(2) Tract. *De Deo Creat.* n. 620 et seqq.

sunt sancti justitia, alius magis, alius minus (1). Demum, Tract. VI, in Joan. n. 8: Ipsi, scribit, Sancti in Ecclesia... sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.

599. His postremis Augustini verbis congruit ratio theologica, quam adducit S. Thomas, scribens: *Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum (2).*

Difficultates, quæ hic urgeri possent, jam præoccupatæ sunt in propositione, qua adstruximus, causam formalem justificationis esse nobis intrinsicam et inhærentem.

PROPOSITIO III.

Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale.

600. Est hæc propositio de fide. Dogma enim hoc catholicum sanxit eadem Tridentina Synodus, sess. VI, can. XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum... anathema sit.*

601. Ferit hic canon peculiarem errorem Calvinistarum, qui, cum statuerint, impios justificari per solam fidem, quæ tanquam causa instrumentalis apprehendit Christi justitiam absque ulla præcedenti dispositione, intulerunt, nullo peccato posse eandem justitiam amitti. Peccata enim, quæ justificationem subsequuntur, in istorum hypothesis non amplius ad pœnam imputantur; hinc semel justus, quamvis enormia quæque scelera patret, non ideo tamen macula aliqua se inquinat. Hoc tamen privilegium non est proprium nisi electorum, qui soli justus esse possunt (3). Dixi,

(1) Cfr. in eandem epist. n. 15.

(2) 1, 2, q. 112, a. 4.

(3) Nam juxta Calvinum soli electi

gratiæ divinæ fiunt compotes, et vere credunt, Deumque soli timent. Hinc isti perire nequeunt, nec a fide deficere.

esse *peculiarem errorem Calvinistarum*; nam Lutherani, ut alias animadvertimus, parum sibi constiterunt, cum ex una parte statuerent, fidem justificantem independentem esse a dispositionibus impij, ac proinde a solo Deo sine humana cooperatione produci seu in hominem immitti, ex altera vero docerent, fidem amitti posse per infidelitatem, qua amissa, ipsa amittitur justificatio, et his fere ex improvise statim peccata denuo imputari ad pœnam (1), ac propterea subjici æternæ damnationi, nisi iterum per fidem justitiam amissam apprehendant (2). Quare Lutherani dimidiato impeccabilitatis seu potius immunitatis privilegio fruuntur.

602. Absurdam porro ac impiam hanc Novatorum theoriam plane evellunt Sacræ Litteræ. Hæ siquidem perpetuo admonent justos, ne a justitia excidant, declarant, illico reos se constituere eos omnes, qui post adeptam justitiam novo se polluunt peccato; ac demum plures justos exhibent sive reprobos sive prædestinatos gravissimis sceleribus coinquinos ac Dei inimicos effectos.

Sic enim inter cetera scribit, *Instit.* lib. III, cap. 24, § 6: Quos nominis sui cognitione illuminatos in Ecclesiæ suæ sinum Christus asciscit, eos dicitur in fidem tutelamque suam recipere. Quoscumque autem recipit, ei a Patre commissi esse dicuntur ac concrediti, ut in vitam æternam custodiantur. Quid nobis volumus? Clamat alta voce Christus, quotquot Pater salvos esse velit, eos sibi in protectionem tradidisse. Et § 7: Nec inficior, quin (reprobi) habeant vocationis similia cum electis signa; sed illud certum electionis stabilimentum, quod fideles a verbo Evangelii petere jubeo, illis minime concedo. Quod et prosequitur § 8, ubi addit: Hoc membrum, fateor, intelligendum de iis, qui fidei professione in Ecclesiam ingrediuntur, sed Christi sanctifica-

tione nequaquam induiti. Talia Ecclesiæ suæ dehonestamenta et velut *καρκινώματα* non sustinebit perpetuo Deus; sed prout meretur eorum turpitudine, extra projiciet.

(1) Cfr. Mochler, *Symbolique*, § 20.

(2) Lutherus propterea, *Disput.* tom. I, p. 523, aiebat: Si in fide fieri posset adulterium, peccatum non esset. Melancthon, eidem principio in-nixus, docebat, *Loc. Theol.* pag. 92, nihil homini fideli nocere posse, dummodo firmas teneat promissiones, quas fide apprehendit: *Qualiacumque sint opera, comedere, bibere, laborare manu, docere, addo etiam, ut sint palam peccata*, etc. Attamen his ducibus tot miseri homines negotium omnium maximum, cujusmodi est æterna salus, commiserunt!

603. Primum patet ex Christi verbis, Matth. XXVI, 41 : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem*; ex verbis Apostoli, I Cor. X, 12 : *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; et Rom. XI, 20 : *Tu fide stas : noli altum sapere, sed time*; et alibi passim.

604. Alterum habetur apud Ezech. XXXIII, 12 : *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit*; et v. 13 : *Etiamsi dixerō justo, quod vita vivat, et, confisus in justitia sua, fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur*.

605. Tertium denique constat ex Angelis malis, Adam, Saule, Davide, Salomone, Petro, Juda aliisque, qui omnes, cum prius essent justī, graviter deliquerunt, Scriptura teste; quorum alii in peccatis mortui sunt, alii autem jugibus lacrymis suas culpas eluerunt (1).

606. Ex Patribus unum afferimus Augustinum, qui veritatem catholicam, quam adstruimus, adinstar principii ab omnibus admissi supponit; ut cum, lib. *De corrept. et gratia*, totus in eo est, ut evincat hominem, *si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabatur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio* (2); et alibi sæpe. Confirmatur vero ex SS. Cypriano, Ambrosio, Paciano, Augustino ceterisque omnibus, qui operam navarunt in defendenda catholica doctrina, circa facultatem Ecclesiæ a Christo datam remittendi quævis peccata post baptismum patrata, adversus Montanistas et Novatianos. Perperam siquidem propugnassent adversus ejusmodi sectarios illam facultatem, si in Ecclesia tunc temporis obtinuisset error, quem impugnamus, de inamissibilitate justificationis.

607. Denique veritas doctrinæ catholicæ evincitur ex absurdis, quæ ex adversariorum hypothese profluunt, quæque expendit Grotius in *Discussione apologiæ Riveti : Christiani pectoris*, inquit, *est horrescere ea dogmata, quæ pietati nocent, quale*

(1) Cfr. Bellarm. *De justific.*, lib. III,

cap. 14.

(2) Cfr. præsertim cap. VI. et seqq.

illud est a nonnullis defensum : Pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra. Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari, quasi ipse eam præstisset; certo se esse perseveraturum; certe et absolute salutem sibi destinatum; peccata fidelium, utut magna et gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Jesum Christum; posse eos cadere in crimen majestatis, in homicidium, adulterium, etc. et nihilominus eos pro certo habere, se nunquam totaliter ac finaliter excidere posse ex paterna Dei charitate erga se (1). Hanc eandem pseudo-reformatorum doctrinam non minus

(1) Pag. 217. Huc etiam spectant quæ scribit Leibnitzius in *System. Theologico*, pag. 48: *Non tamen putandum est, divinam salvandi homines voluntatem et meritum Christi, vel saltem efficacem gratiam pertinere ad solos electos, quibus scilicet summa illa datur gratia finalis beatæ perseverationis. Nam Christus quidem pro omnibus mortuus est; efficax autem gratia et vera conversio ac regeneratio per Spiritum Dei, qua in filiorum numerum recipimur, multis concedi potest, qui non sunt perseveraturi; nec video, quid viros quosdam doctos ad grandia illa paradoxa defendenda impulerit, a quorum interiore sensu et consequentiis ipsi abhorrebant, ut scilicet, Deo leges præfigentes et divinæ gratiæ æconomiam pro arbitrio circumscribentes, putarent, eum, qui perseveraturus non est, gratiam et Spiritum Sanctum revera non accipere, quidquid agat aut utcumque pius ac bene animatus sibi aliisque videatur; contra vero qui electus et finalem pœnitentiam vere*

actus est, eum acceptam a Deo gratiam et Spiritus Sancti inhabitationem non amittere, utcumque inter adulteria et homicidia vitam agat. Quæ quidem dogmata nova et offensionis plena, etiamsi excusari possent, non video tamen quo fundamento nitantur, aut quem usum habeant ad ædificationem. Si quæ enim alicubi locutiones occurrunt, quæ sententiæ tam crudæ favere videntur, præstat eas aliarum multo plurium comparatione mollire, quam rigorosa interpretatione exasperare, et Deo dignius videtur gratiam dare temporalem et revocabilem, sed conspicuam, quam perpetuam et inamissibilem; sed plane obrutam et cum pessimo animæ habitu summisque sceleribus consistentem. Sed hi auctores non animadverterunt, doctrinam hanc, quam ipsi maxime execrantur, necessario fluere ex principio fundamentalis ipsius doctrinæ Reformatorum circa justificationem extrinsecam et objectivam.

valide alii non pauci ex ipsis sectariis aggressi sunt (1). Talia profecto neque Christus, neque Apostoli docuerunt.

DIFFICULTATES.

608. Obj. prima. Scriptura passim testatur, charitatem seu gratiam sanctificantem inextinguibilem esse, insuperabilem ac nunquam amittendam, ideoque nec fidem; cum sine fide charitas esse non possit. Sic, Cant. VIII, 7: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Et Christus, Joan. IV, 13: *Qui biberit, inquit, ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed..... fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (2). Quare Apostolus, Rom. VIII, 38: *Certus sum, scribit, quia neque mors, neque vita... poterit nos separare a charitate Dei;* et, I Cor. XIII, 8: *Charitas nunquam excidit.* Ergo.

609. Resp. *Dist. antec. In se, conc.;* in nobis, *Subdist.* Nisi velimus, *conc.;* secus, *neg.* Et hinc sensus patet eorum testimoniorum, quæ adducta sunt. Alioquin non diceretur in

(1) Anabaptistæ vehementer insurrexerunt adversus doctrinam Lutheranam de justificatione. Eam pariter respuerunt Quakeri, Methodistæ, etc. Rationalistæ vero per quamdam, ut ita loquar, reactionem adversus doctrinam primitivam Protestantium in oppositum errorem delapsi sunt. Rejecta siquidem omnis fidei et gratiæ necessitate totum salutis æternæ negotium a *solis operibus honeste factis*, id est sine fide et sine gratia unice repetunt. Sic enim scribit Wegscheider, § 155: *Prodiit (dogma de justificatione) e notionibus ævi incultioris anthropopathicis, et e studio impugnandi atque refutandi opiniones certas, quæ antiquandæ videbantur. Quamobrem nonnulla con-*

tinet, quæ tempori quidem, quo primum exortum, et illi, quo a Sacrorum emendatoribus contra Pontificiorum decreta denuo defensum atque sancitum est, bene accommodata sunt, minime vero cum purioribus Evangelii præceptis, etc. Schwedenborg in *öp. Les merveilles du ciel et de l'enfer*, trad. du latin, Berlin, 1782, hæc de causa exhibet Lutherum et Melancthonem in inferorum carcerem detrusos; et pag. 481 introducit Lutherum ita loquentem: *Quapropter non miror quod ego erraverim, sed miror quod unus delirans tot deliros potuerit producere.*

(2) In græco textu, v. 14.

Apocal. II, 4 : *Habeo adversum te , quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris ; et, Gal. V, 4 : A gratia excidistis. Itaque, manente charitate ; nec aquæ tribulationum nec adversa quæque poterunt obesse ; manente charitate, non sitiet, qui ea est instructus, cum habeat in se fontem aquæ vivæ ; manente charitate, nihil nos poterit a charitate Dei separare ; charitas ex se nunquam excidet ; at nos possumus a charitate excidere eamque amittere (1).*

610. Obj. secunda. Saltem electi non poterunt a charitate excidere. 1° Dicente Apostolo, Rom. VIII, 30 : *Quos justificavit, hos et glorificavit ;* 2° et David, Ps. XXXVI, 24, de justo electo pariter affirmante : *Cum ceciderit, non collidetur.* 3° Hinc I Joan. III, 9, dicitur : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quia ex Deo natus est.* Quod confirmatur, cap. V, 18 : *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat ; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* 4° De reprobis propterea disserens idem Apostolus, ibid. II, 19, scribit : *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo qui peccant, reprobi fuerunt, nec unquam proinde justificati.

611. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Id est, *magnificavit*, seu gloriosos effecit in hac vita, *conc.* ; *glorificavit* in altera vita ; *Subdist.* ex prævisa perseverantia usque in finem, *conc.* ; absolute in sensu Novatorum, *neg.* Duplex est Patrum expositio in hunc locum ; nam Patres græci nonnullique ex latinis eum intelligunt de glorificatione in hac vita per adoptionem vocatorum in filios Dei, et per cetera dona quibus ipse nos cumulat, prout innuit græca vox *ἐδόξασε*, *celebres, magnos et gloriosos* effecit, seu, ut vertit S. Ambrosius, *magnificavit* ; quo sensu admissio, nulla jam remanet difficultas. Plerique tamen Patres latini post S. Augustinum intelligunt hunc Apostoli locum de prædestinatione ad gloriam in altera vita ; et juxta hanc interpretationem reponimus, quod Deus illos *glorificavit* ; vel sup-

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 15.

posita præscientia perseverantiæ finalis in ea gratia, a qua vocati potuerunt excidere, vel supposita præscientia resipiscentiæ a lapsu, a quo infallibiliter revocandi sunt electi ex divina misericordia (1); ac iterum cessat difficultas.

612. Ad 2^m, *Neg.* Ibi enim sermo est de tribulationibus justorum, quibus licet in hac vita ipsi vexentur, non tamen colliduntur, quia *Deus supponit manum suam* (2).

613. Ad 3^m, *Dist.* Qui natus est ex Deo, non peccat, quamdiu semen ac generatio Dei in ipso manet, *conc.*; si ejusmodi Dei semen ac generationem per peccatum justus abjiciat, *neg.* Alioquin non scripsisset Joannes, III, 7, in hac ipsa Epistola: *Filioli, nemo vos seducat*; et: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis.* Hinc apposite Hieronymus, lib. II, *Adversus Jovinianum*, eodem errore infectum, interrogat: *Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, nec a diabolo tentari potest, quomodo præcipit, ut caveant, ne tententur* (3)? Et S. Augustinus, *In Epist. I Joannis*, de justo ait: *In quantum in ipso (Christo) manet, in tantum non peccat* (4). Itaque tum hæc tum alia ejusmodi testimonia in sensu, ut vocant, reduplicativo accipienda sunt, minime vero absoluto (5).

614. Ad 4^m, *Dist.* *Non erant ex nobis* secundum æternam prædestinationem, *conc.*; non erant ex nobis secundum temporalem sanctificationem, *neg.* Ita S. Augustinus, qui in lib. *De Dono persev.* hæc habet. *Quid est, quæso, non erant ex nobis? Nonne utrique a Deo vocati fuerant et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique*

(1) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc.

(2) Cfr. Lorin. in hunc loc. imo ipse Rosenmüller.

(3) N. 2.

(4) Tract. IV, n. 8.

(5) Placet hanc responsionem confirmare etiam auctoritate S. Hieronymi, qui loc. cit. ita exponit sensum verborum S. Joannis, quæ nobis nunc ob-

jiciuntur a Novatoribus recentioribus, et olim objiciebantur a Joviniano: *Propterea, inquit, scribo vobis, filioli mei: Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, ut non peccetis, et tandem sciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis. Immo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt.* Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. 15.

renovati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset et dicere: vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis (1).

615. Obj. tertia. Patres docent, nec reprobos unquam justificatos fuisse, nec justos unquam excidere a justitia. 1^o Nam S. Gregorius M. *Moral.* lib. XXXIV, cap. XV, scribit, quod reprobi *ante oculos Dei nunquam veram sanctitatem habuerunt*; 2^o et S. Leo M. B. Petrum alloquens: *Vidit, inquit, in te Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam (2).* 3^o In quem sensum pariter de eodem Apostolo S. Bernardus, *De Amore Dei*, lib. II, cap. VI, scripsit: *Petrus cum peccavit, charitatem non amisit... sic et David cum peccavit, charitatem non perdidit.* Quod et ratio ipsa suadet; 4^o etenim, si electi aliquando a justitia exciderent, essent obiectum odii simul et amoris Dei; quod repugnat. Ergo.

616. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Reprobi, id est, falsi justi, de quibus hic loquitur S. Gregorius, *conc.*; reprobi simpliciter, *neg.* Subdit enim: *Sæpe namque homo multis occulte peccatis involvitur, et in una aliqua virtute magnus videtur (3).*

617. Ad 2^m, *Dist.* Quatenus S. Petrus directe non peccaverit contra fidem aut contra charitatem, *conc.*; quatenus indirecte saltem non peccaverit contra has virtutes ex timore hominum, *neg.* Talem esse mentem S. Leonis in adductis verbis, constat ex ejus scopo atque ex toto contextu (4).

(1) Cap. IX, n. 21.

(2) *Serm.* XL; ac *De Passione*, IX, edit. Ballerin..

(3) *Ibid.* n. 29, ubi prosequitur: *Quæ ipsa quoque virtus inanescens deficit; quia, dum innotescit hominibus, proculdubio laudatur, ejusque laus inhianter appetitur. Unde fit, ut et ipsa virtus ante oculos Dei virtus non sit, dum abscondit quod displicet, prodit quod placet.* Ceterum hic

S. Doctor nec verbum habet de reprobis.

(4) Nam evidenter S. Leo supponit Petri lapsum; immediate enim ante obiecta verba ait: *Felices, sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis; affuit enim dextera Domini Jesu Christi, quæ labentem te, priusquam dejicereris, exciperet.*

618. Ad 3^m, *Neg.* Siquidem hoc opus , quod sub S. Bernardi nomine circumferebatur , suppositivum esse critici norunt (1). Auctor autem hujus operis loc. cit. eodem sensu exponi debet ac S. Leo.

619. Ad 4^m, *Dist.* Essent electi illi , qui a justitia exciderunt , objectum odii et amoris Dei sub diverso respectu , *conc.*; sub eodem respectu , *neg.* Etenim electi , prout actu peccatores existunt , Deo odibiles sunt , juxta illud Sap. XIV , 9 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus* ; prout vero sunt electi , diliguntur a Deo in ordine ad collationem illius gratiæ , quam Deus constituit illis dare , ut a statu peccati aliquando revocentur , et in adipiscenda per eam gratiam justitia usque in finem perseverent.

(1) Cfr. opp. S. Bernardi , edit. *amoris* fuisse conscriptum a Guillelmo Mabillonii , vol II , p. 244 et seq. Abbate. Ceterum hic auctor eodem Ostendit Cl. editor , hanc librum seu sensu locutus est ac S. Leo. tractatum *De Natura et dignitate*

TRACTATUS

DE GRATIA.

PARS TERTIA.

DE MERITO.

620. Justus, per interiorem gratiam habitualement sibi inhærentem sanctificatus, non solum fit hæres vitæ æternæ, cujus et jus et pignus in se certissimum habet, sed in Christo Jesu *complantatus*, ut loquitur Apostolus (1), atque, ut ita dicam, inoculatus, fructificat Deo per opera sancta, quæ sunt fructus Spiritus. Hos fructus enumerat Apostolus, dicens : *Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (2). Est enim gratia sanctificans velut semen ac germen vitæ æternæ, quod evolvitur in corde justî, et erumpit in sanctas operationes, quibus et crescit in adepta sanctificatione, et justitiæ coronam sibi promissam magis ac magis perficit, et novis ornamentis cumulat ac prætiosiores reddit. In his porro actibus in justitia factis meriti ratio consistit, quod incipit a gratuita collatione gratiæ tum actualis tum sanctificantis per Christi merita, ac desinit in vitam æternam, mediante fideli cooperatione ad ultiores gratias, quas justus in tali statu acquirit. Et hæc quidem in doctrina catholica.

621. Contra vero in Novatorum systemate res accidit. Cum enim in istorum hypothese justitia Christi per fidem apprehensa tota exterior sit ac imputata, nec intimos cordis recessus penetret, hinc nec justum sanctificat ipsum transferendo ex statu peccati in statum sanctitatis, sed eum relinquit interius in suis sordibus,

(1) Rom. vi, 5.

(2) Galat. v, 22 et 23.

quæ solum ad pœnam modo forensi non imputantur. Inde fit, ut peccatum originale velut substantia quædam jugiter in justo permaneat, quod eum inficit una cum suis operationibus. Quemadmodum vero peccatum hoc originale se manifestabat in homine ante justificationem per peccata actualia, sic pergit se manifestare per eadem peccata post justificationem. Manifestat autem se tum in operationibus perversis, tum in motibus concupiscentiæ, quæ totidem peccata sunt in horum sententia, tum denique in operationibus bonis, quas coinquinat. Nam, licet opera bona efficiantur virtute gratiæ et Spiritus Sancti, qui, gratia necessitatem inferente, justos impellit ad eas eliciendas, cum tamen prodeant ab homine peccato infecto atque, ut ita dicam, a substantia mala, consequitur, eadem opera pariter mala fieri et *peccaminosa* (1). Evidens porro est in hoc systemate, 1^o nullum dari opus meritorium vitæ æternæ ejusque augmenti per augmentum gratiæ sanctificantis, quam nunquam justus intus adipiscitur. 2^o Evidens pariter est, opera bona nihil conferre ad vitam æternam, ac propterea sub hoc respectu fieri inutilia (2).

(1) Ita Lutherus, *Assert. omn. artic. opp. tom. II, fol. 335, b*: *Opus bonum optime factum est veniale peccatum. Hic (articulus) manifeste sequitur ex priori, nisi quod addendum sit, quod alibi copiose dixi: hoc veniale peccatum non natura sua, sed misericordia Dei tale esse... Omne opus justî damnabile est et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur. Cfr. Antilat. (Confutatio Luth. rationum Latomi, Doctoris Lovan.) loc. cit. fol. 406, b, 407 et seq.*

Nec aliter loquitur Melancthon, *Loc. Theol. pag. 168*: *Quæ vero, inquit, opera justificationem consequuntur, ea, tametsi a Spiritu Dei, qui occupavit corda justificatorum, proficiscuntur, tamen, quia fiunt in carne adhuc impura, sunt et ipsa*

immunda; et pag. 158: Nos docuimus justificari sola fide... opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse.

(2) *Solid. Declar. IV, § 15, pag. 672, dicitur: Interim tamen diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera articulo justificationis et salutis nostræ immisceantur. Propterea hæc propositiones rejiciuntur: bona opera piorum esse necessaria ad salutem, etc. Imo eo progressi interdum sunt Novatores, ut bona opera declaraverint pernicioosa et salutis contraria. Nam Amsdorf, Lutheri amicus, opus edidit, cui titulum præfixit: *Niklas von Amsdorf, Quod propositio: Bona opera noxia sunt salutem, est propositio justa, vera, christiana, prædicata a S. Paulo et S. Lutero, anno 1559.* Sane Luthe-*

Dixi *sub hoc respectu*, nam Novatores ea saltem admittunt veluti signa fidei ac justitiæ justis aut electis imputatæ. 3^o Evidens est, impossibilem fieri etiam justis observantiam divinatorum mandatorum; quia, cum semper in ipsis permaneat peccatum originale, se jugiter manifestans in actualibus peccatis et in concupiscentiæ motibus, licet indeliberatis, ac necessario impellens in nova semper peccata, fit ut justus nequeat se abstinere a peccatis, nec proinde possit mandata servare (1). 4^o Exinde ortus est ille horror, quem vel ad ipsum *meriti* nomen Novatores professi sunt; cum in horum doctrina nullum aliud meritum detur nisi meritum Christi Jesu. Alia vero merita admittere, juxta ipsos non sapit nisi superbiam et jactantiam, quæ adversantur humilitati christianæ; nihil aliud est quam evacuare crucem Christi. Quare ipsi sese conspiciunt ut inquinatos et immundos in conspectu Dei; apprehendentes autem per fidem Christi merita, securi fiunt de non imputatione peccatorum suorum. Inde originem denique habet illa fiducia, imo securitas vitæ æternæ, quam

rus hanc thesim proposuit: *Fides nisi sine ullis, etiam minimis operibus, non justificat, imo non est fides* (opp. tom. 1, pag. 523). Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. 1, pag. 222 et seq. In colloquio Altemburgensi rigidi quidam Lutherani dixerunt: *Opera bona et novam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere.. Ad Satanam spectare Christianos cum operibus bonis... Adeo non esse necessaria opera bona, ut etiam ad salutem incommodent, sintque pernicioiosa... Precari oportere, ut in fide sine omnibus operibus usque in finem perseveremus*. Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. IV, cap. 1. Tales fuerunt *Sacrorum emendatores*, quibus curæ erat propria vivendi ratione has theorias confirmare!

(1) Melancth. *Loc. Theol.* pag. 127: *Maledixit lex eos, qui non universam legem semel absolverint. At universa lex nonne summum amorem erga Deum, vehementissimum metum Dei exigit? A quibus cum tota natura sit alienissima, ut maxime pulcherrimum pharisæismum præstes, maledictionis tamen rei sumus*. Sic ceteri primi Novatores passim. Quare, cum Catholici Luthero objicerent, si mandata sunt impossibilia, cur Deus ea hominibus servare præcepit? Ipse ab hac difficultate festive se expedit, respondendo: Præcipere et obtemperare duo sunt longe inter se diversa; *præcipere* cito dicitur; ast obsequi longe difficilius. Ita ipse in *Comment. in Epist. ad Galat.* pag: 233. Sed si ita est, divina mandata erunt *potius* idealia, quam realia.

sibi certo ac de fide pollicentur , non obstantibus quibuscumque sceleribus (1).

622. Tale est systema Lutheranorum , Calvinistarum , Zwinglianorum , aliarumque sectarum , quæ ab illis profluxerunt , si excipias accidentales nonnullas modificationes , quas in eo exponendo tenuerunt. Nonnulli quidem visi sunt systema istud temperare (2). Ast frustra ; etenim , præterquam quod expulsus est non absque stomacho et indignatione ejusmodi temperamentum a ceteris sectariis , emolliri ac corrigi doctrina Novatorum circa bonorum operum meritum nequit , quin totum labefactetur systema a suis fundamentis ; ita siquidem partes omnes inter se copulatæ atque invicem sunt connexæ , ut nulla detrahi possit absque manifesta incohærentia (3).

623. Nos igitur ut vindicemus catholicam doctrinam de merito , præmissis ejus notionibus , progrediemur ad ejusdem meriti existentiam adstruendam adversus Novatores ; deinde conditiones , quæ ad meritum requiruntur exponemus ; postremo expendemus ea , quæ meriti objectum constituunt.

(1) Cfr. Becan. op. cit. cap. 16 , quæst. III , n. 3.

(2) Plures causæ effecerunt , ut Protestantes paulatim ab absurda ac perniciosa ejusmodi doctrina recederent , impossibilitas nempe eam conciliandi cum Scriptura , pessimus influxus , quem in sectarios exercebat , objectiones demum Catholicorum. Hinc in *Apol.* IV , *De dilect. et implet. legis* , § 50 , pag. 91 ,

tantum dicitur : *Hæc ipsa legis impletio , quæ sequitur renovationem , est exigua et immunda ; § 46 , pag. 88 : In hac vita non possumus legi satisfacere.* Atque ita conciliantur diversæ formulæ , quibus Protestantes hunc articulum proponere solent.

(3) Cfr. Moehler , op. cit. tom. 1 , pag. 244 et seqq.

CAPUT I.

PRÆNOTIONES.

Doctrina Ecclesiæ catholicæ et Theologorum opiniones circa meritum.

624. Doctrinam catholicam de bonorum operum merito his verbis proponit Concilium Trident. sess. VI, cap. XVI : *Bene operantibus, usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.... Cum enim ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur.... Ita neque propria nostra justitia tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod, licet bonis operibus in Sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur, id, quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis, absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse*

merita, quæ sunt ipsius dona. Hanc porro eandem doctrinam sanxit can. XXVI et XXXII, quos inferius dabimus.

625. Interea ex ejusmodi expositione et definitionibus constat : 1^o Justos vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et augmentum gloriæ.

626. 2^o Hanc merendi virtutem inniti Dei misericordiæ, qui nostris bonis operibus æternam retributionem promittere dignatus est, cum potuisset illa a nobis exigere absque ulla retributionis spe. Quare optime S. Thomas adnotat, *Deum non esse factum simpliciter debitorem nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur* (1).

627. 3^o Hanc insuper promerendi virtutem inniti meritis Christi, a quibus justorum opera totum suum meritum trahunt.

628. 4^o Denique merita omnia nostra esse dona Dei, quia a gratia tum actuali tum sanctificante seu habituali promanant. Hinc optime S. Augustinus : *Cum Deus, inquit, coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua* (2). Ex quibus etiam liquet, in doctrina catholica valde commendari humilitatem christianam, minime vero excludi, ut clamant Protestantes.

629. His fidei dogmatibus majoris claritatis gratia addunt Theologi, meritum distingui in illud, quod vocant *de condigno*, et in illud, quod *de congruo* appellant. Prius est meritum proprie dictum, seu vere et stricte tale, cui scilicet præmium vel merces ex justitia aut fidelitate debetur; posterius autem est improprie dictum, cui cum nulla facta fuerit promissio, hinc ex stricto jure nihil debetur, spectata nihilominus ipsius operis bonitate congruum ac decens videtur, ut aliqua tribuatur remuneratio.

630. Hæc distinctio fundatur in doctrina Patrum, præsertim vero S. Augustini, qui docet, impios per fidem mereri remissionem peccatorum; ait enim : *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nulum est meritum fidei, qua fide ille dicebat : Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humili-*

(1) 1. 2, q. 114, a. 1, ad 3.

(2) *Epist.* cxciv, cap. 5, n. 19.

tatis (1). Non est autem meritum istud stricte sumptum seu *de condigno*; ut enim ibidem prosequitur S. Doctor: *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justisunt. Sed ut justifuerent, merita non fuerunt* (2). Est igitur meritum *de congruo* et improprie dictum illud, quod præcedit justificationem. Hanc eandem distinctionem expressis verbis tradidit Angelicus Doctor (3).

631. Quamvis porro, quæ de hac meriti distinctione ejusque specie ac natura traduntur, explorata sint apud omnes fere catholicos Theologos, ad fidem tamen minime spectant, cum nulla habeatur circa hæc Ecclesiæ definitio, et in controversiam a nonnullis vocentur. Quapropter scribit Bellarminus circa meriti qualitatem: *Sunt tres de hac re quæstiones: una, sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex congruo? altera, sitne condignum ratione promissionis tantum, an ratione operis? tertia, num Deus remuneret opera justorum supra condignum et impiorum citra condignum* (4)?

632. Circa postremam hanc quæstionem, etsi nulla aperta habeatur Ecclesiæ definitio, Deum nempe opera justorum ex sua liberalitate supra condignum remunerari, nunc jam hæc doctrina in dubium revocari nequit post proscriptam Baji prop. XIV, quæ ita se habet: *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.*

633. De fide pariter non est, omnia bona opera justorum esse æternæ vitæ meritoria, seu quænam in specie opera mereantur gloriam ejusque incrementum, an opera temperantiæ, spei, fidei et alia præter charitatem; quia Tridentinum non definiuit, talia opera in specie mereri. Bellarminus censet: *Bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat* (5). Eandem sententiam tenuere Scotus, Gabriel, Durandus aliique. Vasquezius e converso contendit, *quodlibet opus hominis justis*

(1) Epist. cit. cap. 3, n. 9.

distinct. 27, a. 3.

(2) Ibid. n. 6.

(4) Ibid. cap. 16.

(3) 1. 2, q. 114, a. 3; et *In II Sent.*

(5) *De justif.* lib. 7, cap. 15.

bonum et secundum virtutem moralem meritorium esse vitæ æternæ (1); et hanc sententiam adscribit S. Bonaventuræ, Capreolo et Soto.

634. Constat denique de fide non esse, justum posse mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem de congruo, vel conversionem peccatoris, vel aliam gratiam; sibi autem sive perseverantiam sive resipiscentiam post lapsum; quia nulla extat de his definitio, et in varias sententias abeunt Theologi. De his porro controversiis consuli possunt auctores citati (2). Nos interea ad dogma catholicum de meriti existentia adstruendum adversus Novatores accedimus.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA MERITI.

635. De hac meriti existentia præcipua, imò unica est controversia, quæ inter Catholicos et Protestantos agitatur. Si concordēs circa eam essent, facile in ceteris Protestantos convenirent. Ex dictis porro superius constat, hanc meriti existentiam aut negationem non esse nisi corollaria utrinque oppositæ doctrinæ Catholicorum et Protestantium circa justificationem. Nos igitur ex vindicatis principiis de justificatione sic progredimur:

PROPOSITIO I.

Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam æternam ejusque augmentum.

636. Propositio hæc est de fide; Concilium enim Trid. sess. VI, eam definivit, tum can. XXVI: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare*

(1) Cfr. In 1, 2; S. Thom. tom. II, disp. 217, cap. 2 et seqq.

(2) Cfr. etiam Veronius, *Regula fidei catholicæ*, quæ extat ad calcem

vol. II *Controvers. Fratrum De Walsemburch*, cap. 2. § 1, *De meritis gratiæ et gloriæ.*

et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit; tum can. XXXII : Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et J. C. meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

637. Scripturæ hanc fidei veritatem apertissime ostendunt; vitam enim æternam vocant *coronam justitiæ, bravium, mercedem* reddendam homini justo pro laboris ratione magis minusve copiosam. Ergo justii per bona ipsorum opera ex gratia facta vere merentur coram Deo. Et sane Apostolus, II Timoth. IV, 7, de se scribit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* et I Cor. IX, 24: *Nescitis, inquit, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis;* et iterum in eadem Epist. III, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* et cap. XV, ut ostendat diversam fore retributionem pro diversitate meritorum, ait, v. 41: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Consequentia est evidens; merces enim, corona, bravium non datur nisi veris meritis.

638. Non minus luculenter hæc eadem veritas ex Patribus ostenditur. S. Irenæus: *Pretiosam, inquit, arbitremur coronam, videlicet quæ per agônem nobis acquiritur* (1). S. Basilius: *Homo ex operibus justitiæ salvatur* (2). S. Joan. Chrysostomus: *Ambo*

(1) *Contra Hæres.* lib. IV, cap. 37, n. 7, edit. Massueti. Integrum caput est de hoc argumento, ita ut videatur S. Irenæus voluisse Novatorum systema evertere.

(2) Lib. *De Spir. Sancto.* cap. 24, n. 55: *Ὁ σωζόμενος ἐκ τῶν τῆς δικαιοσύνης ἔργων ἀνθρώπου....* Tom. III, pag. 47.

(improbus et justus) *pro dignitate recipient illic, hic quidem coronas patientiæ tolerantiaque, ille vero supplicia pœnasque improbitatis* (1). Tertullianus : *Ordo, inquit, non aliud quam meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum* (2). S. Cyprianus : *Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem; præceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem* (3). Denique, ceteris prætermisissis, S. Augustinus : *Nulla ne, interrogat, sunt merita justorum? Sunt plane, quia justus sunt. Sed ut justus fierent, merita non fuerunt* (4). Ac iterum : *Vita, inquit, æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere merita, priusque homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc est injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere* (5). Quibus verbis, ut animadvertit Bellarminus, plane evertitur Novatorum systema (6). Huc accedit Concilium Arausic. II, quod, cap. XVIII, ita decrevit : *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

639. Ratio id ipsum aperte suadet. Ideo enim Protestantes inficiantur, opera bona meriti rationem habere, quia in ipsorum hypothesi nulli vere justus existunt, qui possint bene ac juste operari; cum omnia ipsorum opera totidem peccata sint, utpote a mala substantia elicita. Porro ejusmodi paradoxa falsa sunt et absurda, ut ex dictis constat. Deinde, si vera esset Novatorum doctrina, nullus jam locus esset judicio a Deo de hominibus instituendo. *Non quia nullum est meritum*, inquit S. Augustinus,

(1) *Hom. iv, de Lazaro, n. 2 : Ἀμφοτέροι τὸ κατ' ἀξίαν ἀποληψονται ἐκεῖ, ὁ μὲν τοὺς στεφάνους τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς καρτερίας, ὁ δὲ τὰς κολάσεις καὶ τὰς τιμωρίας τῆς πονηρίας. Tom. I, p. 753.*

(2) *Lib. De Resurr. carn. cap. 48, edit. Rigalt.*

(3) *Lib. De unitate Eccles. pag. 199, edit. Maur.*

(4) *Epist. cit. cxciv, cap. 3, n. 6.*

(5) *De moribus Eccles. lib. I, cap. 25 n. 55.*

(6) *De justif. lib. v, cap. 4, apud quem alia cfr. testimonia.*

vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodo judicabit Deus mundum (1)? Attamen Apostolus, II Cor. V, 10, scribit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo.

DIFFICULTATES.

640. Obj. prima. 1° Vita æterna in Scripturis passim vocatur hæreditas; porro hæreditas filiis debetur, non ex merito et labore, sed ex solo jure *filiationis* seu adoptionis. 2° Sane vita æterna est corona misericordiæ, ut dicitur, Ps. CI, 4: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*; et Matth. V, 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; 3° est præterea ex omni parte gratia Dei, Apostolo, Rom. VI, 23, dicente: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Nisi enim tota gratia esset, dixisset Apostolus, prout poscebat antithesis: *Stipendium honorum operum vita æterna*, prout jam dixerat: *Stipendium peccati mors.* 4° Hinc gratis, non pro meritis, Deus eam concedere perhibetur, juxta illud Isaiaë LV, 1: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.* Ergo.

641. Resp. 1° ad 1^m, *Dist. maj.* Vocatur hæreditas *etiam, conc.*; solum, *neg.* Etenim vocatur præterea *merces*; ex duplici proinde titulo confertur vita æterna, hæreditatis scilicet et mercedis, posterior autem hic titulus in priori fundatur.

642. Resp. 2° , *Dist. min.* Hæreditas debetur filiis naturalibus, *conc.*; adoptivis, *Subd.* Si absque ulla apposita conditione adoptati sint, ut in hæreditatem patris succedant, *conc.*; si sub aliqua conditione, *neg.* Nam tunc et titulo adoptionis et adimplendæ conditionis succedunt. Jam vero Deus homines in filios adoptavit, ut consequantur hæreditatem sub iis tantum conditionibus, quas ipsemet proposuit, quibus *digni habeantur regno Dei*, ut inquit Apostolus, II Thess. I, 5, si sermo sit de adultis (2); infantes enim ex solo titulo hæreditatis eam percipiunt.

(1) *Epist. ccxiv, ad Valentinum,*
n. 4.

(2) Cfr. quæ diximus Tract. *De Incarnat.* n. 644.

643. Ad 2^m, *Dist.* Vita æterna est corona misericordiæ simul ac justitiæ, *conc.*; solius misericordiæ, *neg.* Responsio patet ex dictis.

644. Ad 3^m, *Dist.* Quatenus ex gratia Dei omne meritum nostrum initium habet, *conc.*; quatenus ex sola gratia absque nostra cooperatione tribuatur, ideoque ad exclusionem meritorum nostrorum, *neg.* Ita fere S. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arbit.* capp. VIII et IX, ubi animadvertit, Apostolum recte potuisse dicere: *Stipendium justitiæ vita æterna*, prout dixit, *Stipendium peccati mors* (1). Sane æquivalenter sensum hunc expressit Apostolus, Rom. II, 6, illis verbis: *Reddet (Deus) unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærent, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione... ira et indignatio.*

645. Ad 4^m, *Neg.* Textus autem Isaïæ non refertur ad vitam æternam, sed ad gratiam, quæ in hac vita a Deo tribuitur, quæque sub vini ac lactis symbolis significatur. Nemo porro inficiatur, gratiam gratis conferri; sed hæc exigit laborem et cooperationem nostram.

646. Obj. secunda. 1^o Luc. XVII, 10, ait Christus: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia servi inutilis sumus; quod debuimus facere fecimus.* Nihil igitur

(1) Quo magis pateat, Novatores abluere a sensu et mente S. Augustini, dum eum suum esse jactant in systemate justificationis, libet ipsius S. Doctoris verba asserre. Sic porro scribit, cap. 8, n. 20: *Apostolus cum dixisset: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur; vidit utique, putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat; et rursus*

posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi ipsi sufficiant; mox itaque addidit: ipsius enim sumus figmentum, etc.. Et cap. 9, n. 21: Cum prius dixisset (Apostolus): Stipendium peccati mors... Ubi cum posset dicere, et recte dicere: Stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere Gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione, perducere.

merentur opera nostra, utpote inutilia. 2^o Verum non solum inutilia, sed et immunda præterea sunt, ut testatur Isaïas, LXIV, 6, dicens: *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*. Ergo per se potius indignationem quam præmium merentur.

647. Resp. ad 1^m, *Dist.* Ad excludendam jactantiam, *conc.*; ad excludendum meritum bonorum operum, quæ in Deo sint facta, *neg.* Talis est communis Patrum expositio in locum, qui objicitur (1). Inde enim discimus, nos nihil nobis adscribere posse ex bonis, quæ facimus; quia; nisi Dei gratia nos prævenisset et adjuvasset, nihil præstare potuissemus; totum præterea emolumentum non Deo, qui operibus nostris non indiget, sed nobis provenire, et quidem ex gratuita ac liberali promissione Dei de æterna mercede ipsis bonis operibus retribuenda. Ceterum Apostolus, II Timoth. II, 21, scribit: *Si quis emundaverit se ab istis, erit vās in honorem sanctificatum et UTILE Domino*; et Christus ipse, Matth. XXV, 23, dixerat: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* (2).

(1) Cfr. Bellarm. *De justif.* lib. v, cap. 5.

(2) Εἶ, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· εἰσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. Cfr. Maldonatus in objectum textum ex Luc. xvii, 10, ubi contendit hunc esse sensum illorum verborum: *Cum feceritis omnia*, etc. non quidem nihil præceptorum observatione meruisse; sed nihil meruisse præter mercedem, quæ præceptorum observationi respondet. Vult igitur Christus non gloriari nos, cum præcepta servavimus; quia, etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium et eximium fecimus, nihil quod non quilibet servus facere debuerit. Nec tam est laudabile, quod id fecerimus, quam vi-

tuperabile esset, si non fecissemus. Non solent laude gloriaque videre digna, nisi quæ egregia et singularia sunt. Quæ quidem fuse ibidem prosequitur, et omnes Calvinianorum technas dissolvit. Ostendit præterea adversus Calvinum, ibi non agi de mancipio, sed de servo mercenario seu conducto, qui operatur pro pacta mercede. Cum tamen Kuinoelius Calvinii vestigiis insistens contendat, in parabola sermonem non esse de mercenario, de aratore aut bubulco conductitio, sed de mancipio, ceteris omissis, juverit ipsum refellere ex ipsa voce δοῦλος, prout a Græcis usurpabatur. Si enim δοῦλος esset servus emptitius aut mancipium, non dixisset Sophocles, *Oedip.* T. 1123: Ἡ δοῦλος οὐκ ἀνησῖς, ἀλλ' οἴκοι τρα-

648. Ad 2^m, *Neg.* Ad prob. *Dist.* Et loquitur Propheta de peccatis ac fictitiis Judæorum justitiis, ob quas puniebantur, *conc.*; loquitur de bonis justorum operibus, *neg.* Antea enim dixerat: *Occurristi lætanti et facienti justitiam*; deinde immediate post objecta verba subdit: *Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos* (1).

649. Obj. tertia. 1^o Christus meruit nobis vitam æternam. 2^o Ergo vel Christi merita per se sufficiunt, vel non sufficiunt; si ea dicamus sufficere, frustra igitur requiruntur opera nostra; si dicamus non sufficere, injuriam irrogamus Christo. 3^o Vel saltem inde sequeretur, nos gloriam dividere inter Christum et homines, si præter ejus merita nostra etiam requireremus ad vitam æternam obtinendam.

650. Resp. ad 1^m, *Dist.* Christus meruit nobis vitam æternam, concedendam tamen nostræ cooperationi per opera meritoria, *conc.*; absolute absque nostra cooperatione, *neg.* Nam Christus non eo sensu meruit nobis vitam æternam, ut nos nihil præstare

φείς, κ. τ. λ. Sane servus non emp-
tus, sed domi educatus, etc. neque
Thucydides, 8, aperte distinxisset τὰ ἀν-
δράποδα πάντα, καὶ δοῦλα, καὶ ἐλεύ-
τερα, omnia mancipia et servi et
liberi; immo vero Scholiastes Theo-
criti, v. 5, ex Crysippo docet, etiam
ἀπελευθέρους seu liberos vocari δοῦ-
λους, servos. Igitur δοῦλος nihil aliud est
quam servus, ita ut ejus correlativus
sit δισπότης, herus, et opponatur qui-
dem plerumque voci ἐλεύθερος (1 Cor. xii,
13), sed mancipium minime unquam
sit; hoc enim græce dicitur ἀδράποδον;
unde derivatur ἀδραποδοστής, plagia-
rius seu mancipii venditor, 1 Timoth.
i, 10, et apud alios Scriptores græcos
ἀδραποδάνης; mancipiorum emptor.
Hæc ideo adnotavimus, quia hæretici
inde 1^o colligebant, nullam nos me-

teri mercedem ob bona opera cum gratia
patrata, prout nulla rependitur merces
mancipio; 2^o colligebant, nullum opus,
ut dicitur, *supererogationis* a nobis elici
posse, cum nullam sit prorsus opus
bonum, quod Deo non debeatur, qua-
liã sunt opera mancipiorum respectu do-
minorum suorum.

(1) Cfr. Sanctius in hunc loc. qui
censet, nihil aliud significari hoc dicendi
genere proverbiali, quam fœtere Ju-
dæorum sacrificia, quæ *justitiæ* vo-
cantur, apud Deum, et ipsum ad il-
lam fucatam sanctitatis speciem nau-
seare non aliter quam ad ea, quæ propter
fœditatem aversantur oculi, aut propter
amaritiam et cruditatem fastidit sto-
machus. Cfr. etiam Rosenmuller.

deberemus; sed eo sensu meruit, ut nobis compararet gratias, quibus cooperantes applicaremus nobis merita ipsius, et hac ratione opera nostra efficerentur meritoria; ut suo loco ostendimus, disserendo de ipsius Christi satisfactione.

651. Ad 2^m, Respondeo, sufficere Christi merita et non sufficere sub diverso respectu. Sufficiunt quoad se, cum Christus superabundanter et cumulatissime pro nobis meruerit ac satisfecerit; non sufficiunt quoad nos ex positiva Dei voluntate, qui noluit, ut Christi merita nobis prodessent, nisi accederet cooperatio nostra. Tantum vero abest, ut inde detrahatur meritis Christi, quin potius maxime commendetur eorum efficacia, qua non solum obtinuit nobis jus vitæ æternæ, sed etiam vim et virtutem merendi. Hinc quemadmodum nihil detrahitur de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant; imo quo uberiores fructus palmites ferunt, eo magis laudanda est vitis, quia quidquid vivi succi et humoris habent palmites, totum ex ea habent; ita nihil detrahitur de gloria meritorum Christi per merita nostra, quæ ab ipsis procedunt; sed potius merita Christi per merita nostra etiam atque etiam commendantur (1).

652. Ad 3^m, *Neg.* Nam nulla prorsus essent merita nostra, nisi gratia Dei nos præveniret et adjuvaret. Merita enim nostra dona sunt Christi, ut superius exposuimus juxta doctrinam Concilii Tridentini (2).

653. Obj. quarta. Patres passim docent, vitam æternam gratis nobis a Deo donari, ut S. Basilius; nulla item esse merita nostra, ut S. Hilarius, et S. Augustinus, aliique cum ipsis (3). Ergo.

654. Resp. *Neg. antec.* Nam Patres vel loquuntur de gratuito principio meritorum nostrorum, nempe de gratia et gratuita Dei promissione, vel de meritis naturalibus adversus Pelagianos, vel de nulla proportionem durationis, ut mox dicemus.

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(2) Hinc patet, stulte prorsus Calvinum debacchatum esse in Magistrum Sententiarum, quod honorum operum meritum commendaverit; sic enim, *Inst. lib. III, cap. 3, § 43*, scribit:

Quis non merito tales bestias execretur?... O magistrum talibus dignum discipulis, quales in insanis rabularum scholis nactus est!

(3) Apud Bellarm. loc. cit. cap. 6.

655. Obj. quinta. 1^o Ad verum meritum requiritur proportio inter opus et mercedem. Atqui inter opera justorum et vitam æternam nulla est proportio, dicente Apostolo, Rom. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* 2^o Nemo præterea potest Deum super omnia et perfecte diligere. Ergo nemo potest mereri.

656. Resp. ad 1^m, *Dist. min.* Nulla est inter opera justorum et gloriam æternam proportio durationis et æqualitatis rei ad rem, qualem exigit justitia commutativa, *conc.*; nulla est proportio dignitatis et meriti, supposita promissione, qualem exigit justitia distributiva, *neg.* Etenim inter opera ex gratia sanctificante facta et gloriam ea intercedit proportio, quæ adest inter semen et arborem, præsertim si attendatur ad gratuitam Dei promissionem (1). Quare S. Augustinus asserit : *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus : Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti ; et hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti* (2).

657. Ad 2^m, *Neg.* Siquidem per Dei gratiam tria illa præstare possumus, quæ ad accuratam præcepti dilectionis divinæ observantiam requiruntur : nempe 1^o ut Deum omnibus præferamus ; 2^o ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus ; 3^o ut ad majorem semper in Dei amore perfectionem eluctemur (3).

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS.

658. Alias statuunt conditiones ad meritum requisitas Novatores, alias Catholici. Novatores, ut sibi viam sternant ad omne meritum nostrum eliminandum, has quatuor ad meritum con-

(1) Cfr. S. Thom. 1, 2, q. 114, art. 1, 2, 3 et 4, ubi totum hoc argumentum egregie evolvit, ac omnes difficultates Novatorum præoccupavit ac solvit.

(2) *Serm. clviii, al. xvi, De verbis Apost. cap. 2, n. 2.*

(3) Cfr. Maldon. in cap. xvii, 10, S. Luc.

stituendum conditiones effingunt et exposcunt : 1^o ut opus debeat esse perfectum seu omnibus numeris absolutum , purum propterea a qualicumque imperfectionis nævo ; 2^o ut nullo titulo sit debitum ; 3^o ut nostrum sit et non alienum , seu gratia partum ; 4^o ut proportionem habeat æqualitatis cum mercede. Catholici e converso , rejectis his conditionibus , quibus positus omnis meriti ratio ab operibus nostris tolleretur , alias enumerant conditiones ad opus meritorium constituendum , quarum aliæ certæ sunt et ab omnibus admissæ , aliæ in controversiam vocantur.

659. Ac primo quidem , supposita distinctione inter meritum proprie dictum seu *de condigno* ac meritum improprie dictum seu *de congruo* , alias assignant conditiones ad meritum de condigno , alias ad meritum de congruo , sive ex parte operantis , sive ex parte operis , sive ex parte retribuentis , quas breviter referemus.

660. Ad meritum de condigno ex parte *operantis* duæ conditiones essentialiter requiruntur : 1^o ut sit viator ; 2^o ut sit justus seu in statu gratiæ.

661. Quod qui meretur debeat esse viator , nullum dubium esse potest , dicente Christo , Joan. IX , 4 : *Venit nox , quando nemo potest operari* ; et Apostolo , Gal. VI , 10 : *Dum tempus habemus , operemur bonum*. Hinc monebat Ecclesiastes , IX , 10 : *Quodcumque potest facere manus tua , instanter operare ; quia nec opus , nec ratio , nec sapientia , nec scientia erunt apud inferos , quo tu properas*.

662. De statu gratiæ , quæ requiritur ad meritum , constat ex verbis Christi , Joan. XV , 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso , nisi manserit in vite , sic nec vos , nisi in me manseritis* ; et ex verbis Apostoli , I Cor. XIII , 3 : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas , et si tradidero corpus meum , ita ut ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodest*. Hinc merito confixæ fuerunt a S. Pio V , et Greg. XIII sequentes Baji propositiones , XII^a : *Pelagii sententia est : opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritorium* ; XIII^a : *Opera bona , a filiis adoptionis facta ,*

non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia; XVII^a: Sentire cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum (1).

663. Ex parte operis tres conditiones necessario requiruntur ad verum meritum: 1^o ut sit liberum a necessitate; 2^o ut sit bonum et honestum; 3^o ut sit supernaturale et quoad entitatem, seu essentiam, et quoad motivum seu finem.

Quod attinet ad primam conditionem, est de fide, ut patet ex damnata ut hæretica propositione Jansenii: *Ad merendum*, etc. ut suo loco ostendimus (2).

Circa secundam ratio aperta est, quia nihil potest esse præmio ac mercede dignum apud Deum, qui sanctus est, nisi sit rectum, bonum ac ipsi gratum. Opus porro bonum ac honestum illud censetur, quod tale est ex parte objecti, finis ac circumstantiarum omnium, juxta tritum illud axioma a Theologis omnibus adoptatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

Necessitas tertiæ conditionis eruitur ex disceptatis adversus Pelagianos, contra quos ostendimus, opus supernaturale constitui ex parte principii, gratiæ nempe actualis, atque ex parte finis, seu motivi, quod referatur scilicet in Deum tanquam auctorem supernaturalis ordinis, ut habeat æqualitatem proportionis cum gloria (3).

(1) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. x, col. 1207. Origo harum propositionum repeti debet ex Baji principio, quod justitia originalis fuerit primo homini naturalis, eique debita.

(2) In Tract. *De Deo Creat.* n. 495 et seqq.

(3) Cfr. S. Thom. loc. cit. art. 1, tum art. 2, ubi inter cetera ita scribit: *Vita æterna est quoddam bonum*

excedens proportionem naturæ creatæ, quia etiam excidit cognitionem et desiderium ejus, secundum illud 1 Cor. 2: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur.

664. Hæc certa sunt apud omnes. Sed his conditionibus plures Theologi addunt et aliam, ut scilicet opus eliciatur ex imperio charitatis, juxta verba Jac. I, 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Talis est etiam sententia S. Thomæ, 1, 2, q. 114, a. 4 (1). Alii tamen, ut innuimus, refragantur (2).

665. Demum ex parte Dei retribuentis requiritur repromissio. Hinc est, quod in Sacris Litteris vita æterna sub generico promissionis nomine passim designetur. Apostolus enim, Heb. VI, 12, ait: *Fide et patientia hæreditabunt promissiones*; et ibid. X, 36: *Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Atque id declaravit Tridentina Synodus, sess. VI, cap. XVI; et sane hanc conditionem exposcit ipsa natura mercedis, quæ non redditur nisi ex pacto.

666. Ad meritum de congruo fallibili omnes recensitæ conditiones requiruntur præter statum gratiæ et promissionem ex parte Dei (3).

CAPUT IV.

DE OBJECTO MERITI.

667. Duo sunt, quæ cadunt sub meritum, gratia et gloria. De gloria jam ostendimus, eam una cum ejus augmento cadere sub meritum de condigno in homine justo per opera in Deo facta.

668. Ad gratiam quod spectat, hæc certa sunt:

1^o Primam gratiam, actualem nempe, nullo modo cadere

(1) *Meritum, inquit, vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate impetrantur. Similiter etiam manifestum est, quod id, quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus; unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur, quod sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur.*

(2) Vasquez, loc. cit.

(3) Cfr. Bellarm. *De justific.* lib. v, cap. 12, et cap. 14. Cfr. etiam Vasquez, in 3 part. q. 94, art. 1, dub. 4: *Idem dicimus, scribit, meritum de congruo, quod impetratorium opus, impetratorium meritum, quod de congruo dici solet; meritum de congruo illud est, quod impetrat illud, cujus est meritum; meritum congruum in sola impetratione consistit.*

sub meritum , ut ex dictis constat adversus Pelagianos ac Semi-pelagianos (1).

2^o Gratiam sanctificantem pariter non cadere sub meritum de condigno , ut superius diximus ; cum ex Apostolo , Rom. III , 24 , nos simus *justificati gratis per gratiam ipsius* ; et aperte idem declaret Tridentinum , sess. VI , cap. VIII.

3^o Hominem justum posse promereri de condigno augmentum gratiæ sanctificantis , ut definivit Synodus Tridentina , eadem sess. can. XXXII. Quod si justus potest mereri augmentum gratiæ sanctificantis , hoc ipso per justificationem acquirit jus ad gratias actuales , quæ necessariae sunt ad opera bona perficienda , ex quibus illud augmentum pendet.

4^o Posse hominem peccatorem promereri de congruo infallibili , stante divina promissione (2) , primam gratiam sanctificantem per contritionem perfectam et actum dilectionis Dei super omnia tanquam per ultimam dispositionem ad eandem infallibiliter consequendam , juxta illud quod sæpe retulimus S. Augustini dictum : *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est , si fides hanc impetrat ; neque enim nullum est meritum fidei* (3).

669. Disputatur autem inter Theologos : 1^o Utrum justus possit mereri sibi veniam post culpam ; 2^o Utrum sibi præterea possit mereri perseverantiam finalem ; 3^o Utrum demum justus possit alteri mereri primam gratiam.

670. Jam vero ad primum quod attinet , certum est de condigno non posse quempiam sibi id promereri , neque etiam quempiam id posse de congruo infallibili , cum nulla habeatur divina promissio , et per peccatum amittatur omne jus ad recuperandam gratiam ; an vero id possit justus per meritum de congruo fallibili , communior sententia affirmat cum Bellarmino (4). Videtur certum , posse saltem justum sibi hanc reparationem precibus

(1) Cfr. præterea S. Thom. 1 , 2 , q. 114 , a. 5.

(2) Cum superius diximus , a Theologis excludi a notione meriti de congruo divinam promissionem , ut patet,

id intelligi debet de merito congruo in genere seu fallibili.

(3) *Epist. CLXIV*, loc. cit.

(4) *De Justif.* lib. v , cap. 21 , n. 3.

impetrare adinstar Davidis, qui, Ps. LXX, 9, orabat : *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me* (1).

671. Ad alterum eadem fere ratione respondemus, quia nusquam promittitur justis perseverantia concedenda tanquam merces; quinimo Scripturæ exhortantur fideles, ut cum timore et tremore salutem suam operentur, ut videant, ne cadant, et satagant, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant. Id ipsum sancivit Synodus Tridentina, sess. VI, can. XVI, quem superius retulimus. Communis tamen Theologorum doctrina est, posse justum perseverantiam de congruo fallibili mereri, juxta tritum illud Augustini effatum : *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest* (2).

672. Quoad tertium denique inter Theologos catholicos convenit, neminem, excepto Christo, posse alteri de condigno promereri primam gratiam; cum hoc munus proprium sit Salvatoris ac Redemptoris nostri, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris. Communis nihilominus sententia Catholicorum est post S. Thomam (3), posse justos alteri obtinere merito de congruo fallibili primam gratiam. Quare S. Jacobus, cap. V, 16, sic fideles hortatur : *Orate pro invicem, ut salvemini*. Nec desunt exempla conversionum, quæ factæ fuerint ad aliorum preces, qualis perhibetur S. Pauli, quem Stephani precibus Patres conversum tradunt, et S. Augustini, quem piis lacrymis S. Monicæ ad meliorem frugem revocatum Ecclesia pro certo sumit.

Hactenus de gratia, de eo nempe cœlesti munere, quo Deus per Christi merita gratia nos prævenit, quo operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, cui nos libere assentiendo consortes efficimur divinæ ipsius naturæ, ut fructus uberiores in dies emittendo ad futuram gloriam pervenire contendamus, quæ revelabitur in nobis. Quam ut assequamur, a Deo enixe efflagitandum est, ut hac gratia sua semper nos præveniat et sequatur, ac bonis operibus præstet jugiter esse intentos.

(1) Cfr. S. Thom. 2, 2, q. 186, n. 10.

(2) *De dono persever.* cap. 5, n. 10.

(3) 1, 2, q. 114, a. 6.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROOEMIUM.

1. Homo, utpote non sola mente, sed et sensibus præditus, sensibilibus ritibus indiget, quibus ad pietatem excitetur et ad divinum cultum instituatur. Quævis propterea religio, quod jam monuerat S. Augustinus (1), peculiare habuit ritus symbolicos ad hunc finem obtinendum institutos. In vera autem Religione instituti a Deo externi ritus sunt et ad alium finem, ut scilicet tanquam vehicula quædam, ad gratiam sive sanctitatem conferendam seu communicandam animis nostris, inserviant. Variis nominibus hi symbolici ritus appellantur. Interdum enim *signa*, *signacula*, interdum *mysteria*, *symbola* fuerunt vocati (2); communior demum facta est denominatio *Sacramenti* apud Latinos, *Μυστήριον* apud Græcos. Hæc autem mysterii aut sacramenti vox rem arcanam, quæcumque demum sit, sive latentem signi-

(1) *Contra Faustum Manich.* lib. XIX, cap. 11: *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilibus consortio colligentur*, etc.; quod ibid. pluribus prosequitur.

(2) Tertullian. *Apolog.* cap. 47; *De præscript. hæret.* cap. 40; *De anima*, cap. 9. *Sacramenti* nomen eo sensu, quo nunc usurpatur, Tertullianum adhibuisse omnium primum, lo-

quendo de baptismo et sacra cœna, autumat Wegscheider, § 166, n. 2. Ast hic auctor aut Tertullianum non legit, aut se non satis ingenuum prodit. Siquidem in *Apologetico* loquitur Tertullianus generatim de Sacramentis; in lib. *De anima*, alio plane sensu accipit Sacramenti vocem; in lib. *De præscript.* loc. cit. tria expresse commemorat Sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam.

ficat (1). Varius extitit ejusdem vocis usus tum apud profanos, tum apud scriptores sacros et ecclesiasticos. Nunc jam sumitur primo pro re sacra, secundo pro re sacra ac latente, tertio pro signo sensibili rei sacræ.

2. Cum Sacramenta, ut innuimus, sint veluti quædam vehicula seu instrumenta, quibus Deus, imbecillitati nostræ consulens, gratiam sanctificantem, et proinde justificationem confert, patet, intimam intécedere necessitudinem ac relationem inter ea, quæ de gratia sanctificante et justificatione disseruimus, et Sacramenta, de quibus in præsentiarum disputare aggredimur. Sane ex contraria via, quam Ecclesia catholica, avitæ fidei insistens, tenuit, et quam Novatores, qui cuncta perturbarunt circa justificationis notionem ac naturam, iniverunt, oritur doctrinæ oppositio inter dogmata catholica et Novatorum placita in re sacramentaria.

3. Etenim Ecclesia catholica ex principio de identitate justificationis et gratiæ sanctificantis, infert, Sacramenta esse signa practica gratiæ, signa nempe, quæ continent ac conferunt gratiam, quam significant. Hinc recepta apud Catholicos Sacramenti definitio, quam tradidit Catechismus Romanus: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis et justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet* (2). Dicitur porro *res sensibus subjecta*, seu *signum*, quia hominum mentem adducit in cognitionem alterius rei, et quidem *sensibile*, quia sui ipsius speciem sensibus ingerit; *ex Dei institutione*, ut sciamus, solum Deum sive Jesum Christum auctorem esse Sacramentorum, cum ipse solus possit signis sensibilibus seu symbolicis producendæ gratiæ virtutem indere; dicitur demum: *sanctitatis et justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet*, ut edoceamur, Sacramenta non posse nisi rem sacram ex-

(1) Hæc autem res arcana tam potest consistere in verbis quam in actione. Si in verbis, quodcumque dictum obscurum aut allegoricum *mysterium* seu *Sacramentum* nuncupatur; si in

actione, ita vocatur actio certo modo consecrata et cum promissione quadam solemniter conjuncta.

(2) Part. II, cap. I, n. 9.

primere, et quod exprimunt efficere. Si verborum autem discrepantiam tollas, quoad rem ipsam, omnes quæ a catholicis doctoribus traduntur Sacramenti definitiones in hanc conveniunt.

4. Contra vero Novatores, qui gratiam sanctificantem a justificatione separarunt, ita ut hæc non consistat nisi in sola forensi peccatorum remissione, seu potius in sola pœnæ peccatis debitæ non imputatione, vi fidei apprehendentis instrumentaliter justitiam Dei vel Christi extrinsece imputatam, contrariam plane Sacramenti notionem invehere debuerunt. Sacramenta in hac hypothesis nuda signa evadunt, quæ vel fidem excitent ad apprehendendam Christi justitiam, vel pignora justitiæ per fidem jam imputatæ, vel signa in ordine ad societatem, ad quam quis pertinet. Nec sane aliam Sacramentorum ideam præbent variæ, quas dederunt Novatores, Sacramenti definitiones. Juxta Lutherum, Sacramenta sunt nuda signa, vel sigilla divinarum promissionum ad excitandam fidem, qua credatur, per Christum peccata dimitti (1). Juxta Zwinglium et Calvinum, Sacramenta sunt signa divinæ gratiæ; nempe juxta Zwinglium, quibus se homo Ecclesiæ probat aut candidatum aut militem esse Christi, redduntque Ecclesiam totam potius certiores de tua fide, ut ipse loquitur, quam te (2); juxta Calvinum autem, quatenus

(1) Lutherus, opp. edit. Jen. tom. III, fol. 266, b: *Omnia Sacramenta, inquit, ad fidem alendam sunt instituta.* Melancthon in *Loc. Theolog.* pag. 46: *Apparet, scribit, quam nihil Sacramenta sint nisi fidei exercendæ μέν-μίσθια*; et ibid. pag. 141 et seq. subdit: *Nostra imbecillitas signis erigitur, ne de misericordia Dei inter tot insultus peccati desperet. Non aliter atque pro signo favoris divini haberes, si ipse tecum coram colloqueretur, si peculiare aliquod pignus misericordiæ qualecunque miraculum tibi exhiberet, decet de his te signis sentire, ut tam certo credas, tui misertum esse*

Deum, cum beneficium accipis, cum participas mensæ Domini... Fidei excitandæ gratia signa sunt proposita. Probabilis et illi voluntatis sunt, qui symbolis seu tesseris militaribus hæc signa comparaverunt, quod essent NOTÆ TANTUM, quibus cognosceretur, ad quos pertinerent promissiones divinæ.

(2) In *Confess. ad Carol. Imp.* opp. tom. II, pag. 477, qui ibid. pag. 541, addidit: *Credo, imo scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem et dispensent. Nam gratia ut a Spiritu divino datur, ita donum istud ad illum solum pervenit. Vix autem vel*

electum certiore[m] faciunt de adepta fide ac divinis promissis (1). Anabaptistæ decernunt, Sacramenta esse *signa allegorica* vitæ spiritualis (2). Arminianis, Mennonitis, Socinianis Sacramenta sunt ceremoniæ seu nudi ritus exteriores, quibus Christiani ab aliarum religionum cultoribus distinguuntur (3). Quakeris Sacramenta sunt *actus spirituales* et interni *effectus cœlestis luminis* (4). Schwedenborgianis Sacramenta sunt symbola, quibus Deus et homo invicem junguntur (5). Rationalistis denique Sacramenta sunt ritus longe præstantiores ritibus paganorum tum significatione symbolica tum fine morali (6).

5. Ex his definitionibus aut notionibus Sacramentorum constat; 1^o Eas omnes fluere ex principio fundamentalis Protestantismi primitivi, prout illum Lutherus et Melancthon excogitarunt circa justificationem. 2^o Constat, sectas, ex Lutheranismis progenitas, proprias edidisse Sacramentorum notiones, evolvendo germen primitivi Protestantismi. 3^o Ejusmodi definitiones magis ac magis abscedere a vera Sacramenti notione, donec amiserint omnem relationem ad gratiam et justificationem, ac vix umbram et vestigium Sacramenti retinuerint.

vehiculum Spiritui non est necessarium... Hoc libens admitto, Sacramenta dari in testimonium publicum ejus gratiæ, quæ cuique privato prius adest.

(1) Non unam exhibet Calvinus Sacramenti notionem, *Instit.* lib. iv, cap. 14. Etenim, § 1, definit Sacramentum, *externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et Angelis quam apud homines testamur.* § 17, scribit, hoc munus tantum Sacramentis esse divinitus inditum, *testificari nobis ac sancire Dei in nos benevolentiam.* § 18, affirmat, esse signa, quæ homini-

bus Deus mandavit ut certiores securosque de promissionum suarum veritate redderet. Et hæc quidem quoad solos electos; etenim, juxta ipsius systema, reprobi præter externum symbolum nihil recipiunt.

(2) Nam juxta Munsterum Sacramenta non sunt nisi actiones symboliæ et emblemata, quæ significanti patiendi necessitatem. Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. II, pag. 185 et seq.

(3) Ita Sociniani in *Catech. Racov.* VI, 3, Arminiani, *Confess. Remonst.* XXII, 3; De Mennonitis cfr. Beck, *Commentent.* pag. 772.

(4) Cfr. Moehler, op. cit. tom. II, pag. 235.

(5) Ibid. pag. 330 et seqq.

(6) Wegscheider, § 165.

6. Quomodo hoc idem Novatorum principium circa justificationem influxerit in numerum Sacramentorum, in eorum ministrum ac ritus, evolvemus agentes de singulis his articulis. Interea ex iis, quæ exposuimus, tum circa doctrinam Ecclesiæ catholicæ, tum circa systemata hæreticorum in ordine ad Sacramenta, patet, ad quatuor præcipua capita controversiam hanc, quam inimus, revocari posse : ad eorum scilicet numerum, efficaciam, ministrum ac ritus seu caremonias, quæ usurpantur in solemnibus eorum administratione. Ut propterea brevitati ac perspicuitati consulamus, in totidem capita totam hanc tractationem distribuemus; ex his enim singillatim constitutis ac vindicatis ceu totidem corollaria facile reliqua deducemus, quæ sive definita sunt, sive communi Ecclesiæ et Theologorum sensu tenentur, atque probantur. His adjiciemus nonnulla scholia, ad controversias theologicas exponendas et elucidandas.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NUMERO.

7. Cum in doctrina catholica justificatio et sanctificatio ita identificentur, ut prior ex posteriori pendeat, sequitur, Sacramenta, quæ ejusdem sanctificationis et justificationis signa practica sunt atque instrumenta, et per quæ gratia et justitia nobis communicantur, plura esse debere, quibus non solum amissa justitia reparatur, sed et conservetur et augeatur. Hinc septem recensentur Sacramenta, quæ in vita spirituali analogiam præ se ferunt ac quamdam veluti necessitudinem cum iis, quæ contingunt in vita naturali, ut præclare exponit S. Thomas (1). Quemadmodum enim homo nascitur in vita naturali, roboratur, alitur, ac, si in morbum incidit, a medicina valetudinem recuperat, delictisque omnibus morbi reliquiis, incolumitatem pristinam nanciscitur, propagatur, ac sub magistratibus cum ceteris civibus communem vitam ducit, hæc ipsa in vita spirituali ope Sacra-

(1) P. 3, q. 65, a. 1. Cfr. etiam Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 26.

mentorū hominī contingunt. Hæc proinde hominem semel in vitam spiritualem editum nunquam deserunt, jugiter comitantur in omnibus vitæ vicibus ac variis conditionibus, in quibus reperitur; eum e mundo inferiori abducentes, evehunt ad mundum superiorem et invisibilem, ad quem ordinatus est.

8. In hypothesi vero Novatorum, cum justificatio non nisi immunitatem a pœna peccatis debita per fidem in divinas promissiones significet, pronum erat minuere Sacramentorum numerum, eaque tollere, quæ nullam relationem dicunt ad ejusmodi peccatorum remissionem. Quamvis porro in numero Sacramentorum, quem retinere Protestantes constituerunt, magnam ab initio mobilitatem ostenderint, ac modo plura, modo pauciora admiserint (1), demum tamen acquieverunt in numero binario, in baptismo scilicet ac sacra cœna. Omnes sectæ, seu potius frustula ac fragmenta, quæ ex primitivo Protestantismo prodierunt, licet idem principium circa justificationem non admiserint, in binarium tamen Sacramentorum numerum concesserunt, aut omnia potius rejecerunt, magis sibi cohærentes (2).

(1) Lutherus lib. *De capt. Babyl.* fol. 276. b, edit. Jen. 1680, et Melanchthon, *Apol.* v, 167, vii, 200, scribit: *Vere igitur sunt Sacramenta, baptismus, cœna Domini, ABSOLUTIO, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiæ.* Zwinglius matrimonium, Calvinus ordinationem interdum Sacramentis, quæ latius dicuntur, adnumerarunt. Duo tamen primaria nominat Calvinus, *Inst.* lib. iv, 18. Iterum Melanchthon, *Apol.* vii, 200: *Nec multum, inquit, referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerant aliter, si tamen recte conservent res in Scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numeraverunt, etc.* Ex quibus patet, quot quantisque du-

bitationibus novatores laborarent in recensendis Sacramentis! Circa horum novatorum, Lutheri præsertim, instabilitatem in numero Sacramentorum constituendo cfr. præter Bellarm. loc. cit. cap. 22, Starkius in *Convivio Theoduli*, seu *Entretiens philosophiques*, Paris 1818, pag. et seqq.; nec non Doctoris Christophori Besold, *Motiva sui reditus ad Rom. Cath. Ecclesiam elaborata, translata et edita*, per P. W. K. Augustæ Vindel. 1828, *Appendix secunda*, pag. 319 et seq.

(2) Apposite observat Moehler, op. cit. tom. 1, pag. 303 et seq. Juxta principia Novatorum Sacramenta prorsus inutilia evadere; quod et ipsi primi Emendatores Sacrorum viderunt. *Aussi dès le commencement de la réforme,*

Nos igitur avitam fidem de septenario Sacramentorum numero hic primum adstruendam suscipimus adversus sectarios omnes, qui ab ea recesserunt. Sit igitur

PROPOSITIO.

Sacramenta Novæ Legis a J. C. D. N. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, baptismus videlicet, etc.

9. Hæc propositio de fide est, his verbis a Concilio Trid. sess. VII, can. I, definita: *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem,*

scribit cit. auctor, *remarquons-nous une indifférence commune pour les Sacrements; et plusieurs, tels que Carlostad et Schwenkfeld allèrent même jusqu'à les nier d'une manière formelle. Déjà plus d'une fois Luther et Mélancton avaient dit que l'homme ferme dans la foi aux promesses divines n'a pas besoin de ces moyens de salut. Les Sacrements, d'après cela, ne sont nécessaires qu'autant qu'ils sont le gage du pardon des péchés. Mais bientôt Carlostad fit cette observation: Celui qui a la mémoire du Sauveur a la paix avec Dieu par le Sauveur, si le Christ est notre assurance, comment des choses créées et sans âme pourraient-elles nous donner la paix et l'assurance? Sane Melancthon, Loc. Theol. pag. 142: Sine signo, inquit, restitui Ezechias potuit, si nudæ promissioni credere voluisset; vel sine signo Gedeon victurus erat, si credidisset. Ita sine signo justificari potes, modo credas. Lutherus, De captiv. Babyl. fol. 280: Neque enim*

inquit, Deus aliter cum hominibus egit aut agit quam verbo promissionis. Rursus nec nos cum Deo unquam aliter agere possumus, quam fide in verbum promissionis ejus. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines et cum hominibus et nobis ipsis agimus. Ibid. fol. 280, b: Qui eis credit, is implet ea, etiamsi nihil operetur. Multo minus debuisset Calvinus admittere Sacramenta, cum in ejus hypothesi fides sit prorsus inammissibilis. Quid opus est confirmare aut excitare fidem, quæ nec minui nec amitti potest? Hinc etiam intelligimus, quare Zwinglius docuerit, Sacramenta instituta esse ad certiorum potius faciendam Ecclesiam de fide, quam quispiam habet, quam semetipsum: Si enim, (ait ipse, De vera et falsa relig. comm. tom. II, fol. 197-199) fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo ceremoniali ad confirmationem egeat, fides tua non est. Alia cfr. apud Moehler, loc. cit.

Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit. Duo, ut patet, complectitur hic canon, septenarium videlicet Sacramentorum numerum et eorum institutionem a Christo Domino; probationes, quas in medium afferemus ad propositionem evincendam, utrumque conficiunt.

10. Argumenta, quæ veritatem cujusque Sacramenti seorsim sumpti ostendunt, idoneo loco, cum de singulis disceptandum erit, producemus; hic interim, quæ septenarium numerum propius attingunt, eumque evincunt protulisse sufficiat.

11. Jam vero vetustissima Latinorum sacramentalia apud Martenium (1), Græcorum euchologia apud Allatium (2), Armenorum apud Serpos (3), aliarumque orientalium nationum apud Assemanum (4), etsi a Romana Ecclesia pluribus ab hinc seculis fuerint separatæ, septem signa ad gratiam conferendam divinitus institutâ recensent. Miræ vero hujus consensionis non alia ratio afferri potest nisi apostolica traditio, juxta tritam Augustini regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* (5). Augustino præiverat Tertullianus, scribens: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum* (6). Præsertim cum agatur de re usu quotidiano recepta, cujusmodi est collatio Sacramentorum (7).

12. Eadem est fides Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, qui, oblata sibi occasione, modo unum modo alterum Sacramentum recensent. De baptismo et sacra cœna eos passim mentionem

(1) *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, libri quatuor.

(2) *De perpetua occident. et orient. Eccles. consensione*, libri tres; tum in *Græcia orthodoxa*, et alibi.

(3) *Compendio storico di memorie chronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena*, vol. III, Venez. 1736.

(4) In *Biblioth. Orientali*.

(5) *De Bapt. contra Donat.* lib. IV, cap. 24, n. 31.

(6) *Lib. De præscript.* cap. 28, edit. Rigaltii.

(7) Cfr. Renaudot, *La perpétuité de la foi de l'Eglise Cathol. sur les Sacrements*, tom. V, liv. I, ch. I, ubi hoc argumentum egregie evolvit.

facere, adversarii ultro fatentur; sed non minus aperte de confirmatione loquuntur, tanquam de peculiari Sacramento a baptismo distincto, inter ceteros Tertullianus, Cornelius Papa, Cyprianus; de poenitentia disserunt Origenes, Tertullianus et quotquot deinceps sive adversus Montanistas sive adversus Novatianos collatam a Christo Domino Ecclesiæ suæ potestatem omnia dimittendi peccata vindicarunt; Sacramentum ordinis Joan. Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Optatus Milevitanus, Augustinus præcipue, et quotquot præterea adversus Donatistas et Aërium scripserunt, commemorant. Extremæ unctionis Origenes meminit, Victor Antiochenus, Chrysostomus aliique passim. Demum de matrimonio veluti de re sacra et sacramento Ignatius M., Tertullianus, Justinus, Athenagoras ac subsequentes scriptores loquuntur. Singulorum testimonia proferemus ac vindicabimus, cum de singulis sermonem instituemus.

13. Accedit argumentum ineluctabile præscriptionis, cum nulla epocha ab adversariis proferri possit, qua aliquod ex recensitis Sacramentis primum obtinuerit in Ecclesia. cum Patres et monumenta ecclesiastica omnia de iis loquantur tanquam de re communiter recepta et in usu posita, ut ex dicendis luculenter constabit.

14. Cum igitur Romana Ecclesia nullo non tempore septem agnoverit sacramenta, Ecclesiæ omnes per orbem dispersæ septem administraverint, sectæ omnes licet antiquissimæ septem admitterint, et singulorum tradendorum ritus et cœremonias diligentissime recensuerint, cum Patres et monumenta omnia sacræ antiquitatis totidem a Christo instituta præbuerint, concludendum est, septem omnino esse ejusmodi Sacramenta a Christo D. N. instituta, neque plura neque pauciora, prout demonstrandum assumpsimus.

15. Si quis quærat, utrum omnia Novæ Legis Sacramenta fuerint immediate a Christo instituta, an vero quædam solum mediate, respondemus, esse longe verisimilius, omnia fuisse immediate a Christo instituta. Nam de solo Sacramento extremæ unctionis esset dubitandi locus; ast Concilium Tridentinum, sess. XIV. can. I, satis aperte adstruit, ipsum a Christo Domino Nostro institutum

esse et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, licet tamen hoc definitum non sit.

DIFFICULTATES.

16. Obj. prima. 1^o Nuspiam Scripturæ, 2^o nuspiam Patres septem Sacramenta a Christo instituta commemorant. Ergo.

17. Resp. ad 1^m, *Dist.* Id est, nuspiam notis arithmeti-
 Scripturæ *septem* Sacramenta commemorant, ea plane ratione,
 qua nec *duo* nec *tria* enumerant, *conc.*; id est, non tradunt
 unumquodque ex septem Sacramentis, *neg.* Protestantes prius
 privato sensu exponunt Scripturas, et alia omnino ratione su-
 munt, quæ de Sacramentis in Scripturis occurrunt, deinde negant
 septem Sacramenta in Scripturis contineri. Verum enim vero,
 cum hic agatur de re practica, quamque Ecclesia in usu quoti-
 dianio habuit, etiam antequam Scripturæ ederentur, ex sensu et
 usu Ecclesiæ germana interpretatio locorum sacræ Scripturæ, in
 quibus de Sacramentis mentionem occurrere dicimus, eruenda
 est. Cum igitur Ecclesia septem semper administraverit Sacra-
 menta, ac ætates ætatibus ea per manus tradiderint, loca illa
 Scripturarum, quæ Catholici proferunt, de Sacramentis in usu
 receptis mentionem injicere nulla subesse potest dubitatio (1).

18. Ad 2^m, Eadem esto distinctio. Nam nonnisi data oppor-
 tunitate Patres de uno aut altero, quandoque etiam de pluribus
 Sacramentis disseruerunt. Si simul conferantur Patrum testi-
 monia, in quibus aut alicujus Sacramenti virtutem exponunt,
 aut aliquid eorum vindicant ab hæreticorum impugnatione, lu-

(1) Profecto, quum oboritur du-
 bium circa sensum alicujus loci aut
 Demosthenis aut Ciceronis alteriusve
 antiqui scriptoris, in quo sermo sit de
 re practica, quid præstandum docent
 canones critices? Attendendum scili-
 cet esse ad usus, qui in republica aut
 regno invalescebant: ad quos ea dicta
 referuntur; ex his enim usibus, præ-

sertim si constantes sint ac universales,
 determinatur sensus eorundem scrip-
 torum. Non alios canones sequuntur
 adversarii in interpretatione veterum
 scriptorum; at anticipatis judiciis abrepti
 in re nostra viam illam deserunt. Ma-
 lunt nempe hæretici potius esse quam
 critici.

culenter septenarius eorum numerus adstruitur, ut ex dicendis planum fiet.

19. Inst. Atqui septenarium numerum Patres excludunt. Etenim 1^o, si alicubi de Sacramentis ex instituto loquuntur, bina aut terna a Christo instituta affirmant. Sic S. Justinus in *Apologia I^a* solum meminit baptismatis atque eucharistiæ (1). Idem præstitit S. Cyrillus Hierosolym. in *Catechesibus mystagogicis* nec non S. Ambrosius, quamvis sex de Sacramentis libros ediderit ac in lib. VI^o professus sit, se nihil de hoc argumento prætermisisse, dicens : *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia* (2). S. Gregorius M. in suo *Sacramentario* tria tantum recenset : *Baptisma, Chrisma, Corpus et Sanguinem Domini* (3). S. Augustinus vero duo sacramenta constanter adstruit, tum *Enarr. I in Ps. CIII*, 14, ubi referens Sacramenta ob *disciplinam arcani* profanis abscondita, duo tantum profert, dicens : *Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, Sacramentum eucharistiæ. Opera enim nostra bona vident et pagani, Sacramenta vero occultantur illis*; tum lib. III *De doctrina christiana*, cap. IX; ubi Sacramenta N. L. cum Sacramentis V. L. comparans : *Quædam pauca, inquit, pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis et Sanguinis Domini.* 2^o Quod si interdum videtur plura commemorare Sacramenta, latiori quodam sensu ac improprio Sacramenti nomen usurpat S. Doctor, ut patet ex lib. II *De Peccat. merit.* cap. XXVI, scribens : *Catechumenos secundum quemdam modum suum, per signum Christi, et orationem manus impositionis, puto sanctificari; et quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* 3^o Hinc receptum passim apud Patres, ut verba

(1) N. LIV et LXVI.

(2) Cap. II, n. 5.

(3) Apud Gratian. in cap. *Multi se-*

cularium. Cfr. apud Petrum Pitceum, *Corpus juris canonici*, etc. Paris 1687, tom. I, pag. 135.

Joan. XIX, 34 : *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua*, exponant mystice de duobus Sacramentis, baptisate videlicet et eucharistia, quæ ex Christi latere fluxerunt, ut Chrysostomus, Cyrillus Alex. Augustinus. 4^o Unde ergo acceperunt Pontificii, septem esse Sacramenta, nisi ex visione mulieris fornicariæ sedentis super bestiam habentem capita septem et cornua decem, prout hujus mysterii explicationem dedit Angelus, Apocalyp. XVII, 7 est seqq. (1), vel a septem morbis mulieris a Christo sanatæ (2)? Ergo.

20. Resp. *Neg. min. subsumptam.* Ad 1^m prob. *Dist.* Juxta scopum sibi propositum duo aut tria Sacramenta interdum Patres commemorant, *conc.*; sensu, ut ajunt, exclusivo, *neg.* Cum enim Patres nunquam ex instituto egerint de Novæ Legis Sacramentis, factum proinde est, ut, nonnisi quando sese præbebat occasio, de uno vel altero scripserint, quin cetera excluserint, ut jam innuimus; eo magis quod ita ferret recepta tunc temporis arcani disciplina (3).

21. Sane S. Justinus ideo quadam necessitate compulsus meminit baptismatis et eucharistiæ, quia ethnici ex occasione nostrorum rituum calumniam struxerant in Christianos, quod cædes thiesteas frequentarent, ac foeda quæque in clanculariis coetibus suis patrarent. His calumniis Judæorum malitia et flagitiosa Gnosticorum vivendi ratio ansam præbuerunt (4).

22. S. Cyrillus Hierosolym. et S. Ambrosius sibi non proposuerunt in laudatis operibus plenam fidelibus instructionem de omnibus Sacramentis suppeditare; volebant tantum ea docere

(1) Ita Chemnit. II p. *Exam conc. trid.*

(2) Wegsch. § 166, n. (e).

(3) Cfr. Emman. a Schelstrate in *Dissert. apolog. de disciplina arcani* Romæ, 1685, capp. II et III; ubi ostendit, Veteres consuevisse occultare infidelibus et catechumenis non solum Sacramenta Baptismi et Eucharistiæ, verum etiam Sacramenta reliqua; quod speciatim ostendit de Sacramentis Con-

firmationis, Ordinis, Olei Sancti, in medium productis Patrum et ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis. Hanc obtinuisse disciplinam, ex hæreticis fatentur Tentzelius, Albertinius, Casaubonus apud eundem.

(4) De præcipuis Christiano nomini afflictis criminibus, eorumque origine cfr. Maran, *Præfat.* in opera S. Justinii M. part. III, cap. 4, § I et seqq.

catechumenos, quæ spectabant ad tria illa Sacramenta, quæ simul ipsis tradebantur, nempe ad baptismum, confirmationem et eucharistiam. Sane S. Ambrosius, ut refert ejus biographus Paulinus, assiduus erat in excipiendis confessionibus, et potestatem clavium acriter defendit adversus Novatianos (1).

23. S. Gregorius in *Sacramentario* ea potissimum complexus est, quæ pertinent ad sacram liturgiam in celebratione Missæ sollemnis; attamen vel in hoc ipso *Sacramentario* ritum exponit administrationis olei infirmorum. Verba autem, quæ a Gratiano referuntur, spuria sunt (2).

24. S. Augustinus in eadem *Enarrat.* jam dixerat: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis* (3); ergo alia innuit esse Sacramenta proprie dicta præter duo recensita. Quod si plura affirmat fuisse Sacramenta in Veteri Lege quam in Nova, non idcirco consequitur, eum duo tantum agnovisse Sacramenta in Lege Nova. Ideo vero hic baptismum tantum et eucharistiam in exemplum adducit, quia hæc satis erant, ad ostendendam majorem facilitatem Sacramentorum nostrorum præ Sacramentis Veteris Testamenti, prout sibi proposuerat.

25. Ad 2^m, *Dist.* Interdum latiori sensu S. Doctor Sacramenti nomen usurpat, *conc.*; semper, loquens præsertim de iis, quæ nos vere et proprie Sacramenta esse contendimus, *neg.* Etenim, lib. II *Contra Epist. Parmeniani*, ita loquitur de baptismo et ordine: *Utrumque Sacramentum est, et quædam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica (Ecclesia) utrumque non licet iterari* (4); et lib. II *Contra Litter. Petiliani*: *Sacramentum*

(1) Cfr. vita S. Ambrosii, a Paulino ad B. Augustinum conscripta, n. 39, ad calcem opp. S. Ambros. edit. Maur. Cfr. etiam *Admonitio* eorundem editorum Maur. in libros *De Pœnitentia* ejusdem S. Doctoris, opp. tom. II.

(2) Scilicet recitata verba non sunt

S. Gregorii, sed S. Isidori Hispal. *Ori-ginum* seu *Ethymol.* lib. VI, cap. 19, qui certe non loquitur sensu, ut preferitur, exclusivo; alibi enim de aliis Sacramentis disserit.

(3) N. 9.

(4) Cap. 13, n. 98.

chrismatis, inquit, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis* (1), scilicet propter characterem. En duo alia Sacramenta proprie dicta præter baptismum, juxta S. Augustinum. De pœnitentia vero, lib. I *De adulterinis conjugis*, scribit: *Quæ baptismatis, eadem reconciliationis est causa* (2). Matrimonium pariter Sacramentum passim vocat sensu proprio in libro *De Bono conjugali*, atque ita concludit: *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fecunditas uteri* (3). Denique extremam unctionem, lib. V *De Baptismo*, cap. XX, inter Sacramenta recenset, quæ a malis ministris valide conficiuntur, vocatque *benedictionem olei* (4). Quibus si addas eucharistiam, habes septem Sacramenta vere et proprie dicta in S. Augustino.

26. Ad 3^m, *Dist.* Nonnulli Patres, mysticam illam interpretationem ediderunt, quin reliqua Sacramenta excluderent, *conc.*; omnes, et sensu exclusivo aliorum Sacramentorum, *neg.* Aliqui Patres, mysticam significationem sectantes, adumbrata dixerunt duo illa Sacramenta, sive ob analogiam baptismi ad aquam et eucharistiæ ad Sanguinem manantes ex Christi latere, sive quia præcipua hæc Sacramenta sunt; baptisma quidem propter summam suam necessitatem, eucharistia autem ob summam suam excellentiam ac dignitatem. Reliqua Sacramenta Patres citatos noluisse excludere, vel ex eo abunde liquet, quod iidem cetera alibi commemoraverint a Christo Domino instituta. Ceterum alii Patres alias mysticas significationes in aqua et Sanguine agnoverunt, nec ii ipsi in illa expositione constantes fuerunt (5).

(1) Cap. 104, n. 239.

(2) Cap. 38, n. 35.

(3) Cap. 28, n. 21.

(4) N, 27 et 28.

(5) Ita S. Ambrosius, qui *In Luc.* lib. x, n. 135, scribit: *Aqua et Sanguis exivit, illa quæ diluat, iste qui redimat.* S. Augustinus ipse, *Tract. cix in Joan.* n. 2, exponit etiam

de commixtione aquæ cum vino in celebratione Eucharistiæ, dicens: *Aqua illa salutare temperat poculum.* Tertull. lib. *De baptismo.* cap. 16, interpretatur de duplici baptismo aquæ et sanguinis seu martyrii: *Hos duos baptismos, inquit, de vulnere perfossi lateris emisit; ubi cfr. not. Rigalt. De duplici pariter baptismo eundem locum*

27. Ad 4^m, Resp. ejusmodi sannas et scurrilitates dedecere gravitatem controversiæ summi momenti, qualis est ea, quam agitamus. Qui hæc obtrudunt, non advertunt, se inter capita bestiæ connumerare baptismum et eucharistiam. Quo non impellit hæreticus furor?

28. Obj. secunda. Frustra Catholici jactant orientalium Ecclesiarum consensionem. Etenim 1^o notum est, nonnisi post seculum XII cœpisse Latinos septenarium Sacramentorum numerum propugnare. 2^o Porro ea ipsa ætate institutæ sunt a Latinis expeditiones ad orientalis orbis plagas; Constantinopolim, Palæstinam, imo et Syriam occuparunt; a Latinis proinde tum Græci tum orientales populi illam doctrinam mutuati sunt. 3^o Ceterum neque omnes constantes in hac professione fuerunt; siquidem plures missionarii, quos vocant, Græcos accusarunt, quod non omnia Sacramenta admittant. Thomas a Jesu et Guido, Carmelitæ, et Jobus Ludolfus eandem accusationem intentarunt adversus Æthiopes et Abyssinos (1), Maturinus autem Veyssierius Lacrozius adversus Armenos ac Nestorianos Malabaricos (2). Mirum porro non est, ejusmodi gentes unum aut alterum Sacramentum non agnoscere; siquidem ea ætate, qua Latini appulerunt ad oras Asiaticas, nondum satis firmiter constitutus fuerat septenarius Sacramentorum numerus. 4^o Nam Magister sententiarum,

exponit S. Cyrill. Hierosolym. *Cathec.* III, n. 10, dicens: *Qui orbem per Crucem redemit Salvator, latus transfixus Sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore per aquam, alii vero persecutionum temporibus propriis sanguinibus baptizarentur. Nam et martyrium baptismi nomine significare suevit Servator, etc.* Alii alias expositiones secuti sunt. Cfr. Cornel, a Lap. in Joan. cap. 19, v. 34. Cfr. etiam Bellarminus, lib. cit. cap. 27, n. 3.

(1) Jobus Ludolfus, *Historia Æthio-*

pica, Francof. ad Mœnum, 1681, vol. I fol. lib. III, cap. v, n. 44; ubi scribit: *Pergimus ad Sacramenta, quorum (Abyssini) neque commune nomen, neque numerum habent. Confirmationem et Extremam Unctionem plane ignorant.* Ac rursus in op. *Commentarius ad Hist. Æthiop.* edit. ibid. anno. 1691, lib. III, cap. 1, eadem confirmare nititur auctoritate Godigni et Tellezii S. J.

(2) *Hist. Christianismi Indor.* Hagæ Comitum, 1724.

Hugo a S. Victore, B. Bonaventura autumarunt confirmationis et extremæ unctionis Sacramenta ab Apostolis instituta fuisse, vel etiam a Concilio Meldensi, sec. Ecclesiæ IX; ut de confirmatione affirmat Alexander Alensis. Jacobus autem de Vitriaco, Durandus aliique ab ipso adducti matrimonium a Sacramentorum albo excludunt. 5^o Quæ cum ita se habeant, merito Cyrillus Lucaris Patriarcha Constantinopolitanus in fidei professione, art. XV, testatur: *Græcorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum Sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo Legislatore Christo sancita. Ergo.*

29. Resp. ad 1^m, *Dist.* Id est, post seculum XII cœperunt Scholastici conceptis verbis septenarium numerum Sacramentorum propugnare, *trans.*; in Ecclesiam tum primum illum Sacramentorum numerum intulerunt, *neg.* Quemadmodum in reliquis fidei nostræ articulis factum est, ut per scholasticam methodum in certas classes redigerentur ac propugnarentur, id ipsum contigit in fidei articulis de re sacramentaria; at aliud est novam methodum adoptare in tradenda ac propugnanda doctrina catholica, aliud vero novam doctrinam obtrudere. Quomodo enim Scholastici potuerunt primi invehere septem Sacramenta, si extant libri rituales Latinorum et Euchologia Græcorum et Orientalium, quæ longe superant ætatem Scholasticorum, et in quibus septem Sacramenta recensentur, et cujusque administrandi ritus describitur?

30. Ad 2^m, *Neg.* quia 1^o Euchologia Græcorum pluribus seculis Latinorum expeditionem antecedunt (1); 2^o quia summa viget rituum diversitas in administratione Sacramentorum, ob quam frequentes inter Ecclesias orientales et occidentales extiterunt querelæ; 3^o quia spectata Orientalium indole, æmulatione, simultate adversus Latinos, impossibile id ipsis vel tentare fuisset (2).

(1) Satis est oculos conjicere in syl-
labum Ritualium præmissum a Mar-
tenio operi suo *De antiquis Eccles.*
ritibus, ut pateat, plures mss. cod.
longe excedere ætatem, qua expeditio-

nes in Palæstinam sub Urbano II cœ-
perunt, post annum 1088. Cfr. etiam
Renaudotius, *De perpet. Fid.* tom. v,
lib. 1, cap. 7.

(2) Si unquam alias vigerunt si-

31. Ad 3^m, *Neg.* Nam plerumque missionarii aut incertis testimoniis aut rituum diversitate decepti sunt; Ludolphus vero ac Lacrozius, utpote hæretica labe infecti, decipere voluerunt. Ceterum adversus eos omnes prostant publica documenta, quæ omnem dubitationem amoliantur (1).

32. Ad 4^m, *Dist.* Id est, censuerunt illi Scholastici duo recensita Sacramenta non fuisse instituta a Christo immediate, sed solum mediate; nempe per Apostolos, *trans.*; fuisse instituta ab Apostolis auctoritate propria, *neg.* Nihil porro officit fidei illa sententia, quam adhuc tenent quidam Theologi, nec detrahit numero Sacramentorum. Alex. Alensis cum ceteris convenit, confirmationem esse Sacramentum; quod nobis satis est. Quod vero institutam ipsam censuerit in Concilio Meldensi, peculiaris ejus fuit sententia, in qua graviter hallucinatus est; nec quempiam habuit sectatorem (2).

33. Jacobus de Vitriaco et Durandus nunquam inficiati sunt, matrimonium vere et proprie esse Sacramentum, ut suo loco ostendemus; sed tantum voluerunt, matrimonium in remedium concupiscentiæ præsertim fuisse institutum (3). Durandus præterea suam sententiam emollivit, eo quod in aliorum repre-

multates inter Græcos et Latinos, maxime istæ exarserunt hoc ipso tempore, quo Latini Constantinopolim occupabant; eo quod Græci ob eam, quam præ se ferebant, indolem fraudulentam nimium ac versipellem duriuscule a Latinis tractarentur. Cfr. Renaudot. loc. cit.

(1) Cfr. Leo Allatius, *De Eccles. Orient. et Occident. perpetua consens.* lib. III, disputans advers. Anton. Cauticum Archiep. Corcyrensem, nec non Renaudotius, op. cit. cap. I et seqq. Certe Ludolfus plura conatur Abyssinis et Æthiopicis affingere dogmata Lutheranorum propria. Ex quo patet nimia ejusdem Scriptoris propensio in suam sectam.

(2) Nonnulli quærent emollire aut alio vertere mentem Alexandri Alensis; ast irrita labore. Ejus verba in *Summa Theol.* part. IV, q. IX, memb. I, *resol.* hæc sunt: *Institutum fuit hoc Sacramentum (Confirmationis) Spiritus S. instinctu, in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi.* Cfr. edit. Venet. 1575. Digni aliqua venia sunt Scholastici illi, qui ea ætate scripserunt, quæ laborabat inopia monumentorum, quibus nos abundamus.

(3) Cfr. Estius *In lib. IV. Sent. dist.* 26, § 9.

hensionem incurrerit, ut pariter agendo de hoc Sacramento ostendemus.

34. Ad 5^m, Resp. Cyrillum Lucarim, qui sese auro hollandico devoverat, aperte mentitum fuisse, dum hæreticam suam professionem pro confessione Ecclesiæ græcæ obrusit. Hinc jure merito in Synodo Hierosolymitana, anno 1672 celebrata, dicitur: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex apostolica traditione praxique perpetua, septem Ecclesiæ Sacramenta, baptismum scilicet, etc... sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita, baptismum scilicet et eucharistiam.* Eidem Synodo jam præiverat Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus (1). Nunc fraude detecta, ac veritate compulsi, Protestantes ejusmodi patrocinatorem deseruerunt.

35. Obj. tertia. Si Patribus et scholasticis standum esset, plura quam septem deberent admitti Sacramenta. 1^o Etenim alii monasticam professionem et preces pro defunctis oblatas Sacramentis adnumerant, ut Græci passim; alii virginitatem et martyrium, ut Tertullianus, et Hieronymus saltem quoad martyrium; alii aquam lustralem, cineres in capite jejunii benedictos, paschales cereos aliaque ejusmodi, ut Hugo Victorinus; 2^o alii potissimum pedum lotionem, ut SS. Ambrosius et Bernardus. 3^o Et sane huic neque divina deest institutio, nec ritus sensibilis, neque divinæ gratiæ promissio; ut colligitur ex illis Christi verbis ad Petrum, Joan. XIII, 8: *Si non laverō te, non habebis partem mecum.* 4^o Hinc recepta olim ejusmodi lotio in Ecclesia ante baptismi collationem. 5^o Theologi insuper tria passim baptismata distinguere consue-

(1) De hoc Cyrillo Lucari simoniaco, intruso et hæretico Patriarcha Constantinopolitano cfr. Leo Allat. op. cit. lib. III, cap. XI; qui fuse de eo scribit, et Calvinistarum fraudes omnes detegit; ac refert præterea ingentes pecuniæ summas ab iis erogatas tum ipsi Cyrillo Lucari ad extorquendam ab eo

hæreticam confessionem, tum etiam aliis ad ejus revocationem obtinendam ab exilio, in quod fuerat conjectus ob tumultus ac turbas in eundem excitas a contribulibus suis ob hæreticam, quam profitebatur, doctrinam. Cfr. etiam Renaudotius, op. cit. lib. I, capp. 5, 6 et 7.

verunt, fluminis fluminis, et sanguinis; septem etiam ordines tanquam totidem habent Sacramenta. Ergo.

36. Resp. *Neg. antec.*; ad 1^m prob. *Dist.* Analogice seu quoad effectum collatum cum effectu baptismatis et poenitentiae ex dispositionibus eorum, qui aut vota religiosa nuncupant aut virginitatem profitentur aut martyrium subeunt, *conc.*; vere et proprie dictis Sacramentis adnumerant, *neg.* (1). Quod praesertim attinet ad Hugonem Victorinum, quæ recensita sunt, vocat Sacramenta latiori sensu pro *sacramentalibus*, quatenus *salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur*, ut semet fusius explicat (2).

37. Ad 2^m, *Dist.* Significatione, *conc.*; efficacia, *neg.* Ita exponendi sunt SS. Ambrosius et Bernardus, quando lotionem pedum vocant *Sacramentum*, quatenus scilicet significat remissionem peccatorum venialium, superbiae et concupiscentiae coercionem per opus humilitatis, quod per illam ablutionem exercetur; neuter enim affirmavit, remissionem peccatorum per se conferri ejusmodi lotionem. Profecto, si ad hoc instituta fuisset pedum lotio, quotidie frequentaretur in Ecclesia; jam vero non nisi semel in anno, nec ubique usurpatur.

(1) Cfr. Renaudotius, *ibid.* cap. 8; ubi etiam solvit difficultatem petitam ex Dionysio vulgo Areopagita nuncupato, qui visus est aliquibus nonnulla alia numerare Sacramenta; ac ostendit, hunc auctorem tantum agere de ministeriis, quæ ab Episcopis cum solemnitate celebrantur; et solvit, quod sibi objecerat Allatius *loc. cit.*

(2) Cfr. ipse Hugo de S. Victore, *opp. tom. III, Venet. 1588*, tum in opere *De ceremoniis, Sacramentis, officiis*, etc. lib. 1, cap. 12, ubi expresse *septem* esse docet Sacramenta, quæ in Ecclesia ministrantur, de quibus etiam singillatim agit; tum in *Dialogo de Sacramentis legis naturalis et*

scriptæ, ubi fol. 184. *b*, distinguit inter Sacramenta, quæ improprie dicuntur, et ea, quæ proprie talia sunt. Priora affirmat in sola significatione consistere, posteriora in significatione et efficacia. Cum porro docuisset, Sacramenta in tribus consistere, *rebus, verbis, factis*, enumerans res, in quibus potest haberi ratio signi, affirmat esse: *in aqua, in pane, in vino, in sale, in cinere, in oleo, in igne et in ceteris hujusmodi*. Ex his patet, qua ratione hæc dixerit Sacramenta, nempe ratione signi et significationis rei sacræ, ad quam adhibentur. Eadem tradit in tract. *IV, De Sacramentis in generali*, *ibid.* cap. 1, fol. 205.

38. Ita explicantur, quæ scribit S. Ambrosius lib. *De Mysteriis* : *Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur* (1), id est, superbia, concupiscentia, etc., ut exponunt Maurini editores. Item quæ scribit lib. III *De Sacramentis*, cap. I, n. 5 : *Mysterium est et sanctificatio* (2), nempe *dispositive*.

39. Sic cum S. Bernardus in *Serm. de Cæna Domini*, n. 2, ait : *In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus initium Sacramentorum omnium.* Et n. 4 : *Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem.* Cum, inquam, hæc hisque similia ibidem protulit S. Pater, non nisi improprie ac sola significatione Sacramenta esse intendit, prout animadvertit Mabillonius. Quod pariter intelligi debet, cum hanc pedum ablutionem confert cum baptisate et eucharistia, quibus longe diversam efficaciam tribuit, in hoc ipso Sermone, quam tribuerit pedum ablutioni (3).

(1) Cap. VI, n. 32. In quem locum adnotant Maurini editores, citatis S. Ambrosii verbis non significari ipsum originale peccatum, sed concupiscentiam, quæ, quatenus a peccato est et ad peccatum inclinat, ab Apostolo peccatum vocatur. Putavit igitur S. Antistes per pedum lotionem peculiarem gratiam conferri ad resistendum huic *lubrico delinquendi, lubrico calcanei, lubrico hæreditatis*, ut ipse alibi loquitur, et quidem quatenus *majus subsidium sanctificationis* suppeditat ejusmodi fidei ac devotionis exercitium.

(2) In hunc locum cfr. pariter eorundem edit. notæ. Ceterum S. Ambrosius, seu quisquis est auctor horum librorum *De Sacramentis*, de quo vid. præfat. Maurin. fatetur hoc ipso in loco, hanc consuetudinem pedes lavandi

in administratione baptismatis apud Ecclesiam Romanam non obtinuisse. Insuper, ibidem n. 7, subdit hic auctor : *Respondit illi Dominus... qui lavit, etc. Quare hoc? quia in baptisate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.* Ex his magis mens ejus dignoscitur.

(3) Hoc pro certo tenendum est, S. Bernardum noluisse alia Sacramenta

Eodem sensu exponendus Arnoldus, Abbas Bonæ Vallis, Auctor Sermonis de Ablutione pedum, qui sub S. Cypriani nomine olim proferebatur (1).

40. Ad 3^m, *Dist. Non habebis partem mecum* ob inobedientiam, *conc.*; ex defectu pedum ablutionis in se spectatæ, *neg.*

41. Ad 4^m, *Dist. Recepta erat in aliqua particulari Ecclesia, conc.*; in Ecclesia universali, *neg.* Etenim hunc ritum, fatente ipso S. Ambrosio, non servabat Ecclesia Romana; imo nec servabant Ecclesiæ Africanæ, aliæque permultæ. Verum hoc ipso, quod in nonnullis Ecclesiis ante baptismi collationem hic ritus in usu esset, liquet, eum in Sacramentorum album minime fuisse susceptum. Nam baptismus velut Sacramentorum janua semper habitus est.

admittere, quam quæ in Ecclesia Romana agnoscebantur et administrabantur, ac propterea *materialem* pedum ablutionem minime pro vero ac proprie dicto Sacramento habuisse. In quæstionem proinde criticam et exegeticam recidit controversia, quid nempe sibi voverit mellifluus Doctor, dum talia de lotionem pedum scripsit. Alii in alias sententias dilabuntur, cum illius verba explanant. Carol. du Plessis d'Argentré in peculiari opusculo, quod exaravit de hoc argumento, censet, S. Bernardum sub materiali lotionem pedum spiritualem ablutionem quotidianorum peccatorum per confessionem obtinendam designasse. Quod quidem ostendit, 1^o ex scopo S. Patris, inducendi fratres suos ad harum levium noxarum confessionem; 2^o ex disciplina, quæ vigeat adhuc ætate S. Bernardi in Ecclesia, ut fideles graviora peccata confiterentur in capite quadragesimæ, leviora, quæ contrahi poterant toto quadragesimæ tempore, feria v in Cœna Domini; 3^o ex contextu ipso, ex quo patet, S. Do-

ctorem per caput et manus seu brachia intellexisse peccata lethalia, per pedes autem venialia; 4^o ex adhortatione ad frequentandam quotidianam hanc pedum ablutionem, quæ certo de materiali ipsa pedum lotionem intelligi nequit. Ex his concludit cit. auctor, S. Bernardum spectasse *materialem* lotionem pedum, in ultima cœna a Christo institutam, ut figuram spiritualis ablutionis quotidianorum peccatorum per confessionem. Quod si de Sacramentali confessione locutus est S. Doctor, patet, nullam amplius ex ejus verbis peti posse difficultatem. Sed cfr. auctor ipse in op. *Varie disputationes Theologicæ ad opera Martini Grandin.* Paris 1712, pag. 208.

(1) Pamelius ad hæc Arnoldi Abbatis verba: *Ultima lavacri species quotidianis expiationibus commodata*, scribit: *Pœnitentiam haud dubie intelligit; nempe qua (ut paulo post inquit) adherentes animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur.*

42. Ad 5^m, *Dist. Improprie dicta, conc.; proprie dicta, neg.* Baptismata enim flaminis et sanguinis non nisi analogice baptismata dicta sunt; septem vero ordines Sacramenta interdum fuerunt vocati tanquam *partes totius potentialis*, ut loquitur S. Thomas (1), non autem quod habiti fuerint veluti totidem Sacramenta distincta.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EFFICACIA SIVE EFFECTIBUS.

43. Duo recensentur Sacramentorum Novæ Legis effectus, gratia sanctificans et character. Prior competit omnibus Sacramentis, posterior tribus tantum, Baptismo scilicet, Confirmationi et Ordini. Rursum gratia in duobus Sacramentis, baptismo nempe et poenitentia, primo *confertur*, exitialis culpæ labe profligata; eadem mirum in modum per Sacramenta reliqua *augetur*. Invaluit porro usus, ut gratia illa, qua primum justificatio per duo illa Sacramenta confertur, dicatur *gratia prima*; altera vero, qua adeptæ justificatio per Sacramenta reliqua augetur, appelletur *gratia secunda*; vel etiam ut Sacramenta, quibus primum justificatio tribuitur, nuncupentur Sacramenta *mortuorum*; cetera, quibus ejusdem justificationis incrementum confertur, dicantur Sacramenta *vivorum*. Præter gratiam Sacramentis omnibus communem alia quædam singulorum propria distinguitur, quæ *gratia sacramentalis* vocari consuevit, ad peculiarem cujusque Sacra-

(1) *Suppl.* q. 37, a. 1, ad 2: *Divisio Ordinis*, inquit, *non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potentialis, cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius; et ita est hic; tota enim plenitudo Sacramenti hujus est in uno ordine, scilicet sacerdotio,*

sed in aliis est quædam participatio ordinis... et ideo omnes ordines sunt unum Sacramentum. Ad hæc si attendisset Calvinus, minime scripsisset, ex mente Catholicorum hoc Sacramentum esse *Adeo fecundum, ut septem ex se Sacramentula pariat* (*Instit.* lib. IV, cap. 19, § 22). Verum de hoc suo loco.

menti effectum exprimendum. Hæc vero gratia sacramentalis ratione suâ non distinguitur a gratia sanctificante seu habituali; ratione effectus adjicit gratiæ sanctificanti opportunam opem ad *Sacramenti finem* obtinendum.

44. *Character* vulgo definitur: *Signum quoddam spirituale et indelebile in anima impressum*, quo qui insigniti sunt, deputantur ad recipiendum vel tradendum aliis ea, quæ pertinent ad cultum Dei, ut loquitur S. Thomas (1).

45. Utrumque effectum Novatores Sacramentis denegant. Nam 1^o juxta systema superius expositum, gratiæ conferendæ vim fidei soli adscribunt, quæ per Sacramenta excitatur vel nutritur; et ad hunc finem unice instituta esse Sacramenta autumant. 2^o Nullum propterea intrinsecum discrimen agnoscunt inter Veteris et Novæ Legis Sacramenta. 3^o Contendunt, verba, quibus Sacramenta conficiuntur, esse concionatoria, non autem consecratoria. 4^o Invehuntur proinde in illam dicendi formulam, a Tridentinis Patribus adscitam, quod scilicet Sacramenta novæ legis gratiam conferant *ex opere operato*, tanquam in verborum monstrum; calumnianturque Catholicos, quasi docerent, Sacramenta gratiam adultis tribuere *absque bono ipsorum motu*, seu absque dispositionibus. 5^o Denique characterem rident, utpote *Veteribus ignotum, et magis consentaneum incantationibus magicis, quam sanæ Evangelii doctrinæ*, ut loquitur Calvinus (2).

46. Catholici contra, ex opposito principio de fide dispositive tantum justificante, docent, 1^o Sacramentis Novæ Legis inesse propriam quamdam efficientiam vereque suam, seu Sacramenta continere gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre ex vi ipsis a Deo indita atque, ut aiunt, *ex opere operato* (3). Quapropter docent, 2^o esse intrinsecum discrimen

(1) P. 3, q. 63, a. 3.

(2) In *Antidoto Conc. Trid.* Sess. VII, can. 9 et alibi passim; ipsi præi-
verant Wicleffus, *Trialogi* lib. IV, cap. 15; Lutherus, *De captiv. Babyl.* Quos ceteri hæretici secuti sunt; quorum diceria non vacat proferre.

(3) Circa vim hujus locutionis seu dicendi rationis, *ex opere operato*, cfr. Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. I; ubi malam adversariorum fidem detegit in hujus dicti interpretatione, ut absurda affingant catholicæ doctrinæ. Hac enim perpetua fraude hæretici om-

inter Veteris ac Novæ Legis Sacramenta. 3^o Quod consequens est, affirmant, verba, quibus conficiuntur Sacramenta, esse consecratoria, non autem concionatoria; nec tamen ex parte suscipientis, si adultus sit, necessarias dispositiones excludunt, imo plane eas requirunt, cum ex Ecclesiæ doctrina sine ipsis, seu sine *bono motu*, fructus nullatenus percipi possit. 4^o Demum docent, in tribus, quæ recensuimus, Sacramentis imprimi characterem, quo fit, ut ea absque piaculo iterari non possint.

47. Cum igitur totius controversiæ caput, ex quo cetera pendent, quæ spectant ad hanc gratiæ producendæ vim, consistat quoad priorem effectum in efficacia, quam Sacramentis inesse diximus gratiæ conferendæ, in hoc præcipuo capite vindicando operam nostram impendemus.

Hoc enim semel constituto, reliqua, in quibus a catholica doctrina dissident Novatores, sponte veluti sua concidunt. Quare, ad temporis compendium faciendum, ex vindicata Sacramentorum Novæ Legis efficacia reliqua ceu totidem corollaria, quæ ex eo dimanant, colligemus.

48. Permiseri autem non debet dogmatica hæc controversia cum domestica concertatione, quæ in scholis agitur circa modum, quo Sacramenta gratiam producant, utrum scilicet, ut passim Thomistæ contendunt, per efficientiam *physicam*, an vero, ut plerique alii Theologi cum Scotistis existimant, per solam efficientiam *moralem*. Nostrum non est hanc attingere quæstionem. Posterior tamen sententia nobis longe clarior videtur, juxta quam applicatio ritus, quo Sacramentum constat, Deum movet infallibiliter, ut vi datæ a se fidei et factæ institutionis gratiam et characterem recipientibus conferat. Scholastici de hac Sacramentorum efficientiæ ratione fuse disserunt. Qui eam propterea intimius

nes usi sunt. Deinde clare ac nitide exponit sensum hujus formulæ, dicens perinde esse dicere: *Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, ac, conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc insti-*

tutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Id ipsum ceteri Theologi toties declararunt, præsertim Estius, *In IV Sent. d. 1, § 7.* Sed hæretici aures habent, et non audiunt.

cognoscere cupit, eos adeat (1). Nos interim adversus fidei catholicæ osores sequentes propositiones statuimus.

PROPOSITIO I.

Sacramenta Novæ Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

49. Est hæc propositio de fide quoad omnes suas partes, ut constat ex quatuor canonibus Conc. Tridentini, sess. VII, qui ita se habent : Can. V : *Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.* Can. VI : *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Can. VII : *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.* Can. VIII : *Si quis dixerit per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

50. Sic porro veritatem nostræ propositionis adstruimus : Sacramenta Novæ Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque conferunt non ponentibus obicem, et quidem ex opere operato, seu ex virtute sibi insita et propria, si Scripturæ, Patres, ac perpetuus denique

(1) De statu quæstionis cfr. Bellarm. *De Sacram.*, lib. 1. cap. 1. Circa controversiam scholasticam pro sententia de *causa physica* cfr. inter ceteros Drouenius, *De re sacramentaria*, lib. 1, cap. 2; Suarez in 3. part. S. Th. q. 62, disp. 9. sect. 1 et 2, qui tue-

tur sententiam Thomistarum. Pro sententia contraria cfr. Vasquez, in 1. part. S. Th. disp. 176; Card. Lugo, S. J. *De Sacrament.* disp. IV, sect. 5; Frassen O. M., *Scotus Academicus*, tom. III, disput. præœmiali, art. 1, q. 2, concl. 2.

et constans Ecclesiæ sensus ritibus ipsis officiisque exterioribus , quibus Sacramenta conferuntur , gratiam tribuunt hominisque sanctificationem ; atqui... ergo, etc.

51. Etenim Christus , Joan. III , 5 , de baptismo loquens ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto , non potest introire in regnum Dei.* Item Paulus , Ephes. V , 25 : *Christus dilexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea , ut illam sanctificaret , mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ;* atque Ad Tit. III , 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Hinc etiam Petrus , Act. II , 38 , dicebat compunctis Judæis : *Baptizetur unusquisque vestrum.... in remissionem peccatorum ;* et ibid. XXII , 16 , Ananias Saulo : *Exurge , et baptizare , et ablue peccata tua.* Si igitur per baptismum renascimur , mundamur , salvamur , renovamur , remittuntur nobis peccata , imo et abluuntur , dicendum profecto est , hanc ex Scripturis baptismum inesse virtutem , non vero per ipsum fidem tantum excitari ad ejusmodi effectus obtinendos , quod nusquam Scripturæ docent. Id ipsum de ceteris Sacramentis dicatur ; ut cum perhibetur *per manuum impositionem dari Spiritum Sanctum* , nempe per confirmationem , Act. VIII , 17 et 18 , tum *remissionem peccatorum* per poenitentiam , Joan. XX , 23 , aut per Eucharistiam *vitam æternam* , ibid. VI , 55 et seqq. Quibus sane nihil luculentius in rem nostram dici potest.

52. Quare Patres constanter tradiderunt , Sacramenta vigere sanctitate propria et ex sese parere gratiam , ubi suscipiens impedimenta non opponat. Unus vel alter audiatur sive ex Græcis sive ex Latinis. S. Basilius , *Homil. XIII* , affirmat , per baptismum *renovari animam* ; et paulo post : *Baptismus ergo , inquit , est peccati mors , animæ regeneratio , adoptionis gratia* (1). Sed præstat audire Gregorium Nyssenum , qui in *Orat. in Christi baptisma* , non solum ipsum vocat *expiationem peccatorum , remissionem delictorum , renovationis ac regenerationis causam ;* sed præterea subdit : *Aqua cum nihil aliud sit quam aqua ,*

(1) N. 5. Βάπτισμα θάνατος ἀμαρτίας , καλλιγενεσία ψυχῆς.... χάρισμα. Tom. I op. edit. Maur. pag. 117.

superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando et ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans et sciscitans, qua ratione aqua regeneret? Dicam optimo jure ad eum: Ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam (1). Cyrillus Hierosolym. Catech. III, adhortatur catechumenos, ut spectent ad gratiam Sancti Spiritus, quæ una cum aqua datur (2). Græcis Patribus assentiuntur Latini. Nam Tertullianus, lib. De resurr. carnis: Caro, inquit, abluatur, ut anima emaculetur: Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur (3). S. Augustinus, Tract. LXXX, in Joan. Unde, interrogat, ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat (4)? Demum S. Leo M. Serm. VI de Nativ. Domini: Omni homini, inquit, renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio (5). Et ista sufficiant, quæ adeo aperta sunt, ut ea Calvinus nulla alia ratione eludere potuerit, quam affirmando, ea paulo magnificentius a Veteribus scripta fuisse, ac figuras esse

(1) Τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἄλλο τυγχάνον ἢ ὕδωρ, ἀνακαινίζει τὸν ἄνθρωπον εἰς τὴν νοητὴν ἀναγέννησιν, τῆς ἀνωθεν χάριτος εὐλογούσης αὐτό. εἰάν δὲ μοι πάλιν διαστάζων τις καὶ ἀμφιβάλλον πράγματα παρέχη, συνεχῶς ἐρωτῶν καὶ διαπυθιζόμενος, πῶς ὕδωρ ἀναγεννᾷ, καὶ ἡ ἐπ' ἐκείνῳ τελουμένη μυσταγωγία;... λέξω πρὸς αὐτὸν δικαιοτάτα· στήσόν μοι τὸν τρόπον τῆς γεννήσεως τῆς κατὰ σάρκα. καὶ γὰρ σοὶ διηγήσομαι τῆς κατὰ ψυχὴν παλιγγενεσίας τὴν δυνάμιν. Edit. Paris. 1615, tom. II, pag. 803.

(2) Μετὰ τοῦ ὕδατος δεδομένη πνευματικὴ χάριτι. edit. Maur. n. 3. Plura alia in eundem sensum cfr. in hac ipsa Catechesi.

(3) Cap. 8, ubi adnotat Rigaltius: *Strictim hoc loco recensuit, sed apertissime declaravit, baptismum, unctionem, signaculum crucis, manuum impositionem (confirmationem), Eucharistiam.* Cfr. etiam Pamelius in hunc loc.

(4) N. 3.

(5) Cap. 3, edit. Ballerin.

hyperbolicas (1). Quod tamen non est, nisi vanum hæretici hominis effugium.

53. Quod demum spectat ad perpetuum et constantem Ecclesiæ sensum, præter verba Symboli Nicæno-Constantinopolitani : *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*, ipse liquet ex infantium baptismo, qui efficax semper habitus fuit, etsi in infantibus fidem excitare nequeat. Hoc exemplum et praxis Ecclesiæ semper torsit Novatorum ingenium, qui nihil unquam invenire potuerunt ad ejus vim infringendam, cum luculentissimum ac evidens sit testimonium de veritate doctrinæ catholicæ.

54. Jam vero, ut si ex dictis patet, talis est vis Sacramentorum Novæ Legis, ut gratiam contineant eamque conferant ex opere operato non ponentibus obicem, consequitur, 1^o hæc ipsa Sacramenta intrinsece et quoad efficaciam a Sacramentis Antiquæ Legis differre, non solum autem extrinsece, ut Novatores contendunt. Hinc jure sanxit Concilium Trident Can. II : *Si quis dixerit, ea ipsa Novæ Legis Sacramenta a Sacramentis Antiquæ Legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi, anathema sit* (2). Consequitur, 2^o verba, quibus conficiuntur Sacramenta, consecratoria, non autem concionatoria esse, ut adversarii assumunt cohærenter ad suum systema de fide, quæ per Sacramenta excitatur ac nutritur. Consequitur, 3^o non omnia Novæ Legis Sacramenta esse inter se paria, nec esse ad salutem superflua, prout ex eodem suo principio deducunt Novatores, secus ac definivit eadem Tridentina Synodus, Can. III : *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione*

(1) *Instit.* lib. IV, cap. 14, § 26. En integra ejus verba : *Fortè miseros istos Sophistas (Catholicos) deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud Veteres leguntur. Quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantum promit-*

tebant, nostra vero dant salutem. Has et similes dicendi figuras, quum non animadverterent hyperbolicas esse, et ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.

(2) Circa sensum hujus canonis sessionis VII^m vid. quæ postremo capite in scholiis dicemus.

aliud sit alio dignius, anathema sit; et Can. IV: Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. Ex uno enim eodemque principio hæ consecutiones a Conc. Tridentino proscriptæ profluunt; quod si subvertitur, et istæ evanescant necesse est, quin opus sit diutius in his refellendis operam impendere.

DIFFICULTATES.

55. Obj. prima. 1^o Scripturæ soli fidei justificandi virtutem tribuunt, non autem aut baptismati aut aliis Sacramentis. Ita, Act. XV, 9, Petrus loquitur: *Nihil (Deus) discrevit inter nos et illos (gentiles), fide purificans corda eorum;* qui præterea, I Ep. I, 23 et seqq. de fidelibus scribit: *Renati... per Verbum Dei vivi et permanentis in æternum... Hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos;* et iterum, ibid. III, 21: *Salvos facit Baptismus, inquit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per Resurrectionem Jesu Christi.* Quare et Jacobus, Epist. I, 18, scribit: *Genuit vos verbo veritatis.* Neque ab his discrepat Paulus, qui non solum, Hebr. X, 38, universim pronunciat: *Justus ex fide vivit,* sed præterea, Rom. X, salutem et justitiam adscribit verbo fidei, quod prædicatur; sic etiam, Ephes. V, 26, mundandi virtutem, quæ lavacro inest, tribuit *verbo vitæ*, id est, verbo doctrinæ, ut exponit Hieronymus. 2^o Neque id diffiteri possunt Catholici, si sibi constare velint; cum et ipsi admittant, solum Deum esse auctorem gratiæ, 3^o et effectus Sacramentorum a dispositionibus suscipientium pendere. Ergo.

56. Resp. ad 1^m, *Dist.* Scripturæ justificandi virtutem tribuunt soli fidei tanquam primæ dispositioni, a qua dispositiones reliquæ atque ipsa justificatio pendent, *conc.*; tanquam causæ formali ipsius justificationis, *neg.* Etenim *fides*, ut loquitur Tridentinum, *est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et*

ad filiorum ejus consortium pervenire (1). Exinde responsio patet ad omnes adductos textus aliosque ejusmodi, qui proferri possent; nisi enim præcessisset prædicatio doctrinæ evangelicæ, eique per divinæ gratiæ adjumentum illi, quibus nunciata est, pronas aures præbuisent, assentiendo pio credulitatis affectu, neque tingi potuissent neque ad salutem pervenire. Huic proinde fidei tum baptismatis tum aliorum Sacramentorum effectum tanquam necessariæ dispositioni adscribunt Apostoli citatis verbis (2).

57. Ad 2^m, *Dist.* Admittunt Catholici, Deum esse auctorem gratiæ ejusque causam efficientem, qui eam conferat per Sacramenta tanquam per causam instrumentalem et secundariam, *conc.*; ad horum exclusionem, *neg.* Deus enim gratiam et sanctificationem communicat per Sacramenta velut per signa practica aut instrumenta.

58. Ad 3^m, *Dist.* Effectus Sacramentorum in doctrina catholica pendet a dispositionibus tanquam conditionibus, quibus indiget quælibet creata causa, utut activa, ad agendum, *conc.*; pendet a dispositionibus tanquam vim ipsam causæ conferentibus, *neg.* Quid enim actuosius est igne? Nisi tamen ad ipsum ligna arida admoveantur, non exerit ignis activitatem suam; nec tamen dici potest, ligna vim urendi igni conferre (3).

59. Inst. primo. S. Augustinus, *Tract. LXXX in Joan.* n. 3, allata Scripturarum eloquia ita exponit, ut a sola fide vim justificandi in Sacramentis repetat. Sane expendens S. Doctor Christi dictum, Joan. XV: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, scribit 1^o: *Quare non ait: mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat?*

(1) Sess. vi, cap. 8.

(2) In eo decipiuntur adversarii, quod simul permiscunt conditionem *necessariam*, sine qua non obtinetur ab adultis effectus Sacramentorum, cum causa formali ejusdem effectus. Hæc conditio consistit in prærequisitis dispositionibus,

quarum prima fides est, a qua ceteræ gignantur ac proveniunt. Hac sublata verborum anbage, omnis difficultas evanescit, et omnia Scripturarum testimonia facile intelliguntur.

(3) Cfr. Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 9.

Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.... Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia, si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Unde in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum; et in Epistola sua B. Petrus: Sic et vos, inquit, baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo sine dubio, ut mundare possit consecratur et baptismus. Christus quippe, nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat: Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Ergo juxta S. Augustinum Scripturæ verba de sola fide justificante accipi debent; ergo verba sacramentalia non consecratoria, sed concionatoria sunt ad excitandam fidem.

60. Resp. *Dist. antec.* In adultis a fide tanquam dispositione seu conditione, *sine qua* Sacramenta vim justificandi non habent, *conc.*; a fide tanquam causa formali justificationis, *neg.* Non aliud est propositum S. Augustini in hoc loco, nisi ut necessitatem fidei ex parte adultorum suscipientium baptismum commendet. Quoad parvulos autem fidem Ecclesiæ, cujus auctoritate baptizantur, satis esse docet; quod paulo infra videbimus.

61. Quo melius mens S. Augustini in objecto sermone dignoscatur, juverit per partes ipsius verba explanare, ut superstructis adversariorum argumentis planior responsio fiat.

62. Ideo a S. Doctore adducuntur Christi verba: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, ut inde conficiat, sine effectu percipi Sacramentum baptismi ab adultis, si non præcedat in eis, vel saltem comitetur fides in Christi do-

ctrinam, quæ complectitur ipsa verba, quibus Christus Sacramenta Ecclesiæ instituit; ut patet ex Joan. III, ubi Nicodemum sic allocutus est : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. atque ex Matth. ult. ubi deinde baptismi legem promulgavit, Apostolis præcipiens : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc.

63. Subdit porro : *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum*; id est accedente formula a Christo præscripta in collatione baptismi Sacramentum conficitur. Sane hoc verbum, quod accedit ad elementum, ex mente S. Augustini esse formulam baptismi : *Ego te baptizo*, etc. conceptis verbis tradit S. Doctor, *De baptismo, contra Donatistas*, lib. III cap. XV et alibi (1). Neque ulla ratione concio seu prædicatio evangelicæ doctrinæ dici potest verbum, quod *accedat* ad elementum. 1^o Quia concio præcedit baptismum, non vero ad ipsum accedit; 2^o quia in infantium baptismo prorsus omittitur; 3^o quia, detracto verbo concionis, adhuc aqua baptismi collati *in nomine Patris*, etc. non est tantum aqua, sed sacra aqua et sacramentalis, ut recte observat Bellarminus (2); 4^o denique quia alioquin hæreticorum concio, in qua ipsi veram Christi doctrinam blasphemant, esset verbum, quod accedens ad elementum faceret Sacramentum; quod est absurdum.

64. Sed ne quis sibi in animum induceret, baptismi verba per se mundare, etiam si nulla adsit fides ex parte suscipientium, addit S. Augustinus : *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* ac si diceret : Ne tamen putetis, prolationem verborum, quibus Ecclesiæ ministri in baptizando utuntur, ad mundationem animæ sufficere. Nisi enim is, qui baptismum suscipit, credat in Christum juxta verbum fidei, quod Apostoli prædicarunt, atque adeo firma fide persuasus sit, in materiali sono verborum, quibus aqua consecratur, divinam virtutem inesse

(1) N. 20, ubi ita scribit : *Quamobrem si evangelicis verbis : In nomine Patris*, etc. *Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramen-*

tum. Cfr. etiam ibid. cap. 14.

(2) *De Sacrament.* lib. 1, cap. 20, n: 3.

(*nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, ut ibidem ait*), spiritalis mundationis effectum non recipiet. Ex fide igitur, quam verbo Dei habemus, mundatio animæ pendet.

65. Quod si parvulos baptizatos objicias, respectu eorum fides Ecclesiæ sufficit, cujus auctoritate baptizantur. *Hoc verbum fidei, inquit, tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam* (seu ut alii legunt (1) *per ipsum*) *credentem, offerentem, benedicentem, tinguentem, etiam tantillum, mundet infantem*; quæ verba omituntur ab adversariis. Quibus ita explanatis, sic jam juxta scholasticas formulas respondemus argumentis inde confectis ab adversariis.

66. Primo aiunt: S. Augustinus cit. loc. asserit, a se mentionem fieri ejusdem verbi, de quo Dominus ait: *Jam vos mundi estis propter verbum*, etc.; atqui his dictis verbum evangelicum significatur; hæc enim genuina est sententia verborum Christi: *Jam vero mundi estis, quia sermonibus meis fidem adhibuistis*. Ergo. 2^o S. Augustinus præterea de illo verbo, quod mundat, *non quia dicitur, sed quia creditur*, ait: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus*, etc.; atqui verbum fidei, quod Apostoli prædicabant, in sermonibus Christi seu evangelica prædicatione versabatur; ergo S. Augustinus ibi non agit de singularibus verbis, quæ sint forma Sacramenti.

67. Ad 1^m, *Dist. min.* Verbum evangelicum significatur, quatenus complectitur et formam a Christo præscriptam et efficaciam Sacramentorum, *conc.*; secus, *neg.*

(1) In edit. Theologorum Lovaniens. Antwerp. 1576, legitur *per ipsam*; Maurini legunt *per ipsum*. Utraque lectio veram sententiam exprimit. Notandum tamen est, hic a S. Augustino fidem, quam necessariam esse dicit in ministris ad baptizandum, non aliam intelligi nisi eam, qua pro certo habeant, eum ritum, quem ut Ecclesiæ

ministri conferre intendunt, ab Ecclesia catholica, cujus auctoritate agunt, ut sacrum et divinitus institutum haberi; nisi enim id crederent aut parentes aut ministri, nemo esset, qui aut traderet infantes baptizandos, aut qui baptismum conferret; seu requirit, uti nos dicimus, ut conferant cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

68. Ad 2^m, *Dist. maj.* Verbum, quod mundat, quia creditur, appellatur a S. Augustino verbum fidei, quod Apostoli prædicabant, *ratione objecti*, et quia partem constituit verborum Christi, quibus suscipientes baptismum fidem adhibere debent, *conc.*; aliter, *neg.* Sic corruunt etiam ceteræ conclusiones adversariorum (1).

69. Inst. secundo. Attamen S. Augustinus, 1^o *De Trin.* lib. XV cap. XXVI, n. 46, *negat*, ab Apostolis datum esse Spiritum Sanctum, licet Sacramenta administrarent. 2^o Quod si infantes non credunt ex se, credunt tamen fide Ecclesiæ, ut rursum idem S. Doctor affirmat, *Cont. Julian.* lib. VI. 3^o Quare Apostolus nullum agnovit discrimen inter Sacramenta Veteris et Novæ Legis. Etenim, I Cor. X, 1 et seqq. : *Patres nostri*, inquit.... *eamdem* (nobiscum) *escam spiritalem manducaverunt*. Cum vero comparisonem eo loci instituat inter Christianorum et Judæorum scelera, quibus spiritalis esca subsidio non fuit, ne a Deo punirentur, ut apta esset comparatio, oportuit ostendere, nihil esse inæqualitatis inter nos et ipsos in iis bonis, quibus falso gloriari nos vetabat. Ergo in Sacramentis pares nobis eos facit S. Paulus (2). 4^o Quod probe novit S. Augustinus; qui in *Tract. I in Joan.* paria esse docet Veteris et Novi Fœderis Sacramenta. 5^o Nec alia est ceterorum Patrum sententia, qui Sacramenta vocant *signa*, *sigilla*, *symbola*, *pignora*, etc. gratiæ nempe per fidem adeptæ. Ergo.

70. Resp. ad 1^m, *Dist.* Negat S. Augustinus ab Apostolis datum esse Spiritum Sanctum virtute propria, eo modo quo datur a Patre et Filio, *conc.*; negat datum esse ab ipsis ut causa ministeriali, *neg.* Mens S. Augustini patet ex contextu (3).

(1) Cfr. de hoc S. Augustini textu Bellarm. loc. cit. necnon Carol. du Plessis d'Argentré in opusc. *Genuina S. Augustini de verbo fidei*, etc. cit. pag. 205 et seqq.

(2) Ita Calvin. *Instit.* lib. IV, cap. 14, § 23.

(3) En integrum textum : *Quomodo*

ergo Deus non est, qui dat Spiritum S. ? Immo quantus Deus est qui dat Deum ? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum.

Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Ubi

71. Ad 2^m, *Dist.* Ut baptizentur, *conc.*; ut justificentur ea fide sine baptismo, *neg.* Infantibus enim ex eodem S. Augustino : *Credere est baptizari, non credere autem est non baptizari* (1).

72. Ad 3^m, *Neg.* Ad prob., *Dist.* Si a simili argumentatus ibi esset Apostolus, *conc.*; si a minori ad majus, *neg.* Eo enim redit Apostoli sententia : Si illi, qui male *signis et figuris* usi sunt, perierunt, quanto magis peribunt, qui male utuntur *re et figurato*? Nam ibidem subdit S. Paulus : *Omnia in figuris contingebant illis* (2).

73. Ad 4^m, *Dist.* Quoad significationem, *conc.*; quoad rem significatam, *neg.* Hinc, *In Ps. LXXIII*, n. 2. scribit : *Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

74. Ad 5^m *Dist.* Patres vocarunt Sacramenta *signa* practica, *conc.*; speculativa, *neg.* Vel etiam appellarunt *sigilla, symbola pignora*, etc. *Dist.* Gratix adeptæ vel adipiscendæ per hæc eadem Sacramenta, *conc.*; adipiscendæ per fidem, *neg.*

75. Inst. tertio. 1^o Saltem hæc formula : *ex opere operato*, barbara est et contra grammaticæ leges (3). 2^o Eo magis ea est a Sacramentis removenda, quod pium motum omnemque dispositionem a suscipiente excludat. Ergo.

aperte loquitur S. Doctor de Sacramento confirmationis, quod per orationem et manus impositionem confertur. Ex eo autem quod Christus miserit seu dederit Spiritum S. die Pentecostes, colligit S. Doctor ipsius Christi divinitatem.

(1) *De peccati. mer. et remiss.* lib. 1, cap. 27, n. 40 : *Quis autem nesciat, inquit, credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?* Cfr. Bellarm. op. cit. lib. 1, cap. 20, n. 23 et seqq. qui nitide exponit, qua ratione intelligi debeat, quod vulgo dicitur : *Necesse est, ut infans baptizetur in fide Ecclesiæ, vel in fide parentum; non quatenus re-*

quiratur fides actualis, ita ut sine illa baptismus infructuosus sit, sed quatenus de facto, si nullus esset fidelis, nullus moveretur ad baptizandum infantes.

(2) Cfr. Bernard. a Picon. in hunc loc.

(3) Ita Calvin. in *Antid. Conc. Trid.* sess. VII; Kemnitiuss vero in *Examin.* II. part. p. 115, addit, Concilium, cum hoc verbum protulit, non servasse inviolatam verborum formam, quam teneri jubet Apost. II Timoth. 1, 13, eo quod sit contra grammaticæ leges assumere *operatum* in sensu passivo; ita illi nugantur!

76. Resp. ad 1^m, *Dist.* Quæ tamen aptissima est ad omne efugium hæreticorum præcludendum, *conc.*; in se, *trans...* *Non requirenda aurea vel argentea clavis* (uti apposite in simili casu reponerat Vincentius Lupoli (1)), *quæ aperiendo sit impar; desideranda ferrea vel etiam lignea, modo ad aperiendum claudendumque idonea videatur.* Cum itaque formula hæc puram fidem exprimat, satis est, etsi ad puram phrasim non sit exacta (2).

77. Ad 2^m, *Neg.* Hæc enim est mera calumnia, a Tridentinis Patribus, sess. VI, de justificatione et alibi passim depulsa, et a qua nos liberant doctiores ipsi Protestantes, Fabricius (3), Grotius (4), Leibnitzius aliique. Nobis satis sit, hic subjicere verba Leibnitzii: *Interim, inquit, ut gratia Sacramenti suscipiatur, animam susipientis bene constitutam esse necesse est, ne obeæ ponatur; et ita aliquod opus operantis (hoc est, status susipientis) est requisitum operis operati* (5).

(1) *Juris Eccles.* tom. III, cap. I, § 3.

(2) Cfr. Bellarm. *De Sacrament.* lib. II, cap. I, n. 9; ubi observat, in Ep. ad Hebr. XIII, 16, contra grammaticæ legem accipi passive *promeretur*: *Talibus enim hostiis promeretur Deus*; et S. Augustinum maluisse dicere *ossum, ossi*, quam *os, ossis*, ut facilius intelligeretur: *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi* (*Enar. in Ps. cxxxviii*). Mirum est, Oberthur, in *Idea Biblica Ecclesiæ Dei*, Salisbaci, 1822, p. I, ubi agit de Sacramentis, nusquam docere, Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*. Ast plura habet hic auctor, quæ potius Protestantium quam Catholicorum doctrinam præ se ferre videntur.

(3) Joan. Fabricius in *Consideratione controversiar. quæ Evangelicos inter et Romano-Catholicos Reformatosque*

agitantur, Helmstadii, 1705, in art. *De Sacrament. N. L. efficientia ex opere operato*, relata accusatione Confessionis August. art. 13, Kemnitii et Gerhardi, quod Pontificii asserant: *Sacramenta valere et efficacia esse sine bono motu utentis; adeoque sine fide*, profert plures scriptores Protestantes, qui Catholicos ab hac criminatione purgant, inter ceteros ipsum Kemnitium, qui tradit hanc sententiam esse *quorundam duntaxat Scholasticorum, Callixtum, Fabricium, Danhaver, Carpzovium, Forbesium, etc.* ac ingenue fatetur, post datam declarationem Alphonsi et Bellarmini illam phrasim admitti posse, nec ullam amplius superesse controversiam.

(4) *Adnotat. ad consult. Cassandri*, art. XIII.

(5) In *System. Theolog.* pag. 212 et seqq.

PROPOSITIO II.

In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt.

78. De fide hoc est, ut constat ex can. IX Conc. Tridentini, his verbis expresso : *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

79. Licet vero hæc veritas satis aperte significetur in Scripturis, omnem tamen firmitatem suam mutuatur potissimum ex constanti traditione et Ecclesiæ sensu.

80. Ac primo quidem significatur in Scripturis; etenim, II Cor. I, 22, scribit Apostolus : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (1); seu juxta græcum textum : *Unxit nos, qui, et obsignans nos, dedit pignus, etc.*; tum Ephes. I, 13 : *In quo (verbo veritatis) et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*; tum ibid. IV, 30, ubi eos hortatur, ne velint *contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo (inquit) signati estis in diem redemptionis.* Quibus verbis Paulus cum *unctionem* ab *obsignatione* distinguat, et asserat fideles post auditum veritatis verbum conceptamque fidem *signatos fuisse*, non obscure baptismi illic et confirmationis *sigillum* et *characterem* denotat (2).

81. Deinde ex constanti traditione firmissime hæc veritas constat. Hujus testes sunt Patres, quorum auctoritates diligenter collegit Trombellius (3). Etenim ex Patribus alii docent, per baptismum imprimi *sigillum sanctum, indelebile*, ut Chrysosto-

(1) Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δόσ τοῦ ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν.

(2) Hoc magis constabit ex eo, quod Patres omnes, qui commemorant cha-

acterem, in ejus confirmationem proferant hæc Apostoli dicta.

(3) *De Bapt.* tom. v, diss. xv, p. III, q. III, cap. I, et *De Confir.* tom. I, diss. IV, sect. II, cap. I.

mus (1), Cyrillus Hieros. (2), Basilius (3), Epiphanius (4), Gregorius Nazianz. (5); atque hujus exempla petunt vel a nota sanguinis, qua Hebræorum domus in Ægypto fuerunt insignitæ, vel a circumcissione, qua Abrahami soboles a reliquis gentibus secernebatur, vel denique a militari tessera; alii vocant *signaculum spirituale*, ut S. Ambrosius (6); alii demum conceptis verbis *characteris* nomen prædicant, ut Augustinus passim, præsertim vero *Tract. VI in Joan.* n. 16, scribens: *Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur; character est Regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem* (7).

(1) *Homil. II in Epist. ad Ephes.* n. 2, ubi scribit: Ἐσφραγίσθησαν καὶ οἱ Ἰσραηλῖται, ἀλλὰ περιτομῇ, κατὰ πρὸς τὰ βροσκήματα, καὶ τὰ ἄλογα. *Signati fuerunt etiam Israëlites, sed circumcissione sicut pecora et bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filii, Spiritu.* Similia scribit, *Hom. III, in Epist. ad Cor.*

(2) *Catech. III, n. 3.* Ἐνάπιον μυριάδων στρατιῶν ἀγγέλων μέλλει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σφραγίζειν ὑμῶν τὰς ψυχὰς. *Multis, inquit, angelicorum exercituum myriadibus præsentibus Spiritus S. animas vestras obsignaturus est.* In quem locum cfr. not. Touttei, qui ostendit, tum hic tum aliis in locis, quæ citat, S. Doctorem loqui de characterem proprie dicto, atque confirmat ex doctrina aliorum SS. Patrum.

(3) *Hom. III. in S. Bapt.* n. 5, vocat baptismum *Sigillum, quod conatu nullo frangi potest.* Σφραγὶς ἀνεπιχείρητος. Vid. etiam *ibid.* n. 4.

(4) *Hæres. V, edit. Petav.* n. 6: Ἐκεῖ γὰρ ἡ περιτομὴ σαρκικὴ... ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τοῦτέστι τοῦ βαπτίσματος τοῦ... σφραγίσαντος ἡμᾶς εἰς

ὄνομα Θεοῦ. *Nam illic corporis præscripta circumcissio est... quoad ingens est illa circumcissio subsecuta, baptis-mus videlicet, quo... in Dei nomine signamur.*

(5) *Orat. XI, n. 4.* Huic adde S. Greg. Nyss. *Orat. de pœnit.* tom. II, pag. 168.

(6) *De Spir. S. lib. I, cap. 6, n. 78 et 79.* Sub quo posteriori numero hæc præclare scribit in rem nostram: *Signati ergo Spiritu a Deo sumus... Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam, etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem.* Hoc autem testimonio refellitur Bingham, qui, vol. IV *Origin. Eccles.* lib. XI, cap. I, § 7, negat, a Veteribus characteris nomine fuisse significatam internam qualitatem ceu spiritualem virtutem a baptismo distinctam et animæ impressam.

(7) Plura alia ejusdem S. Doctoris testimonia cfr. apud Trombelliam, *De*

82. Pro certo dēnum semper habitum est apud omnes, characterem imprimi peccatoribus ad ejusmodi Sacramenta accedentibus, cum sit gratia gratis data; ideoque Augustinus affirmat, manere eum etiam in apostatis et schismaticis: *Sed unde damnantur, non unde coronentur.* Atque hinc factum est, ut hæc tria Sacramenta nunquam iterari potuerint aut possint, prout constanter Ecclesia docuit; neque id diffitebantur ipsi Donatistæ (1).

DIFFICULTATES.

83. Obj. prima. 1^o Ex Scriptura characteris doctrina evinci nequit, cum adducta loca alio omnino sensu exponi possint, de interiori nempe Spiritus Sancti gratia. 2^o Patres eamdem doctrinam penitus ignorarunt. Quod si eorum aliqui characterem nominant, eo nomine vel significant *signaculum visibile* seu ipsam Sacramenti collationem, vel *fidei professionem*. Ut S. Augustinus, qui in *Serm. ad plebem Ecclesiæ Cæsariensis*: *Ego, inquit, attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Iste est character imperatoris mei. De isto caractere militibus suis, vel potius commilitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit, dicens: Ite baptizate gentes in nomine, etc.* (2). Ergo ex S. Doctore ipse baptismus collatus in nomine Trinitatis est character, quin alium quæramus. Pergit præterea ibidem S. Augustinus: *Si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret; ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem.* Porro

Bapt. loc. cit. Cfr. præterea Joan. Morinus, *De sacris ordination.* p. II, sect. III, cap. 2, § 1 et seqq.

(1) Nam Donatistæ, perinde ac S. Cyprianus aliique, qui contendebant, rebaptizandos aut ab hæreticis aut a peccatoribus ablutos, non ex amissione baptismi semel rite collati id faciendum

autumabant; sed ex eo quod nullum omnino ac irritum et icane censuerint baptismum sive ab hæreticis sive a publicis peccatoribus collatum. Hinc valde abhorrebant hi omnes a *rebaptizantium* nomine.

(2) N. 2.

quod exterminari, deleri aut aboleri potest, externum ac visibile est; atqui talis est character ex mente S. Augustini. 3^o Quod si res deducatur ad Scholasticos, clarius adhuc patebit ejusdem doctrinæ novitas. Alii enim de characterе penitus siluerunt, ut Magister Sententiarum; alii contenderunt characterem non esse nisi *ens rationis*, ut Durandus; alii inficiati sunt, ex Scriptura et Patribus characterem ostendi posse, ut Scotus, qui professus est, se ejus existentiam solum admittere ex auctoritate Ecclesiæ, et quidem non valde antiqua, subdit Cajetanus. 4^o Et recte id quidem, cum ipsum omnium primus in Ecclesiam invexerit Innocentius III. 5^o Plures proinde Theologi in Concilio Tridentino, ut refert Card. Pallavicinus (1), volebant, ut articulus de characterе tanquam *probabilior* adstrueretur; nec nisi opera Seripandi factum est, ut articulus de fide declaratus fuerit. Ergo.

84. Resp. ad 1^m, *Dist.* Characteris doctrina ex sola Scriptura evinci nequit, *trans.*; ex Scriptura per sensum traditionalem exposita, *neg.* Jam vero nullus est ex Patribus, qui adstruunt characterem imprimi, qui uno vel altero ex adductis Scripturarum testimoniis non nitatur, vel saltem iis eam doctrinam non communiat.

85. Ad 2^m, *Neg.* Etenim nos contrarium productis eorum testimoniis ostendimus. Falsum præterea est, Patres characteris nomine designasse *signaculum visibile*. Ut constat 1^o ex antithesi ab iis instituta inter circumcisionem, quæ in corpore, et characterem baptismi, qui in anima imprimitur; 2^o ex eo, quod aperte dicant, hoc signaculum esse *spiritale et invisibile*; ex quo versutia Binghami deprehenditur, qui hæc obtrudit (2).

86. Quare ad primum testimonium S. Augustini, qui collationem baptismi in nomine SS. Trinitatis vocat characterem, *Dist.* Sumpta causa pro effectu, *conc.*; ipsum formalem characterem, *neg.* Cum invocatio SS. Trinitatis sit ratio, quare imprimatur character, ideo S. Doctor, causam pro effectu sumendo, scribit illam invocationem esse characterem imperatoris sui, non quod illam invocationem aut fidem characterem ipsum esse censuerit. Invo-

(1) Lib. iv, cap. 5.

(2) *Origines*, etc. loc. cit.

catio enim illa transit, et fides etiam interdum amittitur; character autem indelebilis juxta S. Augustinum perseverat etiam in iis, qui foras exeunt, veramque fidem amittunt. Hinc ibid. præmiserat: *In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris.*

87. Ad alterum vero, quod ex Augustino objicitur, *Dist.* Id est, pro nullo haberet S. Doctor baptismum in hypothese impossibili, quod collatus esset in nomine et auctoritate Donati, *conc.*; secus, *neg.* Omnes enim locutiones, quas hic sensu figurato conguessit S. Augustinus, eo tendunt, ut significet nullum fore baptismum, quod conferretur in nomine et auctoritate Donati; cum unius Dei sit, tum gratiam infundere, tum characterem imprimere.

88. Ad 3^m, *Neg.* Etenim Petrus Lombardus seu Magister Sententiarum prius implicite meminit characteris, dum negavit tria illa Sacramenta iterari posse, quia juxta Augustinum *quodam consecratione dantur* (1). Deinde etiam explicite, dum nominat *Characterem spirituales Ordinis* (2). Ceteri autem Scholastici prolixas disputationes de ejusdem characteris natura instituunt.

89. Durandus solum contendit; characterem nihil reale præferre, sed tantum relationem rationis, seu denominationem externam, qua homo deputatur ad aliquid agendum vel recipiendum (3). Pro certo igitur habebat existentiam characteris; alioquin in ejus essentiam minime inquisivisset.

90. Scotus pariter, admissa characteris existentia, vult, ipsum consistere in quadam relatione reali extrinsecus in animam ad-

(1) Part. IV, dist. VIII, ubi agens de confirmatione, scribit: *Nec debet iterari, sicut nec Baptismus, vel Ordo; nulli enim Sacramento facienda est injuria, quando non iterandum iteretur... Nam de Baptismo et Ordine, quod non debeant iterari, aperte Augustinus dicit. Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione da-*

tur, illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur... Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est. Cfr. Estius, In IV sent. dist. 1, § 20 et 21.

(2) Ibid, dist. XIII.

(3) Ejus sententia cfr. apud Vasquez, in 3 part. S. Thom. disp. 134, cap. 2, ubi eam refellit.

veniente velut effectu Sacramenti (1). Dum igitur affirmat se characterem admittere ob Ecclesiæ auctoritatem, hoc ipso innuit, ex divina revelatione ejusdem existentiam constare, cum Ecclesia non aliam doctrinam tradat præter eam, quam a Christo et Apostolis didicit.

91. Cajetanus in eam venit sententiam, quod falso putaverit, quæstionem rebaptizantium ortam esse ex nondum satis constituta in Ecclesia doctrina de characterem. At non leviter in hoc deceptus est. Omnes enim, non exceptis ipsis Donatistis, unitatem baptismi agnoscebant. Controversia igitur tantum agitabatur de valore baptismi, aut extra Ecclesiam collati, aut administrati a pravo ministro. Hinc non sine stomacho a se repellebant veluti calumniosam *rebaptizantium* denominationem. Ceterum hæc etiam verba, inter cetera in ejusdem Cardinalis operum editione, quæ Romæ adornata est, jussu Sancti Pii V expuncta sunt (2).

92. Ad 4^m, *Neg.* Profecto dum Chemnitius Innocentio III doctrinam characteris tribuit, ostendit se parum admodum critices peritum. Innocentius enim anno 1215 floruit, porro ante Innocentium de characteris indelebilis impressione, tanquam de re omnibus explorata, locutus jam fuerat Petrus Pictaviensis (3). Ante hunc ejusdem characteris meminerat Gratianus (4). Ante Gra-

(1) Cfr. Vasq. *ibid.* qui præterea observat, cap. 1, n. 20 : *Testimonia, quæ adduci solebant ab Scholasticis tempore Scoti, nullius esse momenti.* Eadem porro ratione exponendus Albertus M. dum, *In iv sent.* dist. 6, a. 4, scripsit : *De characterem, in sensu quo Magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis Sanctorum.*

(2) Verba expuncta ex vetustioribus editionibus Venet. 1525 et 1567, ita se habebant : *Adverte hic duo : primum, quod Sacramenta imprimere characterem ex sacra Scriptura non habetur, sed ab Ecclesiæ auctoritate, et non multum antiqua, ut patet ex*

sacris canonibus et priscis quæstionibus Patrum de reiteratione baptismi, quæ locum non haberent, si Ecclesia jam determinasset, imprimi in anima characterem per baptismum, etc.

(3) Ad dist. 24, lib. 1v; obiit porro Petrus Pictaviensis anno 1205. Cfr. Præfat. Domni Hugon. Mathoud, Ord. S. Bened. in lib. v *Sentent.* Paris. 1655.

(4) *De consecrat.* dist. 1v, cap. 41, cujus verba hæc sunt : *Ovem, quæ foris errabat, et Dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi (debere), characterem tamen dominicum in ea agnoscipotius, quam*

tianum Petrus Lombardus. Ante hos Scholasticos S. Joan. Damas-
cenus (1), qui antiquiorum Patrum doctrinam in unum collegit.

93. Ad 5^m, *Dist.* Id est, *nonnulli* in privatis ac præparatoriis
congregationibus, nec re satis discussa, *conc.*; *plures*, et in ipso
Concilio, *neg.* Ex hoc enim facto, uti et ex aliis non paucis, os-
tenditur, liberum in congregationibus fuisse Patribus propriam
promere sententiam. Imo, quo majori fervore articuli hinc inde
discussi sunt, eo melius patet, nonnisi cum magno delectu et
singulari maturitate edita esse decreta. Quod evenit in Concilio
Tridentino, jam evenerat in omnibus superioribus Conciliis, at-
que in ipso Concilio ab Apostolis Hierosolymis celebrato, in quo
antequam ederetur decretum, *magna conquisitio* facta est (2).

94. Obj. secunda. Rationum momenta, quæ adduci solent ad
constabiliendum articulum de caractere, satis ejus futilitatem
produunt; 1^o ideo quippe Scholastici contendunt imprimi cha-
racterem, quia tria illa Sacramenta iterari non possunt; at neque
iteratur prima tonsura, nec matrimonium utroque vivente con-
juge. 2^o Si quis porro ab iis quærat, quare tria hæc Sacramenta
iterari nequeant, illico reponunt: quia imprimunt characterem;
quod si quis iterum e converso ab iisdem sciscitetur, quare hæc
Sacramenta imprimant characterem, respondent: quia iterari
non possunt; in quo quidem latet *circulus vitiosus*. 3^o Sed nec
validior est ratio, quæ a quibusdam affertur, petita a *consecra-
tionis* natura, quæ postulat indelebilem notam; per omniâ siqui-

improbari. Edit. Pithoei, tom. 1, p. 473.

(1) *De fide orthodoxa*, lib. IV, cap. 9,
ubi: Νῦν μὲν ὄν δια τῷ βαπτίσματος
τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμ-
βάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται
ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία καὶ ΣΦΡΑΓΙΣ, καὶ
φυλακτήριον, καὶ φωτισμός. Et nunc
quidem, inquit, *Spiritus S. primitias*
*per baptismum accipimus; et regene-
ratio, alterius nobis vitæ initium, et*
*SIGNACULUM, et præsidium, et illumina-
tio efficitur.* Edit. Lequien, t. I, p. 261.

(2) Cfr. Pallavic. *Storia del Conc.
di Trento*, lib. IX, cap. 5, ubi osten-
dit, a Theologis disputatum esse in con-
gregationibus privatis de *natura*, non
de existentia characteris, et concludit:
*In tali materie, il se è, appartiene
a certezza di fede: il, CHE È, ad eser-
cizio d'ingegno.* Id est: *In hujusmodi
argumentis, quæstio: UTRUM SIT? per-
tinet ad certitudinem fidei; quæstio:
QUID SIT? ad ingenii exercitium.* Ibid.
valide confutat Paulum Sarpium.

dem Sacramenta nos Deo mancipamur et consecramur. 4^o Natura ejusmodi characteris ænigma ædipodeum redolet; nil mirum proinde, si tot fere sint circa eam sententiæ, quot capita. 5^o Nemo profecto mente concipere potest, quî demum fiat, ut signum et quidem spirituale et invisibile in anima item spirituali et invisibili imprimi possit. 6^o Demum cui bono ejusmodi character imprimeretur? Homines enim illum videre nequeunt; Deus eo non indiget, ut agnoscat homines sibi speciali ratione consecratos. Ergo.

95. Resp. *Neg. antec.* Non enim rationum momentis, quas comminiscuntur Protestantes, hic fidei articulus innititur, sed revelatione divinitus facta, quæ nobis innotescit per Scripturam et sensum Ecclesiæ traditionalem, prout ostendimus. Reliqua, quæ adduci solent, non sunt nisi rationes conjecturales, ut vocant, ac rem ipsam probabiliorem tantum efficiunt.

96. Ad 1^m, prob. *Dist.* Suppositis probationibus ex Scriptura et traditione deductis, *conc.*; ad illarum exclusionem, *neg.* Quod vero hæc Sacramenta iterari nequeant, est illius doctrinæ consecutio.

97. Ad 2^m, *Dist.* Si hæc esset unica ratio, qua veritas characteris ostenderetur, *trans.*; si præterea, imo præcipue ex divina revelatione eadem constat, ut vidimus, *neg.* Ceterum circulus vitiosus non cadit in argumentationem, qua probatur effectus per causam, et vicissim causa per effectum, cum de utroque constat.

98. Ad 3^m, *Dist.* Per omnia Sacramenta Deo consecramur; at diversa ratione ab ea, qua consecramur per tria illa, de quibus disserimus, *conc.*; eadem ratione, *neg.* Etenim per tria illa tantum fideles vel Christi familiæ, vel militiæ, vel ministerio speciali modo addicuntur; confertur præterea iisdem fidelibus potestas aliquid recipiendi vel tradendi aliis, quod pertinet ad divinum cultum, secus ac fiat in Sacramentis reliquis (1).

99. Ad 4^m, *Dist.* Prout in ceteris omnibus, quæ spiritualia sunt, contingit, quorum adæquatam ideam nobis efformare non possumus, *conc.*; quod peculiare sit hujus characteris, *neg.* Cum

(1) S. Thom. pag. 3, q. 63, a. 1, et Estius loc. cit.

agatur propterea de re in se obscura, nil mirum, si Scholastici, qui subtilius in ejus essentiam inquisierunt, in diversas sententias distracti sint. Porro controversia nostra est de existentia, non autem de natura. Quamdiu illa in tuto est, sufficit.

100. Ad 5^m, *Dist.* Si signum istud per modum cujusdam rei materialis ac sensibilis concipiatur, *conc.*; secus, *neg.* Jam vero juxta S. Thomam: *Character habet RATIONEM SIGNI per comparisonem ad Sacramentum sensibile, a quo imprimitur; sed secundum se habet RATIONEM PRINCIPII.* Vidimus præterea aliquot Scholasticos contendere, characterem non habere nisi *rationem relationis*. Ceterum nihil vetat, quominus cum concipiamus per modum cujusdam permanentis animæ modificationis, in quo nihil est quod repugnet (1).

101. Ad 6^m, *Dist.* Si daretur character ad solam distinctionem, *trans.*; si ad aliquam præterea datur potestatem, seu *habilitatem*, ut vocant, obtinendam, prout dictum est, *neg.* Addo, perennem hæere hanc notam, ut et Beatis in gloriam et damnatis in pœnam cedat.

(1) Cfr. de hoc argumento Vasquez, loc. cit. ubi diversa Scholasticorum placita expendit. Sed placet adversus Novatores hic proferre, quæ scribit Leibnitzius, *Syst. Theol.* pag. 210: *De caractere, inquit, seu signo indelebili, quod imprimitur in anima ejus, qui Sacramenta Baptismi, Confirmationis aut Ordinis suscipit, multa nonnulli disputant ex Scholasticis; sed res plana est, si tantum cogitetur, hominem, suscepto hoc Sacramento, aliquam qualitatem permanentem nactum esse, quæ et invalide et illegitime iteratur. Et tales qualitates reperiuntur et in jure civili. Nam nemo rem suam acquirere potest, seu qui in solidum dominus rei est, dominus ejus amplius fieri non potest; quod si eam non posset ex toto vel*

parte ulla ratione alienare, lege forte aliqua id impediatur, quemadmodum jus regni, vel etiam alicubi domanium constat esse inalienabile, jam habemus aliquod characteri simile, quod scilicet invalide iteratur; eo ipso autem, dum actus (iteratus scilicet) administrandi Sacramentum est irritus sive nullus, etiam fit illegitimus sive prohibitus. Sacrilegium enim est, vel certe grave crimen, Sacramentum inaniter celebrare scientem; per Baptismum autem homines christiani redduntur, per Confirmationem novo auctiore quasi sacramento (scilicet jurjurando) christianæ militiæ adstringuntur, per Ordinem susceptum Ecclesie ministri fiunt; quæ sane qualitates sunt permanentes.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

102. Si Sacramenta nullam aliam vim habent nisi excitandi fidem juxta Protestantium systema, ex eodem plane profluit, valide ea posse administrari seu conferri a quovis sive clerico sive laico, sive masculo sive femina, imo et a diabolo ipso, prout colligit Lutherus (1). Hic enim articulus est corollarium, quod necessario sequitur ex illo principio. Ejusdem pariter principii est corollarium alterum, quod inde pariter colligit Lutherus, valere scilicet Sacramenta utcumque administrata, etiam absque ulla intentione, imo irrisorie aut mimice.

103. Contrariam semitam tenuerunt veteres Donatistæ, quibus subscripserunt sec. XII Waldenses et Albigenses, sec. XIV Wicleffitæ et Hussitæ. Hi omnes autumarunt, nulla ac irrita esse Sacramenta ab improbis ministris collata (2). Donatistæ tamen eo progressi sunt, ut irrita assererent Sacramenta a publicis peccatoribus ac scelestis, a fortiori vero ab hæreticis (3) administrata.

(1) In lib. *De Missa privata*, apud Bellarm. *De Sacram.* lib. 1, cap. 24, n. 2.

(2) Cfr. Nat. Alex. *Histor. Eccles.* sec. XI et XII, cap. 4, art. 13, § 2, *De erroribus Waldensium*; tum sec. XIII et XIV, cap. 3, art. 1, *De Albigensibus*, § 2, *De Albigensium erroribus*, et art. 22, § 4, *De erroribus Wicleffi*; item sec. XV et XVI, cap. 2, art. 1, § 2. Ex his si excipias Wicleffitæ, ceteri nonnisi indirecte hunc errorem professi sunt.

(3) Hic adnoto, a pluribus Theologis una simul vindicari validitatem Sacramentorum, quæ fuerint collata tum ab hæretico, tum ab impio ministro.

At, quamvis pleraque argumenta, quibus valor Sacramentorum sive ab hæretico sive a pravo catholico ministro confectorum aut adstruitur aut impugnatur, communia sint, nec possunt tamen nec debent ambæ hæc theses permisceri; cum inter se differant, nec par utriusque sit ratio. Ceteris enim ommissis, valere Sacramenta omnia a pravo ministro catholico confecta, de fide est, cum sit expresse definitum; sic pariter de fide est, ratum esse baptisma ab hæretico administratum; at de fide non est, valida esse cetera Sacramenta ab hæretico collata. Sane, ut suo loco dicemus, non desunt auctores catholici, qui, licet immerito, id negent.

104. Quamvis porro cum errore Donatistarum permisceri nequeat error, quem non pauci Episcopi Orientales et Africani professi sunt sec. Ecclesiae III, contendentes, irritum ac nullum esse baptismum ab hæreticis collatum, vix tamen ob argumenti affinitatem ac necessitudinem alter ab altero sejungi potest. Hi, qui denuo tingebant ab hæreticis baptizatos, communi jam *Rebaptizantium* nomine nuncupari solent; quamvis ipsi summopere ab ejusmodi appellatione tanquam sibi valde injuriosa, ut dixi, abhorrent.

105. Priorem Novatorum errorem commodius refellemus agendo de Sacramentis singillatim, præsertim vero in Tractatu de Ordine. Posteriorem vero, qui est de intentione, nec non errorem Rebaptizantium, uti et Donatistarum ceterorumque hæreticorum, qui eos secuti sunt, hic perstringimus. Tribus propterea propositionibus rem totam complectimur. Quarum prima erit de valore Sacramenti, ac præcipue baptismi absque fide a ministro collati, altera de probitate ministri Sacramentorum, tertia demum de necessitate intentionis ad validam eorumdem administrationem.

PROPOSITIO I.

In Sacramentorum ministro ad valide conferenda Sacramenta non est necessaria fides; adeoque validus est baptismus ab hæreticis rite collatus.

106. Hæc propositio, quod spectat ad baptismum, de fide est, ut constat ex can. IV *De bapt.* Concilii Tridentini: *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.* Quod vero attinet ad Sacramenta reliqua (si pœnitentiam excipias, non quidem ex defectu fidei, sed ex defectu jurisdictionis, qua carent hæretici), certa est ac fidei proxima. Licet enim nulla expressa habeatur de illis Ecclesiae definitio, jam ex communi consensu probatur atque ex ejusdem Ecclesiae praxi, pluribus sal-

tem abhinc seculis confirmata, ut suo loco ostendemus. Eadem sane ratio, quæ suffragatur valori baptismi collati ab hæreticis, suffragatur pariter valori ceterorum Sacramentorum, quæ omnia Christi sunt. Quare quæ de baptismo dicuntur, ob intimam analogiam de reliquis Sacramentis dicta etiam intelligi debent. De solo autem baptismo hic agimus, quia major de ejus valore extitit contentio; eo vel magis quod disceptationes excitatæ circa valorem aliorum Sacramentorum, quæ ab hæreticis conficiuntur, magna ex parte a priori illa quæstione pendeant. Propterea, valore baptismi ab hæreticis collati in tuto posito, de valore reliquorum Sacramentorum pariter constabit. Ceterum de his peculiariter agemus, cum in tractatibus de Sacramentis in specie quæstio hæc iterum recurret.

107. Vehemens igitur, ut innuimus, olim agitata est circa valorem Sacramenti Baptismi controversia, postquam scilicet Agrippinus Carthaginensis Episcopus, sæculo circiter Ecclesiæ III, omnium primus usum invexit iterum tingendi ab hæreticis tinctos (1). S. Cyprianus Agrippini, successor eandem consuetudinem retinuit, ratus, nullum esse baptismum, quod extra Ecclesiam administraretur. Coacto Carthagine Concilio hanc sententiam, seu potius praxim adstruxit (2), misitque de more Romam ejusdem Concilii acta, ut a Rom. Pontifice confirmarentur. Asperius Synodi legatos excepit S. Stephanus, qui tunc Rom. Ecclesiæ præerat; ac novitati restitit, rescribens: *Nihil innovetur, nisi, quod traditum est, ut manus imponatur in poenitentiam* (3). Judicio Rom. Pontificis non acquievit S. Cyprianus; sed numerosiori ex

(1) Censent nonnulli, Tertullianum omnium primum invexisse hanc doctrinam de invaliditate baptismi ab hæreticis administrati ob ejus verba, quæ leguntur, lib. *De baptismo*, cap. 15; ubi de hæreticis: *Non idem*, inquit, *Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem; quem quum ritè non habeant, sine dubio*

non habent. Alii tamen refragantur. Cfr. Rigalt. in hunc loc. et De la Cerda, tom. II, not. 175.

(2) Et est Carthagin. II ex Cyprianicis de baptismo. Cfr. tum in opp. S. Cypr. *Epis.* LXXII, tum apud Hard. *Acta Conc.* tom. I, col. 158 et seq.

(3) In *Epist.* XLIV S. Cypr. ad Pompeium.

Africa pene universa accito Concilio sententiam suam confirmare conatus est (1). Vicit demum, ut par erat, Stephani decretum, quod defervescentibus studiis tum in Africa tum in Oriente paulatim prævaluit (2), donec omnis contentio sublata est.

108. Veritatem porro assertæ propositionis quoad baptismum ostendimus ex Verbo Dei tradito constantique Ecclesiæ praxi, prius quam hæc qualemcumque immutationem subiisset. Hujus siquidem traditionis ac praxis testis est S. Stephanus, ut patet ex verbis seu decreto, quod opposuit S. Cypriano; ex quo constat, hæreticos non iterato baptisate, sed sola manuum impositione in Ecclesiæ gremium admissos fuisse; testis est antiquissimus anonymus scriptor seculi III, qui librum edidit ad rebaptizantium

(1) Est autem Carthag. III, de baptismo, collectum ex tribus provinciis Africæ, cui interfuerunt Episcopi LXXXVII, in opp. S. Cypr. edit. Maur. pag. 329, et apud Hard. loc. cit.

(2) Ut enim videbimus, non pauci Episcopi non solum post Stephani decretum, sed etiam post Concilia Arelatense et Nicænum 1 perrexerunt hanc tenere consuetudinem baptizandi ab hæreticis ablutos. Atque hic animadverto, totam hanc controversiam a recentioribus quibusdam aut negari aut in dubium revocari. Alii enim, admissa controversiæ veritate, inter scripta apocrypha, aut saltem dubia rejiciunt Concilia Carthaginensia commemorata, Epistolam Firmiliani, Epistolas omnes S. Cypriani de hoc argumento ad Magnum, Pompeium, Jubajanum, etc. Hoc primum tentavit Tourneminius, *Conjectures sur la supposition de quelques ouvrages de saint Cyprien et de la lettre de Firmilien*; quæ insertæ sunt *Documentis Trevoltiensibus*, mens. Decemb. an. 1734, art. cxviii,

pag. 2246 et seqq. Ast P. Raym. Missorius Ord. Conv. hic non stetit, sed in *Dissert. critica*, quam vulgavit Venet. 1733, *In epist. ad Pompeium*, inter Cyprianicas LXXIV, totam controversiam anabaptismi, quæ inter Orientales Africanosque et S. Stephanum viguit, veluti confictam ab Eusebio traduxit, et citata monumenta conficta esse contendit a Donatistis. Cl. Morcelli S. J. in erudita et eleganti, quam Brixiae 1817 edidit, *Africa Christiana*, vol. II, admissa controversiæ hujus veritate, ad annum cclv, n. II, anceps hæere videtur circa Epistolam S. Martyris ad Pompeium; non tamen audet eam tanquam confictam omnino respuere. Nobis in animo haud est, criticam hic instituere quæstionem. Animadvertimus tamen, 1º non nisi per paucos, eosque non magnæ auctoritatis controversiam universam de anabaptismo veluti fabulosam rejicere; 2º nullis positivis momentis duci eos, qui vel tanquam dubia vel tanquam apocrypha rejiciunt scripta Cyprani et

confutandum errorem (1); testis est S. Augustinus, qui affirmat, avitam consuetudinem recipiendi hæreticos sola manuum impositione ex *Apostolorum traditione* derivatam esse; qui præterea id ipsum conficit ex confessione ipsius S. Cypriani asserentis: *Hanc saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum quasi cœpisse corrigi, sed verius corrumpi* (2); testis est Vincentius Lirinensis, qui publicis factis innixus, *Commonit.* cap. VI, scribit: *Agrippinus Carthaginienſis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Sacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat.* Similia occurrunt apud Hieronymum (3), atque Pontifices Siricium ac Innocentium I (4). Hinc decretum Stephani confirmatum est a plenario illo Concilio, de quo loquitur S. Augustinus (5); quodque alii censent esse Arelatense, alii autem œcumenicum Nicænum I (6); quod reipsa, can. VIII, decrevit, sola manuum impositione recipiendos esse Novatianos ab schismate ad Ecclesiam revertentes (7).

Firmiliani, quæ ad rem præsentem referuntur; contra quæ nec levia nec pauca stant argumenta positiva; 3^o eosdem permoveri solis conjecturis parvi, ut nobis videntur, momenti; 4^o hanc eorum agendi rationem, si reciperetur, inducere quemdam pyrrhonismum in universam fere historiam Ecclesiasticam. Ceterum cfr. *Vita S. Cypriani* a Maurinis edit. conscripta, cap. 29 et seqq. *Acta Bollandiana*, tom. .iv mens. Sept. ad diem XIV, pag. 295, a § XXXVIII ad LVI; nec non Joan. H. Sbaralea, Ord. Conv. in op. *Germana S. Cypriani et Afrorum, nec non Firmiliani et Orientalium opinio*, etc. Bonon. 1741; præter Tillemont, *Memoires*, etc. ad annum 256, Natalem Alex. etc.

(1) Cfr. ad calcem opp. S. Cypriani

ita inſcript. *Anonymi liber de Rebaptismate.*

(2) *De baptismo*, lib. II, cap. 7, n. 12.

(3) In *Dialogo advers. Lucifer.* n. 8 et 9.

(4) Siricius, *Epist. I ad Himerium Episc. Tarrac.* apud Coustant, *Epistolæ Rom. Pontif.* tom. I, col. 624 et seq. Innocentius, *Epist. XVII, ad Rufum et soc.* ibid. col. 836.

(5) *De Bapt.* lib. I, cap. VII, n. 9.

(6) De hac quæſtione cfr. inter ceteros Card. Norisius, *Hist. Donatist.* part I, cap. 10, p. 175 et seqq. edit. Veron. cum appositis adnotationibus Fratrum Balleriniæ.

(7) Apud Harduinum *Acta Conc.* tom. I, col. 326.

109. Sed, quod sedulo notandum est, ipsimet Episcopi Asiatici et Africani rebaptizantes totidem testes locupletissimi sunt hujus traditionis et praxis, quam propugnamus. Quod ut intelligatur, animadvertere debemus, Ecclesiæ Patres interdum esse traditionis testes, interdum simplices disputatores aut philosophos. Dum Patres assertiones quasdam historice proponunt, ut ita loquar, tanquam a Deo revelatas et in communi totius Ecclesiæ doctrina inclusas, tunc Patres sunt universæ traditionis testes, eamque obtinent auctoritatem, qua Patres et Ecclesiæ Doctores præstant. Nam christiana fides revelatione divina fulcitur; revelatio autem, quum in *facto* consistat, evinci unice per testimonia potest, nequaquam vero per solas doctrinales discussiones et ratiocinia. Dum Patres solum ratiocinantur, tunc vix aut ne vix quidem a philosophis differunt; qui ea tantum auctoritate gaudent, quam sibi vindicat vis intrinseca rationum, quæ ab ipsis proferuntur. Quo posito, Africani et Orientales Episcopi, confitentes consuetudinem ab Stephano assertam, se præbebant velut testes traditionis, eo nimirum præditos caractere, per quem solum possunt et debent haberi sicut Ecclesiæ Patres; ideoque, nedum baptismi ab hæreticis collati valorem oppugnent suis testimoniis, luculenter confirmant. Contra vero cum istius baptismi validitatem ratiociniis et cavillationibus evertere nituntur, tunc ii nobis sunt veluti disputatores, quibus obsequium illud minime debetur, quo Ecclesiæ Patres semper Catholici prosequuti sunt (1).

(1) Cfr. in hanc rem egregium opus, cui tit. *De optima legendorum Patrum methodo*, August. Taurin. 1742, præsertim part III, cap. XI. Adversus Lanojum, *ferocis ingenii hominem*, ut eum vocat Norisius, contendentem, antiquam traditionem potius S. Cypriano quam S. Stephano favere, cfr. idem Norisius, op. et loc. cit. ac Gottefridus Lumper, Mon. Bened. *Historia Theologica critica de vita, scrip-*

tis atque doctrina SS. Patrum, Augustæ Vindelicorum, 1795. Hic enim auctor, part XI, sect. III, in peculiari dissert. cap. 5, *De doctrina S. Cypriani*, art. II, § IV et seqq. enucleavit, quantum erat necesse, universam hanc controversiam, ostenditque, Stephani sententiam ortam ab Apostolis esse. Qui præterea et illud efficit, prout doctissimi scriptores jam ante ipsum præstiterant, S. Stephanum non probasse

DIFFICULTATES.

110. Obj. prima. Scriptura ea passim docet, quæ cum valore baptismi ab hæreticis administrati componi nequeunt. 1° Etenim Apostolus, Eph. IV, 5, clamat : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Sed hæretici carent fide, ergo et baptismo. 2° Hinc Ecclesia, Cantic. IV, 12, dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*; nequeunt proinde hæretici extra Ecclesiam constituti hortum illum ingredi, ut fructus ac de fonte illo aut puteo aquas hauriant. 3° Adde ex Apostolo, Galat. III, 27, Christum induere, quicumque in Christo baptizantur; jam vero quomodo poterunt Christum induere, qui in hæresi tinguntur? 4° Nonne præterea filii Dei gigni tantum possunt a vera Christi sponsa, quæ est Ecclesia? 5° Merito proinde, I Pet. III, 20, Ecclesia arcæ comparatur, *in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*. Ergo extra hanc arcam baptizati diluvio peribunt.

111. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Unum baptisma a Christo institutum, quod idem est, a quovis administratur sive in Ecclesia catholica sive extra Ecclesiam, *conc.*; unum eo sensu, quod nullum sit extra Ecclesiam collatum, *neg.* Sic etiam una est fides objectiva, *conc.*; subjectiva, *neg.* Nec enim fides, prout complectitur veritates a Deo revelatas, pro uniuscujusque credentium arbitrio multiplex evadit (1). Hinc, ex eo quod quispiam veram fidem amiserit, non consequitur, eum amisisse verum baptisma, utpote quod independens omnino sit ab hominum vitio aut voluntate.

112. Ad 2^m, *Dist.* Ecclesia est hortus conclusus, fons signatus, etc. quoad effectum seu regenerationis gratiam, idque respectu adulterorum, *conc.*; quoad ipsa Sacramenta in se spectata, seu quatenus Christi sunt, *neg.* Neque enim, si fur ex horto, fonte

baptismum hæreticorum indiscriminatim, sed illorum tantum, qui rite illum contulissent, id est, juxta legitimam

materiam et formam.

(1) Bernard. a Pic. in hunc. loc.

aut puteo quidpiam surripiat, illud, quod furtive sublatum est, desinit in se esse aut bonus fructus, aut aqua vivens (1).

113. Ad 3^m, *Dist.* Quantum ad perceptionem Sacramenti, ut loquitur Augustinus (2), *conc.*; quantum ad vitæ sanctificationem, *neg.* Illud enim et bonis et malis potest esse commune, alterum proprium bonorum est atque piorum.

114. Ad 4^m, *Dist.* Si Ecclesia filios gignere non posset nisi utero suo, *conc.*; si præterea eosdem gignere potest utero ancillarum, *neg.* Ita rursum S. Augustinus (3).

115. Ad 5^m, *Dist.* Ecclesia arcæ comparatur ratione baptismi, quo cooptantur in Ecclesiam, si infantes sint, *conc.*; si adulti, *subdist.*; si bona fide ab hæreticis baptismum suscipiant, iterum *conc.*; si mala fide, *neg.* In hoc enim casu, si respectu istorum baptismus arca non est, provenire id unice debet ex prava suscipientium dispositione, non autem ex defectu rei susceptæ.

116. Obj. secunda. Perperam Catholici ad traditionem appellant. Etenim tinctos ab hæreticis rebaptizandos præcipiunt 1^o Canones Apostolici XLVI et XLVII nec non Constitutiones Apostolicæ, lib. VI, cap. 15. 2^o Anabaptismus viguit Tertulliani

(1) Apposite observat cit. Lumper, § v, Cyprianum et Firmilianum sic semper adversarios refellere, quasi isti peccata ab hæreticis baptizantibus dimitti contenderent, ac proinde in hac hypothesis difficile iis non fuisse manifestam pugnam in suis adversariis demonstrare. Ast talis non fuit mens S. Stephani, qui id unum docuit, per baptismum ab hæreticis rite collatum tunc solum peccata dimitti, cum abjurata hæresi ad Ecclesiam revertentur; cum soli Ecclesiæ datum sit peccata dimittere per baptismum et reconciliationem, si sermo sit, ut supponitur, de adultis. Paulo aliter Constant mentem S. Stephani exponit; sed res eodem recidit. Cfr. op. cit. *Epist.*

Rom. Pontif. t. 1, pag. 227, *Disseratio, qua vera Stephani circa receptionem hæreticorum sententia explicatur*, § iv. Sane, si bene perpendantur, quæ tum a S. Cypriano et Firmiliano tum a rebaptizantibus reliquis objiciebantur, patebit, eos semper in eo errasse, quod non distinguerent inter Sacramentum et usum seu effectum Sacramenti, qui est gratiæ collatio et per eam peccatorum remissio, et quod hunc posteriorem sensum affingerent Stephano aliisque catholicæ veritatis assertoribus.

(2) Lib. *De unico Baptismo*, cap. 8 et alibi passim.

(3) *De Bapt.* lib. 1, cap. 10, n. 14.

ætate; et S. Dionysius Alex. testatur : *Superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis et in Conciliis fratrum apud Iconium et Synnada et apud alios plurimos idem (institutum baptizandi) sancitum fuisse* (1). Huic consonat Firmilianus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, qui in *Epist. ad Cyprianum* affirmat : *Ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse; cum semper istic observatum sit, ut nonnisi unam Dei Ecclesiam nossemus, et sanctum Baptisma nonnisi sanctæ Ecclesiæ computaremus* (2). Verum quod rem hanc conficit est 3^o auctoritas SS. Optati Milevitani, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni et Cyrilli Hierosol. qui, non obstantibus decretis Stephani et Conciliorum Arelatensis ac Nicæni I, unanimiter tenuerunt, hæreticos rebaptizandos esse; quod 4^o et constituit S. Gregorius M. (3) relate ad Bonosiacos, licet in *Trinitate* eos baptizatos esse declaraverit Concilium Arelatense II, can. XVII. Ergo.

117. Resp. *Neg. antec.* Ad 1^m prob. *Neg.* Ejusmodi enim Constitutiones et canones, utpote ab auctoribus rebaptizantium errore infectis exarati, nullius sunt auctoritatis; si tamen in iis de nova collatione baptismi rite administrati sermo sit (4).

(1) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. vii, cap. 7. *Πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις. καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν.* In quem locum cfr. adnot. Valesii.

(2) Inter Cyprianicas *Epist.* lxxv, edit. Maur. pag. 149.

(3) Lib. xi, *Epist.* lxxvii.

(4) Circa originem Canonum Apostolicorum cfr. *Judicium Cotelerii* in hos canones, tom. I; pag. 424 et seqq. nec non Guilielmi Beveregii, *De Canonibus Apostolicis judicium*, ibid. pag. 427. Nunc exploratum ac fere cer-

tum est apud eruditos, hanc collectionem confectam esse seculo circiter Ecclesiæ III, ex canonibus seu decretis Synodorum particularium, quæ per id temporis celebratæ fuerunt. Hæc potissima ratio est, quare Firmilianus et Cyprianus, licet alludant ad canonem antiquum (Synodi fortasse Iconiensis), nunquam tamen provocent ad aliquem canonem apostolicum. Sed nec illud omittendum est, quod Beveregius observat tum *Codicis canonum primitivæ Ecclesiæ vindicati ac illustrati*, lib. II, cap. 12, *de baptismo hæreticorum*, § 14, tum in annotat. ad Can. xlvii, in hoc Canone irritum pronun-

118. Ad 2^m, *Dist.* In particularibus nonnullis Ecclesiis, *trans.*; in Ecclesia universali, *neg.* Etenim Firmilianus in hac ipsa, quæ obicitur, Epistola admittit, diversam in Ecclesia Romana consuetudinem viguisse (1). S. Cyprianus id pariter non diffitetur, dicens: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem* (2). Et in Concilio Carthag. III ea vox erupit: *In Evangelio Dominus: ego sum, inquit, veritas; non dixit: ego sum consuetudo* (3). Dionysium Alex. S. Hieronymus inter rebaptizantes recenset (4); attamen ex S. Basilio contrarium constat (5). Quin etiam ipsemet de se testatur, se ad Heraclæ prædecessoris sui exemplum singulos ad Ecclesiam venientes, nullo illorum baptismo iterato, suscepisse (6).

119. Ad 3^m, *Trans.* Mirum enim esse non debet, si, non obstantibus editis decretis illorum Conciliorum, in hac sententia nonnulli perstitisse visi sunt. Etenim: *Nisi prorsus fallimur, inquit Trombellius, horum Conciliorum decreta illis non inno-*

ciari baptismum, qui collatus sit ab hæreticis formam vitiantibus; cujusmodi fere omnes erant hæretici duorum aut trium priorum seculorum, Hermogeniani, Praxeani, Cataphrygæ, Valentiniani, Marcionitæ, Quintilianistæ, Gnostici, etc. Siquidem in Can. seq. constituitur, ut baptismus rite collatus denuo non administraretur. Huic observationi congruit titulus antiquus Can. XLVII vulgatus a Cotelerio, sic inscriptus: *De iis, qui iterum baptizant baptizatos ab hæreticis.* Caput vero XV libri VI *Constit. Apost.* nil aliud constituit, nisi quod a canone Apostolico sancitum jam fuerat. Atque hinc eos deceptos existimo, qui prætendebant, sibi favere antiquam consuetudinem alicubi receptam iterum baptizandi tinctos ab hæreticis.

(1) Cfr. cit. *Epist.* pag. 144.

(2) *Epist. LXXIV, ad Pompejan.* p. 141.

(3) Inter op. Cypriani. cit. edit. p. 333.

(4) *De viris illustribus*, cap. 69.

(5) *Epist. Canon. CLXXVII, ad Amphilocho.* cap. 5; ubi mirari se ait, quod hæreticorum baptismum Dionysius susciperet, et nec illum quidem Pepuzenorum rejiceret, *qui in Patrem et Filium, Montanum Priscillamque baptizabant.* Cfr. not. Maurin. edit. opp. S. Basili in hunc loc.

(6) Cfr. Vallarsius, tom. II, *Opp. S. Hieron.* ad loc. cit. *De viris illustribus.* Inde concludit Vallarsius, S. Hieronymum memoriæ lapsu deceptum esse. Interim ex his patet, duas Ecclesias metropolitans, matrices et Apostolicas, Romanam et Alexandrinam, consentientes fuisse in admittendo juxta traditionem apostolicam baptismo hæreticorum.

tuerunt ; quæ si innotuissent , aut , ut equidem puto , iisdem decretis paruissent , aut saltem ea sibi objecissent , et aliqua explicatione eludere studuissent ; quod minime fecerunt. Neque enim locum aliquem afferre poteris , in quo ab iis fiat mentio canonum aut Arelatensis aut Nicæni , in quibus de hac quæstione actum sit. Neque mirum id est ; Arelatense enim celebratum est , ut Donatistarum Ecclesiæ se jungere recusantium , evasiones tollerentur... Canones porro hujus Concilii ab antiquis citatos minime inveni... Quod vero attinet ad Nicænos canones , indubitatum est per universam Ecclesiam non fuisse admodum notos (1).

120. Nec illud omittendum est , quod scite adnotavit Ballerinius , nullum scilicet Nicænum canonem exhibere expressum atque generale decretum de hæreticorum baptismo , sed ex duobus canonibus , VIII videlicet ac XIX , legitima tantum deductione colligi ; quippe can. VIII Catharos ad Ecclesiam venientes impositione manuum recipi , can. vero XIX Paulinianistas omnino baptizari jubet. Discrimen , si quis attente inquiret , in eo situm deprehendet , quod , ut notavit Innocentius I (2) , Cathari sive Novatiani in nomine Patris et Filii et Spiritus S. baptizabant ; Paulinianistæ vero non item. Hanc discriminis rationem quicumque observavit , quæstionem de Baptismo Nicænis canonibus definitam deprehendit. Cum vero hæc discriminis ratio ex ipsorum canonum verbis non incurrat statim in oculos , nil mirum , si non omnes , qui legerunt ipsos canones , eandem quæstionem ipsis canonibus definitam cognovere ; nihilque pariter mirandum , si ob ejusdem animadversionis defectum S. Basilius ad eam quæstionem definiendam aliquod Concilium desiderans , et a Nicænis Patribus definitam non animadvertens , causam varietatis ea in materia diversæ disciplinæ et œconomix vindicavit. Eadem animadversio pariter fugit S. Cyrillum Hierosolym. Episcopum , qui etiam post Nicænum Concilium scripsit in *Prologo* ad suas

(1) *De Baptismo*, tom. iv, diss. viii, p. ii, art. iii, q. 1, cap. viii, § 3, qui fuse adversus Launojum de hoc argu-

mento disserit.

(2) *Epist. ad Macedones*, n. 10, apud Coustant.

Catecheses : Soli hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non fuit baptisma (1).

121. His adjiciendum, Catharos sive Novatianos spectatos potius fuisse ut schismaticos quam ut hæreticos; porro rebaptizantes baptisma schismaticorum ratum habebant. Hinc hac fortasse de causa quidam putarunt, Nicænos Patres illorum baptisma validum declarasse (2). Adde, plerosque ex objectis Patribus, non exclusis Cypriano et Firmiliano, spectasse hanc quæstionem veluti disciplinarem, minime vero ut dogmaticam; ac proinde satius esse duxerunt, propriæ Ecclesiæ, ad quam spectabant, consuetudinem sequi, quin contrariam praxim, quam in aliis Ecclesiis, præsertim vero Romana, vigentem noverant, impugnarent aut reprehenderent (3).

122. Ad 4^m, *Dist.* Vel errore facti deceptus, vel quia Bonosiaci post Arelatense Concilium baptismi formam vitiarunt, *conc.*; quasi consuerint nullum esse hæreticorum baptisma, *neg.* Certum enim est, Bonosiacos interdum baptizasse in nomine SS. Trinitatis, interdum vero non item (4).

(1) Petri Ballerinii, *De vi ac ratione primatus Rom. Pontif.* Veronæ 1766, cap. 13, § IX, pag. 166, not. 1.

(2) Cfr. Sbaralea, op. cit. *Germana S. Cypriani*, etc. diss. 1, cap. 1, § 32; nec non edit. Maur. opp. S. Basilii in nota ad citat. *Epist.* CLXXXVIII, tom. III, pag. 268; Card. Noris. *Hist. Donat.* edit. cit. pag. 188. seqq. Toutteus, opp. S. Cyrilli Hierosol. diss. III, *De doctrina S. Cyrilli*, cap. 8, n. 67, *De baptismo ab hæreticis collato*.

(3) Cfr. Norisius, Ballerinius, Constant loc. cit. Hic distingui debet quæstio in sua, ut ita loquar, natura spectata, a ratione, qua Veteres plerique eam considerarunt. In se certe dogmatica est, secus ac Launojus contendit; ast Veteres plerique consueverunt veluti disciplinarem controversiam hanc habere; ut ex certissimis documentis

constat, quæ apud citatos auctores videri possunt, quæque hic prætermittimus, ne longiores simus. Huic sententiæ etiam adstipulatus est doctissimus D. Maurus Cappellari, qui virtute ac sapientia ad Summi Pontificatus verticem sibi viam paravit, appellaturque GREGORIUS XVI, in opere Venetiis 1832 iterum edito sub titulo: *Il Trionfo della Sancta Sede*, (quod opus gallice prodiit Lovanii 1834) cap. 20, ubi non solum naviter ac erudite confecit quod sibi proposuit, verum etiam solvit difficultates quæ obstare videntur.

(4) Cfr. Christ. Lupus, opp. edit. Venet. 1725, tom. IV, dissert. secunda præem. pag. 106 et seqq. et nota edit. Maur. ad cit. *Epist. S. Gregorii Magni*, qui in objecto loco diserte scribit, Bonosiacos perinde ac Cataphrygas minime baptizasse in SS. Trinitate.

PROPOSITIO II.

Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert Sacramentum.

123. Est de fide hæc propositio; totidem siquidem verbis eam definivit Tridentina Synodus, sess. VII, can. XII: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

124. Est autem adversus Donatistas, qui sec. IV Ecclesiam diro schismate laceraverunt. Hi nomen et errores hauserunt a duobus Donatis, altero in Numidia Episcopo veluti eorum auctore, altero antistite Carthaginensi veluti promotore. Privata quorundam seniorum et Lucillæ factiosæ feminæ vindicta factum est, ut pulso Cœciliano legitimo præsule, sub obtentu quod ipse a proditore Sacrorum codicum ordinatus fuerat, in ejus sedem Carthaginiensem intruderetur Majorinus. Hinc ortum schisma, quod brevi in hæresim declinavit (1). Donatistæ igitur, ut proprium schisma cohonestarent, docuerunt, Sacramenta a proditoribus, ac deinde etiam a peccatoribus quibuscumque, saltem manifestis, collata, nulla ac irrita esse. Hunc errorem proscripsit Melchiodorus Papa in Conc. Romano, ac denuo proscripsit Concilium Arelatense (2). Cum eundem errorem renovaverint, ut diximus, Waldenses, Albigenses, Wicleffitæ et Hussitæ, iterum eum proscripsit Concilium Constantiense, a quodammodo est IV articulus Wicleffi: *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non bapti-*

(1) Præter Natalem Alex. *Hist. eccl.* sec. IV. cap. 3, art. 1, et Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Hist. ecclés.* tom. VI, pag. 1 et seqq. et 697 et seqq. cfr. *Historia Danatistarum* Card. Norisii, edita a fratribus Balleriniis, Veron.

1732, opp. auct. vol. IV. Hæc siquidem historia longe copiosior et accuratior est.

(2) Cfr. Norisius opere cit. p. 1, cap. 7 et cap. 10.

zat (1). Cum denique Anabaptistæ hanc doctrinam suam fecerint, Concilium Tridentinum tulit adversus eam canonem citatum.

125. Hac porro ratione assertam fidei veritatem adstruimus : Sacramenta vim suam a Christo institutore et causa meritoria totam habent ; ergo valida sunt , a quovis ministro conficiantur et conferantur. Jam vero Sacramenta totam vim ac virtutem suam a Christo ipsorum auctore et causa meritoria haurire , patet ex iis , quæ Joannes Baptista testatus de Christo est , Joan. I , 33 , dicens : *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Quamvis Christus per se minime contulerit baptismum , sed per discipulos suos , ut legitur , Joan. IV , 2 , attamen ipse dicitur baptizasse. Hinc optime S. Augustinus , *Tract. VI in Joan.* n. 7 et 8 , recitata verba commentatur : *Petrus baptizet, hic est qui baptizat ; Paulus baptizet, hic est qui baptizat ; Judas baptizet, hic est qui baptizat... Illud, quod datum est, unum est ; nec impar propter impares ministros ; sed par et æquale, propter, HIC EST QUI BAPTIZAT* (2). Hæc confirmantur ex iis , quæ scribit Apostolus , I Cor. III , 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus.* Tota igitur in Sacramento potestas Christi est , Sacerdotis vero seu ministri tantummodo administratio. Malus autem Sacerdos seu minister cum Christi vi ac potestati impedimentum afferre nequeat , rata ac valida esse debent Sacramenta illa , quæ mali Sacerdotes confecerint , quorumque administratores fuerint.

126. Eadem veritas hoc altero ejusdem S. Augustini argumento mirifice illustratur : *Dedit Judas baptismum, nec baptizatum est post Judam ; dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem, Act. XIX, 5 ;* quia , qui datus est a Juda baptismus , Christi erat ; qui autem a Joanne datus est , Joannis erat. At , qui abluti fuerunt a Juda , tingendi iterum fuissent , si ministri improbitas officeret valori Sacramentorum , nec Joannis baptismati baptismum a Juda collatum præponendum esset (3).

(1) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. VIII, col. 909.

(2) Cfr. etiam in lib. *De unitate Eccles.* cap. 21 , n. 58.

(3) Lib. *De unitate Eccles.* loc. cit. et *Tract. v in Joan.* n. 18 , et alibi passim.

127. Argumentatur deinde S. Augustinus in hunc modum : Semina , sive puris sive impuris agrorum manibus terræ mandentur, fructuosa sunt ; ergo etiam Sacramenta , sive a justis sive a peccatoribus fuerint administrata (1). Nam si non essent fructuosa, id maxime esset, quia peccatorum fæce contaminata spoliarentur omni virtute ; quo nihil absurdius fingi potest. In hac præterea hypothese salus nostra non levi parte a ministrorum probitate aut improbitate penderet, ac sortes nostræ in istorum manibus quodammodo repositæ essent (2).

128. Hanc eandem veritatem demum perpetuus ac constans Ecclesiæ sensus traditionalis luculentissime evincit. Nunquam enim in Ecclesia excitatum dubium est de valore Sacramentorum,

(1) *Contr. Crescon.* lib. III, cap. 8. Qui præterea, *Tract. cit. in Joan.* n. 15, hac pulchra utitur similitudine : *Per lapideum canalem transit aqua ad areolas ; in canali lapideo nihil generat, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita est ut lux ; et ab illuminandis pura excipitur, et, si per immundos transeat, non inquinatur.* Nec omittenda hic est elegans similitudo, qua ad hoc ipsum declarandum utitur S. Gregor. Nazianz. *Orat.* XI, n. 25 : *Σκόπει δὲ οὕτως, ἔστω χρυσὸς, ἔστω σίδηρος. δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν ἐντυπούτωσαν τί διοίσει σφραγὶς αὐτῆ τῆς σφραγίδος ἐκείνης ; οὐδὲν. ἐπίγνωθι τὴν ὕλην ἐν τῷ κηρῷ, καὶ ἢς σφάτατος. εἰπέ τί μὲν τοῦ σιδήρου, τί δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἐκσφράγισμα, καὶ πῶς ἐν ἔστι ; τῆς γὰρ ὕλης τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. Οὕτως ἔστω σοὶ πᾶς βαπτιστῆς, καὶ τῆ πολιτεία προέχῃ, ἀλλ' ἢ γε τοῦ βαπτίσματος δύναμις ἴση. Sint, inquit, duo annuli, alter aureus,*

alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce.,. Dic utrum e duobus signis, aureo annulo, utrum ferreo, expressum sit, quoque modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est. Opp. edit. Paris. 1630, tom. 1, pag. 656.

(2) Hoc pariter argumentum urget S. Augustinus, *Cont. Cresc.* lib. III, capp. IX, X et XI ; ostenditque innumera prope incommoda, quæ ex hypothese Donatistarum orirentur, et schismata, quæ necessario exinde deberent efformari. Cfr. S. Th. p. 3, q. 64, a. 5 et lib. IV *Cont. Gent.* cap. 77, ubi hoc argumentum, ut solet, egregie evolvit.

quæ ab impiis fuerint administrata. Vix Donatistæ cœperunt innovare adversus receptam hanc Ecclesiæ doctrinam, dum statim impugnati sunt et condemnati (1). Ergo.

DIFFICULTATES.

129. Obj. prima. Scriptura pravos ministros ineptos esse ad Sacramenta administranda aperte docet. Nam 1° Exod. XIX, 22, dicitur : *Sacerdotes, qui ascendunt ad Dominum sanctificentur.* Item Levit. XXI, 17 : *Homo... qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo.* Prov. XV, 8, *Victimæ impiorum abominabiles Deo* declarantur. Quare, Jerem. III, 15, promittit Deus, se posthac daturum *pastores juxta cor suum.* Deus enim, ut dicitur Joan. IX, 31, *peccatores non audit*; et Christus, Matth. VII, 18, ait : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Largiturus propterea Apostolis suis potestatem dimittendi peccata, prius illis Spiritum Sanctum tribuit iis verbis, quæ leguntur Joan. XX, 22 : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cum igitur improbi ministri Spiritum Sanctum non habeant, nec potestate proinde fruuntur dimittendi peccata, aliaque Sacramenta conficiendi aut administrandi. 2° Accedit, absurdum esse, ut ii, qui sunt contra Christum, imo et *cæ patre diabolo*, ut dicitur Joan. VIII, 44, possint esse ejusdem Christi ministri. 3° Sane aliquod debet intercedere discrimen inter bonum pravumque ministerium; jam vero, si uterque æque valide administraret Sacramenta, par esset utriusque conditio. 4° Hinc Ecclesia ipsa a Sacris tractandis arcet pravos ejusmodi ministros. Ergo.

130. Resp. *Dist. antec.* Docet Scriptura, pravos ministros ineptos esse ad licite et honeste administranda Sacramenta, *conc.*; ad valide ea conficienda et conferenda, *neg.* Omnes porro adductæ probationes ex Sacris Litteris præsens argumentum non attingunt; cum vel de honestate et sanctitate loquantur, qua sacrum ministerium ornatum esse decet, ut licite ac sancte fungatur

(1) Cfr. auct. citt. qui scripserunt historiam Donatist. Quibus addi potest inter ceteros Henric. Valesius, qui ad calcem versionis a se adornatæ opp. hist. Eusebii, satis prolixam adjecit et accuratam dissert. *De schismate Donatistarum.*

officio suo , vel disserant de materia omnino diversa ab ea , de qua hic agimus. Etenim ,

131. Exod. XIX, sermo est de purificatione legali præmittenda a Sacerdotibus, antequam ad Sacra accederent, ut licite et honeste ea attingerent. Levit. XX, agitur de dotibus exterioribus, quibus instructus esse debebat summus Sacerdos.

132. Prov. XVI, victimæ impiorum dicuntur abominabiles ex prava offerentium dispositione, non vero ex parte rei oblatae.

133. Jerem. III, promittit Deus, se posthac daturum moderatores sibi gratos et acceptos; non quales reges Israëlis et Judæ fuerunt, qui populum ad idolorum cultum detorserunt.

134. Joan. IX, dicitur, Deum peccatores non audire ad patranda miracula, quæ confirmant falsam doctrinam.

135. Matth. VII, ait Christus, arborem malam non posse fructus bonos facere, cum arbor mala, id est, homo, fructus producit ex propria virtute, non autem cum producit ex virtute aliena, nec prout arbor mala est.

136. Joan. XX, dedit Christus potestatem remittendi peccata; hinc, si pravi ministri non habent in se Spiritum Sanctum inhabitantem per gratiam, habent tamen operantem per Sacramenta ad aliorum salutem.

137. Ad 2^m, *Dist.* Pravi ministri sunt contra Christum et ex patre diabolo, prout peccatores et mali sunt, *conc.*; prout operantes ex virtute Christi, *neg.*

138. Ad 3^m, *Dist.* Quoad vitæ meritum, *conc.*; quoad facultatem in Sacramentis administrandis, *neg.* Alioquin innumera prope incommoda sequerentur.

139. Ad 4^m, *Dist.* Ne illicite sacra pertractent, *conc.*; quasi invalide Sacramenta administrarent, *neg.*

140. Obj. secunda. 1^o Patres aperte professi sunt, nullum esse Sacramentum ab impiis collatum. Etenim S. Ambrosius, lib. *De mysteriis*, cap. IV: *Non sanat, inquit, baptisma perfidorum, non mundat, sed polluit*; et S. Hieronymus, *In cap. III Sophoniæ*, testatur, quod Sacerdotes, qui *Eucharistiæ serviunt, et Sanguinem Domini populis ejus dividunt impie, agant in legem Christi, putantes, Eucharistiam imprecantis facere verba,*

non vitam ; et necessariam esse tantum solemnem orationem , et non Sacerdotum merita. Hinc S. Leo M. *Epist. CLVI*, pro certo sumens , irrita esse Sacramenta a nefariis hominibus confecta , deflet miserum Ecclesiæ Alexandrinæ statum : *Manifestum*, inquit , *quippe est , per crudelissimam insanissimamque sævitiam, omne illic cœlestium Sacramentorum lumen extinctum.* Quare vel ipse S. Augustinus, lib III *De Baptismo*, id demum agnovit, scribens : *Quomodo ergo baptizabant , qui fundos insidiosis fraudibus rapiabant... Si sola illa columba (Ecclesia) simplex et casta et perfecta baptizat (1) ?* Et infra : *Tales (avari et raptores) ipsius Cypriani temporibus baptizabant , quos Coëpiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur... Remissionem tamen peccatorum non dabant... Non enim raptoribus et fœeneratoribus diceret Dominus : si cui dimiseritis peccata , dimittentur illis (2).* 2º Atque hæc procul dubio causa extitit , cur fuerit constans , ut affirmat Morinus (3), atque universalis sensus et praxis reiterandi saltem Sacramentum Confirmationis in iis , qui fuerint ab hæreticis vel schismaticis chrismate consignati ; in quam sententiam concessit quoque Maldonatus (4). Adde auctoritatem Romani Pontificis Eusebii , in *Epist. ad Tusciæ et Campaniæ Episcopos* ; Nicolai I, jubentis iterum confirmari Bulgaros a Photianis chrismate inunctos ; ac Patrum asserentium, Baptismum datum ab hæreticis non esse repetendum , sed solam iterandam esse confirmationem , quia effectus proprius confirmationis est conferre Spiritum Sanctum ; quod omnes antiqui contenderunt fieri non posse apud hæreticos , qui eo carent. Hæc porro ratio pariter valet quoad peccatores. Ergo.

141. Resp. ad 1^m, *Dist.* Patres professi sunt , nullum esse Sacramentum ab impiis collatum , quoad effectum seu fructum in iis , qui scienter illorum impietatem participant, *conc.* ; nullum , id est , irritum in se ob improbitatem ministri , *neg.*

142. Sane S. Ambrosius loc. cit. loquitur de baptismatibus

(1) Cap. 17.

(2) Cap. 18.

(3) *De pœnit.* lib, IX, cap. 11, n. 7.

(4) *De Sacram. Confirmat.* tom. I, quæst. 11 , edit. Paris. 1677 , col. 79.

Judæorum et infidelium, et quidem superstitiosis, non autem de Ecclesiæ baptisate, ut ostendit contextus; prosequitur enim: *Judæus urceos baptizat et lavat* (1).

143. S. Hieronymus reprehendit improbos illos Sacerdotes, qui putabant, se *digne* posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo, quod fuerint Sacerdotes, quamvis essent sceleribus inquinati (2); nec alia mens potuit esse S. Doctoris, qui, in *Dialogo adversus Luciferianos*, Donatistarum errorem data opera confutat (3).

144. S. Leo M. conqueritur de extincto cœlestium Sacramentorum lumine, non eo sensu, quod putaverit, nulla aut irrita esse Sacramenta ab impiis administrata, de quo nec suspicari critica permittit; sed quod cessaverit eorundem Sacramentorum administratio ob Dioscori sævitiem. Nam, ut ibidem subdit S. Pontifex: *Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria* (4).

145. S. Augustinus negat, prodesse Sacramenta suscipientibus ea a ministris improbis et schismaticis, ut constat ex tota ora-

(1) Cfr. not. editorum Maur. in hunc loc. qui, expenso quaquaversus hoc S. Ambrosii dicto, concludunt: *Ut-cumque porro res se habeat, certum est, perperam in hac controversia citari hunc Ambrosii locum; non enim in eo de hæreticorum (multo minus impiorum Catholicorum), sed Judæorum, aut etiam de infidelium, quæ tertia acceptio est, baptismo agi, tum ipsa orationis series, tum auctor operis de Sacrament. lib. II, cap. I, n. 2, testatum reddunt.*

(2) Ita S. Th. p. 3, q. 82, a. 5, ad 1. Cfr. not. Vallars. in hunc loc. Id unum enim hic cavet S. Doctor, ne, dum de sola sibi Sacerdotes potestate blandiuntur, rectam vivendi deserant normam, et quod potestate construunt, exemplo destruant. Clarius etiam con-

stat hic sensus ex iis, quæ paulo post (col. 721 edit. cit.), subdit, ubi hoc ipsum inculcat.

(3) Cfr. Lib. *Cont. Lucifer.* n. 5 et seqq. ubi hæc ipsa argumenta a Luciferianis objecta solvit.

(4) Cap. 5. Ut autem magis pateat, eandem semper hæreticos indolem patefecisse, placet verba exscribere, quibus Eutylianorum sævitiem et audaciam sacrilegam ibid. describit: *Nec ullo modo, inquit, ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui post nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi Sacerdotis effusum et concremati corporis cinerem in contumeliam aeris cœlique dispersum, audent sibi jus perversæ dignitatis expetere, et apostolicæ doctrinæ inviolabilem fidem ad Concilia provocare.* Edit. Ballerin.

tionis serie. Tria enim ibi affirmat S. Doctor, quæ ejus mentem luculenter declarant: 1^o ubique inveniri *Sacramenti integritatem*, non autem peccatorum remissionem; 2^o non posse quempiam juvari precibus Sanctorum, dum pessime vivere perseverat, non obstante *pio columbæ ministerio*. 3^o Si convertantur, *non rebaptizantur*, et tamen incipiunt *ad columbam pertinere* (1).

146. Ad 2^m, *Neg.* Ostendit enim eruditissimus Christianus Lupus, deceptos illos Scriptores fuisse; cum in monumentis, quæ illi adducunt, non agatur nisi de pœnitentiæ Sacramento, quod juxta diversos effectus, quos producit in illis, quibus confertur, interdum a Veteribus dicebatur dari in aliis *in pœnitentiam*, in aliis *in Spiritum Sanctum* (2). Animadvertit præterea, Eusebii Pontificis Decretalem nullius ponderis esse, utpote supposititiam.

147. Ad responsum vero, a Nicolao I Bulgaris datum, idem auctor concedit, Sanctum Pontificem in hac parte secutum esse opinionem satis suo tempore communem, qua irrita habebatur,

(1) En ejus verba ex cap. 17 lib. cit.: *Sacramenti autem integritas ubique cognoscitur; sed ad peccatorum illam irrevocabilem remissionem extra unitatem Ecclesiæ non valebit. Nec in hæresi aut schismate constitutum Sanctorum orationes, id est, illius unice columbæ gemitus, poterunt adjuvare; sicut nec intus positum possunt, si adversum se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum, non solum si per accipitrem, sed etiam si per ipsius columbæ pium ministerium baptizetur.*

(2) *Diss. de octava Synod.* edit. Venet. 1724, tom. III, *Calumn.* IV, pag. 341 et seqq., ubi hoc argumentum pluribus evolvit, confutans Morinum et Maldonatum. Ceterum Morinus ipse in altera sui operis, *De pœnitent.* edit. nempe data Antverp. 1682, hanc opinionem retractavit. Cfr. edit. cit. *Auc-*

toris de recognitione operis sui ad lectorem admonitio. Hic enim expositis rationum momentis, quæ favere videbantur sententiæ a se assertæ, quæ tamen reperit eidem adversari, concludit: *Puram puto fuisse ceremoniam, quam in hæreticorum reconciliatione et Ecclesiæ incorporatione adhibebant (Veteres). Quod attinet ad Maldonatum, P. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Soc. Jesu, Antverp. 1643, pag. 257, scribit: Disputationum ac controversiarum decisarum circa VII Ecclesiæ Romane Sacramenta tomi II in 4^o Lugduni sine Typographi nomine 1614 vulgati, sub Maldonati nomine, nec illius nec ullius de societate sunt, et suos etiam errores continent.* Attamen eidem Maldonato hoc opus vindicet editor opp. Theologic. ejusdem auctoris adversus P. Alegambe. Cfr. Joan. Maldonati, *Opera varia Theologica tri-*

ac proinde iteranda chrismatio ab hæreticis facta. Idemque sensisse autumat eundem Pontificem circa ordinationem, re nondum tunc temporis eliquata, prout postea factum est (1). Ast perperam. Hac siquidem sententia minime permotus fuisse videtur Nicolaus I, dum jussit iterari confirmationem a Photianis collatam; sed quia Bulgaria spectabat ad Patriarchatum Occidentis, in quem nullam poterat Photius exercere auctoritatem; quare a Romanis Pontificibus Bulgariæ presbyteris delegatio et jus conferri debebat administrandi Sacramentum Confirmationis; ex hujus propterea delegationis defectu irritam declaravit Nicolaus chrismatis consignationem factam a Græcis presbyteris (2). Quod vero spectat ad ordinationem, destruitur per ea ipsa quæ, idem auctor alibi scripsit (3). Ast de hoc alias iterum.

PROPOSITIO III.

In ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

148. Hoc est de fide juxta definitionem datam a Tridentino, sess. VII, can. XI: *Si quis dixerit, in ministris non requiri, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Tridentinis Patribus præiverat Martinus V in Conc. Constantiensi et Eugenius IV in Conc. Florentino. Est autem illa propositio adversus Protestantes, qui, cum in Sacramentis non aliam agnoscant virtutem nisi fidei excitandæ, ea proinde valere inferunt, quamvis mimice ac irrisorie conferantur.

149. Intentionis nomine hic venit illa animi deliberatio, qua

bus tomis comprehensa. Lutet. Paris. 1677. Vid Præf. *De vita et scriptis Maldonati.* Certe in hoc opere non videntur reperiri illi errores, quos autumat in eo esse P. Alegambe.

(1) Cfr. *ibid.* pag. 343. Cfr. de hoc argumento Bellarm. *De Sacram.* lib. 1, cap. 25; Estius, *In 14 lib. Sent.* d. 1,

§ 25 et seq. Vasq. *in 3 p. S. Th.* disp. 137.

(2) Cfr. idem auct. *Schol. in Can.* iv *Synod.* viii, pag. 268.

(3) Cfr. in *Dissert. secunda proœmiali De simonia crimine*, etc. cap. 17, edit. cit. tom. iv, pag. 104 et seqq.

quis intendit facere rem sacram, quam Christus instituit, aut quæ in Ecclesia fieri consuevit (1). Si hæc intentio habeat tantum pro objecto rem illam sacram materialem, ut aiunt, seu externam actionem, *intentio externa* nuncupari consuevit; si præterea habeat pro objecto intimam rei sacræ naturam seu actionem, ita ut quis intendat efficere reipsa actionem sacramentalem, vocatur *intentio interna*. Controversia, quæ inter Catholicos et Protestantés agitatur, est de intentione externa. Quid porro sentiendum verisimilius sit de intentione interna, de cuius necessitate disceptant inter se Theologi catholici, aperiemus in scholiis, quæ ad calcem tractatus apponemus. Intentio potest esse aut actualis aut virtualis, quæ nempe perseverat virtute deliberationis, quæ præcessit; prior est optima, sed non necessaria in Sacramentorum collatione; posterior, quæ sufficit ad actum humanum constituendum, omitti nequit, ac ea est, de qua disceptatur.

150. Ejusmodi porro intentionem, saltem externam et virtua-lem, necessario requiri in Sacramento conficiendo et conferendo, ea omnia Scripturarum testimonia evincunt, in quibus Sacramentorum administratores vel exhibentur tanquam *Ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, ut I Cor. IV, 1; vel jubentur a Christo, Eucharistiam conficere in suam commemorationem, ut Luc. XXII, 19; vel demum judiciaria potestate donantur, illis ejusdem Christi verbis Joan. XX, 23: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Jam vero nec tales esse possunt nec talia peragere, qui indeliberate ac temere delirantium more operantur.

151. Accedit, quod ad Sacramenti valorem requiratur, ut actio, quæ fit, ut diximus, sit actio humana ac deliberata; talis vero actio esse nequit, nisi ex intentione procedat; præsertim cum de aliqua actione agatur, quæ ad varios fines referri possit,

(1) Diligenter animadvertendum est, non semper opus esse, ut conferens baptismi sciat illud esse a Christo institutum, aut intendat facere quod Christus instituit; sed satis est, ut intendat facere, quod novit in Ecclesia seu in

cœtu Christianorum fieri. Alioquin, si paganus ignoraret Christi institutionem, invalide conferret baptismum, dum intendit ponere id, quod in Ecclesia novit fieri. Hinc addidimus: *Aut in Ecclesia fieri consuevit.*

neque ad unum possit determinari nisi ex operantis voluntate et intentione (1); alioquin pater ad balneum ducens puerum suum ob solam munditiam et sanitatem, si, dum illum immergit, more christiano invocet nomen SS. Trinitatis, puer revera baptizatus conseri deberet, quo nihil absurdus. Talia porro sunt pleraque Sacramenta.

152. Demum omne dubium removet Ecclesiæ praxis, ex qua edocemur, ordinationem Novatiani pseudopontificis, ab Episcopis temulentis factam, *adumbratam et inanem manuum impositionem* appellari a Cornelio in *Epistola ad Fabium Antiochenum* (2). Baptismus item a femina præstigiatrice collatus sub finem sec. II, incunctanter ab omnibus irritus est declaratus (3); quia nempe et in illis Episcopis et in hac femina non credebatur esse præsens rationis usus, unde necessaria intentio posset haberi. Alioquin, si psittacus ita edoctus aquam profunderet ac verba pronunciaret, baptisma conferret, quod nec Protestantes admittunt; et nihilominus ex eorum principiis actio ista apta esset ad fidem excitandam. At psittacus, dices, non est homo. Repono, quare ergo ab homine conferendum est Sacramentum, nisi ut humano modo conferatur, ac propterea cum intentione, voluntarie et libere?

DIFFICULTATES.

153. Obj. 1^o Ado Viennensis, cui adstipulatur Martyrologium Romanum, VIII kal. Sept. refert, Genesium mimice in theatro baptizatum. 2^o Rufinus, Socrates atque Sozomenus tradunt, a

(1) Apposite S. Th. p. 3, q. 64, a. 8: *Quando, inquit, aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa*

alia hujusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis.

(2) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 43.

(3) Hoc factum refert Firmilianus *Epist. ad Cyprian.* quæ inter Cyprianicas edit. Maur. est, n. LXXV. cfr. p. 146.

puerulo Athanasio alios pueros ludicre baptizatos, atque ab Alexandro, Episcopo Alexandrino, rata habita esse ejusmodi baptismata (1). 3^o Idem sensit S. Augustinus de baptismo a Nicephoro archiatro *nugaciter* suscepto, qui, abjecta nugacitate, reiteratus non est (2). Hinc, 4^o *Tract. V in Joan.* n. 14, loquens idem S. Doctor de ministro baptismi: *Non timeo*, inquit, *adulterum, non timeo ebrium... quia columbam attendo, per quam mihi dicitur; hic est qui baptizat.* 5^o Et lib. VII *De Baptismo*, propositis sibi quæstionibus, an valeat baptismus *in mimo cum fide, si quispiam inter agendum repentina pietate moveatur*; tum, an valeat illud, *quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat*, anceps hæsit, et *divinum judicium* per alicujus revelationis oraculum implorandum dicit ad decernendum, an valeat, quod *totum ludicre et mimice et joculariter ageretur* (3). Quomodo igitur, post XII ferme secula, Ecclesia potuit decernere, illud minime valere? 6^o Rursum idem Augustinus, *Contra Cresconium*, lib. III cap. VIII, Sacramenta semini comparat, quod operarium quidem exposcit, sed, *qua mente operetur, qua laboret intentione*, non curatur. 7^o Augustino consonat Chrysostomus, dicens: *Pater et Filius et Spiritus S. omnia facit; neque enim justum est, propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fideles accedentes offendi* (4). 8^o Consonat Isidorus Pelusiota, qui nefarios Sacramentorum ministros comparat *Balaami asinæ* (5); quæ pariter Chrysostomi similitudo est. Ergo.

154. Resp. ad 1^m, *Dist.* attamen non dicitur validum ejusmodi baptismata, *conc.*; secus, *trans.* Addo, Genesium in sanguine suo baptizatum fuisse (6).

(1) Rufin. *Hist. eccl.* lib. x, cap. 14; Socrat. *Hist. eccl.* lib. 1, cap. 15; Sozomen. lib. II, cap. 17, atque ex iis Nicephorus, lib. VIII, cap. 44.

(2) *Epist.* CCXXVII, ad Alipium

(3) Cap. 53.

(4) *Hom.* LXXXVII, in Joan. n. 4 edit. Maur.

T. V.

(5) *Epist.* XXVII, lib. II, edit. Billii, Paris. 1638.

(6) De hoc Genesio diversi diversæ sentiunt. Nonnulli in dubium revocant ejus historię veritatem; sed perperam. Cfr. *Acta SS. Bolland.* tom. v, mens. August. pag. 119 et seqq. *Ruinart. Acta Martyrum sincera*, edit. Veron.

155. Ad 2^m, *Dist.* Illud tradunt laudati Scriptores ex dubia fama, quæque falsa ex chronologia deprehenditur, non solum a Tillemontio sed et ab ipso Basnagio (1), *conc.*; vere, *subdist.* rata habita sunt ab Alexandro ejusmodi baptismata, postquam deprehendit in Athanasio animum imitandi, adeoque et faciendi, quod in Ecclesia fieri vidit, prout subdunt iidem historici, *conc.*; alias, *neg.* Id ipsum dicendum de puero hebræo in ora maritima a pueris ludentibus baptizato, testante Nicephoro Callixto (2).

156. Ad 3^m, *Dist.* Id est, deposita, quam prius ostenderat, animi

pag. 236. Alii saltem dubia movent circa collationem ejus baptismi in scena; quia, inquirunt, nemo de hoc baptismo in scena collato mentionem injecit usque ad Adonem Vienn. qui est seculi ix scriptor; defunctus siquidem est Ado anno 880. Ast vero Ado non proprio Marte hæc scripsit; sed refert Acta antiqua, quæ simplicitate sua se commendant, ac propterea a Tillemontio aliisque recensitis scriptoribus præferuntur actis Surianis. Cfr. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'hist. ecclésiastique*, tom. iv, pag. 694 et seqq. Ceterum duobus modis exterior Ecclesiæ ritus per jocum exerceri potest: altero quidem, ut ritus simulate tantum repræsentetur; et hic modus, utpote in quo sistit tota agentis ratio, Sacramenti veritatem impedit; altero vero, cum quis intendit facere, quod facit Ecclesia, etsi ad jocum, luctum aliumve malum finem; hac porro posteriori ratione administratum baptismum valet, cum hic modus extrinsecus sit ipsi baptismo, aut alii cuilibet Sacramento. Cfr. S. Th. 3. p. q. 74, a. 2, ad 2. Potuit propterea hoc posteriori modo baptismum administrari

Genesis in hypothesi illorum, qui pugnant pro ejus validitate.

(1) Diversa pariter, imo contraria sunt eruditorum judicia circa hoc baptismum, quod perhibetur a S. Athanasio adhuc puero collatum. Hanc Rufini historiam, ex qua postea eandem hauserunt Socrates et Sozomenus, rejiciunt Tillemontius, *Mémoires*, etc. tom. viii, pag. 651, not. ii. *Sur l'histoire du baptême de S. Athanase*; Maurini editt. in *Vita S. Athan.* opp. tom. i, pag. 3, n. 2. Quibus assentitur ex heterodoxis Basnagius, *Annal. politico-eccl.* tom. ii, ad annum 326, n. xiv. Eam vero recipiunt præter Baronium, ad annum 311, n. 61; Pagius, *Critica*, an. 311, n. 20; Papebrochius ad diem 2 Maj. pag. 288, § 20. Henschenius autem ad diem 26 Febr. pag. 636, c, hæret dubius. Quidquid porro sit, saltem valde suspecta ea est, ac difficile omnino cum chronologia conciliatur.

(2) *Hist. eccl.* lib. iii, cap. 37. Refert tamen idem historicus ibid. puerum illum a ludentibus infantibus prius in mari tinctum, jussu Constantinopolitani Episcopi denuo fuisse baptizatum saltem, ut innuit, sub conditione.

levitate et inconstantia ob eam, quam Nicephorus expertus est, Dei punitionem, *conc.*; id est, mimice seu fecte, *neg.* (1).

157. Ad 4^m *Dist.* Scilicet *ebriosum* seu *malum* juxta S. Augustini scopum et emendatiores editiones (2), *conc.*; vere *ebrium*, *neg.*

158. Ad 5^m, *Dist.* Hæsit S. Doctor, si quispiam *repentina pietate moveatur*, vel *subito fideliter commotus accipiat*, *conc.*; hæsit circa hæc baptismata in se spectata, *neg.* In priori igitur tantum casu præcise anceps fuit S. Augustinus, ut ejus verba declarant; ac in tali casu implorandum censuit divinæ revelationis oraculum, quod postea editum est ab Ecclesia, cui divina assistentia præsto erat, utpote legitimæ Scripturarum et Traditionis interpreti. Quod si in hypothesi adversariorum Ecclesia post XII secula non potuit definire quæstionem, circa quam hæsit dubius S. Augustinus, quare ipsi affirmant, valida esse hæc ipsa baptismata, post XII secula?

159. Ad 6^m, *Dist.* Non attenditur juxta S. Augustinum in ministro, an ejus intentio fuerit bona vel mala, ad sensum Cresconii donatistæ, *conc.*; an *nulla* omnino fuerit, *neg.* (3).

160. Ad 7^m, *Dist.* Non obstante bona vel mala Sacerdotum vita, de qua loquitur S. Joan. Chrysostomus, *conc.*; deficiente intentione, *neg.* De hac enim ibi non disserit S. Doctor.

161. Ad 8^m, *Dist.* Similitudine utens inadæquata, *conc.*; adæquata, *neg.* Alioquin etiam bruta animantia possent Sacramenta administrare. Ceterum sensus S. Isidori colligitur ex iis, quæ ibidem scribit: *Is, qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba Sacerdotum vita nullo damno afficitur* (4). De sola proinde ministrorum improbitate loquitur.

(1) Ut patet ex toto contextu. Cfr. ibid. S. Doctor.

(2) Ita legunt Lovanienses, Maurini, Clericus ipse; et exigit orationis series. Scribit enim loc. cit. S. August: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam.*

(3) Nempe ibi agitur de intentione

mala extrinseca ipsi actioni baptismatis, ut paulo ante declaravimus.

(4) Ὁ Τελούμενος οὐδὲν παραβλάπεται εἰς τὰ σωτηριάδη σύμβολα, εἰ ὁ ἱερεὺς μὴ εἶ βιούς εἴη. pag. 137. Idem prorsus est sensus S. Joan. Chrysostomi qui loc. cit. quærit reverentiam conciliare Sacerdotibus, etsi isti interdum

162. Inst. primo. Innocentius IV, in III *Decret.* scribit minime requiri, *quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia... nec quod gerat in mente facere, quod facit Ecclesia; immo, si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat*, nihilominus valere baptismum. 2^o Ratio est, quia minister est instrumentum; in instrumento autem nulla requiritur intentio. 3^o Præterea, uti Sacramentorum, ita divini verbi dispensatores sunt Sacerdotes; porro divini verbi efficientia non pendet ab intentione ministri, ita neque efficientia Sacramentorum, ut luculenter patet in Eucharistia, quæ sine ulla intentione vere distribuitur; sic etiam oratori regio satis est, si mandati litteras ostendat, quidquid demum animo verset. 4^o Demum, si vera esset Catholicorum doctrina, illinc perpetuus metus et graves ambages exurgerent in animis Sacramenta suscipientium, nunquam satis tuti essent, utrum ea legitime suscepissent necne. Ergo.

163. Resp. ad 1^m, *Dist. Dummodo baptizare (minister) intendat*, ut ibidem declarat Innocentius, *conc.*; si non intendat baptizare, *neg.* Non debuit propterea Turretinus, qui nobis Innocentii auctoritatem objicit, hæc verba omittere. Rom. Pontifex declarat, quod superius dixerat, exemplo Saraceni baptizantis, qui tamen ignorat, quid sit Ecclesia (1).

164. Ad 2^m, *Dist. Ast vivum, animatum et liberum, conc.*; inanimatum, *neg.* (2).

165. Ad 3^m, *Neg.* has paritates, quia verbum divinum est

non ea, qua ipsos decet, morum sanctitate viverent.

(1) Cfr. *Innoc. iv, In quinque libris Decretalium Commentaria*, Venet. 1588, fol. 187; ubi inter cetera scribit: *Et ipse (Saracenus) baptizans tanquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt; licet non credat ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est; sed, si hoc non intenderet, non baptizaret; nec est necesse,*

quod aliquis sciat, quid in his Ecclesia intelligat, vel etiam quod sciat, vel credat Ecclesiam esse. Non poterat profecto hic Pontifex clarius mentem suam aperire. Adde, hæc commentaria juris canonici non præ se ferre auctoritatem, utpote ab ipso exarata, cum adhuc in minoribus esset.

(2) Cfr. S. Th. 3. p. q. 65, artt. 8 et 9, ad 1.

speculativum, non autem practicum, cujusmodi sunt Sacramenta; cum Eucharistia porrigitur, jam confecta est; oratoris regii exemplum pariter non est ad rem, cum non agatur de actione practica.

166. Ad 4^m, *Dist.* Quæ exoriri æque possent ex defectu aliquo vel materiæ vel formæ, *conc.*; ex sola intentione, etsi nullum adsit externum indicium, *neg.* Censet etiam S. Thomas, ministrum agere ex nomine Ecclesiæ, ac proinde in verbis, quæ profert, exprimi intentionem Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti (1).

CAPUT IV.

DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CEREMONIIS.

167. Relicta philologis cura investigandi originem et ethymologiam vocis *ceremoniæ* (2), nos per eam intelligimus *ritum externum ac religiosum, institutum ut majori pompa atque splendore peragantur sacra*; nam *mentes fidelium*, ut inquit Tridentinum, *per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitantur* (3).

168. Variæ sunt ceremoniarum species. Aliæ consistunt in verbis, ut exorcismi; aliæ in actionibus et corporis motibus, ut crucis signa, genuum flexus; aliæ in externarum rerum usu, ut aqua lustralis, lumina, vestes. Quædam Christum ipsum auctorem habent, quædam Apostolos, quædam Ecclesiam. Ex his aliæ in universa Ecclesia usurpantur, aliæ vero in peculiaribus

(1) Cfr. S. Th. loc. cit.

(2) Cfr. præter S. Isidorum, *Originum*, lib. vi, tit. *De officiis*, fratrum Domin. et Carol. Macri *Hierolexicon*; Jos. Vicecomitis, *Observationes eccles. de antiquis Baptismi ritibus*, Paris. 1618, cap. 2; Ger. Joan. Vossii *Etymologicon*, ad vocem *cæremonia*, opp. edit. Amstel. 1695, tom. i. Ceterum accurate Domin. Macri observat in op. *Notizia*

de' vocaboli ecclesiastici, illud intercedere discrimen inter *Ritum* et *Ceremoniam*, quod habetur inter aquam et lotionem; etenim ceremonia juxta mentem Conc. Trid. est *ipsa actio*, ritus est *modus præscriptus*, quo fit ipsa actio. Promiscue tamen usurpari hæ voces consueverunt.

(3) Sess. xxii, cap. 5.

Ecclesiis tantum obtinent. Nos de iis, quæ universim receptæ sunt, hic agimus. Hunc ceremoniarum apparatus in solemnibus Sacramentorum administratione plerique Protestantium, præsertim ex Calviniana secta, rident et aspernantur. Adversus quos sit

PROPOSITIO.

Recepti et approbati Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt.

169. Est hoc de fide. Concilium enim Trident. sess. VII, can. XIII, tulit his verbis expressum : *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

170. Hæc porro definitio directe afficit potestatem, qua Ecclesia a Christo instructa est ea instituendi, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem, salva eorum substantia; prout declaravit eadem Synodus, sess. XXI, cap. II, dicens, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret.* Quare perinde est receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus contemnere aut pro libito omittere aut in novos privata auctoritate mutare, ac denegare potestatem Ecclesiæ a Christo collatam; quod, salva fide, fieri omnino nequit (1).

(1) Hic notandum tum quoad hanc tum quoad alias ejusmodi theses, eatenus eas de fide esse, quatenus continent factum cum jure conjunctum.

Factum in præsentibus propositionibus sunt ritus ipsi seu ceremoniæ, quæ usurpantur in solemnibus Sacramentorum administratione; hæc profecto neque

171. Hac autem potestate Ecclesiam a Christo instructam esse, constat 1^o ex Apostolo, qui, I Cor. XI, cum plura de Eucharistiæ Sacramento scripsisset, concludit v. 34: *Cetera, cum venero, disponam*. Quibus verbis nonnulla, quæ ad majorem conciliandam huic Sacramento venerationem et ad uberiores fructum ex eo percipiendum spectant, se constiturum pollicetur Apostolus, prout probe animadvertit S. Augustinus, qui hæc ipsa verba expendens: *Unde intelligi datur*, inquit (*quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia*), *hoc ipso ordinatum esse; quod nulla morum diversitate variatur* (1).

172. Id constat 2^o ex horum rituum institutione, quæ cœpit ab ipso christianæ religionis exordio. Illorum enim meminerunt Justinus (2), Tertullianus (3) aliique II et III seculi Scriptores, qui de iis loquuntur tanquam a tempore immemorabili ubique receptis, eosque repetunt ab apostolica traditione. Horum testimonia ac monumenta reliqua, quæ id ipsum confirmant, summo studio collegerunt et expenderunt præter Bellarminum, Bona, Casalius, Vicecomes, Robertus Sala, Pellicia aliique (4).

sunt divinitus institutæ, neque in divina revelatione continentur. *Jus* est potestas a Christo Ecclesiæ collata ejusmodi ritus seu ceremonias instituendi; porro de hoc jure ex divina revelatione constat. Negare propterea, contemnere aut docere, posse hosce ritus sine peccato omitti, est indirecte saltem impetere jus ipsum, quod ex divina institutione Ecclesiæ competit; hoc siquidem contra fidem est.

(1) *Epist. LIV. ad Januar. cap. 6, n. 8*. Tum hæc tum sequens altera Epistola, ad Januarium datæ, sunt de hoc argumento ac legi merentur.

(2) *Apolog. I, n. 61*, ubi meminit jejunii, orationis, immersionis in colatione baptismi; et n. 65, ubi me-

morat osculum, acclamationem, preces, gratiarum actiones, distributionem in celebratione Eucharistiæ.

(3) *De Corona*, cap. 3 et 4.

(4) Casalius, *De veteribus sacris Christianorum ritibus*, vol. I fol. Romæ, 1647, præsertim lib. II; Jos. Vicecomes, op. cit. *De antiquis Baptismi ritibus*; Rob. Sala in notis et illustrat. *Rerum liturgicar.* Card. Bona, vol. IV fol. Augustæ Taurin. 1747; Pellicia, *De Christianæ Ecclesiæ primæ, mediæ et novissimæ politia libri sex*, vol. 2, Venet. 1782. Sed cfr. etiam Gab. Albaspinæi, *De veteribus Ecclesiæ ritibus Observationum* lib. II, Paris. 1623.

173. Constat illud 3^o ex antiquissimis Constitutionibus, quæ Apostolicæ dictæ sunt et Clementis Romani; ex liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus, quæ in iis, quæ ad substantiam spectant, omnes mire consentiunt, ac produnt propterea hoc ipso consensu communem originem, quod vel ipsi doctiores Protestantes animadverterunt (1).

174. Quare vel ipsi Pseudo-reformati, qui prius Ecclesiæ catholicæ succensuerant, eo quod tali potestate uteretur, postea eandem sibi arrogarunt; nam in præfatione *Confessionis Helveticæ* fatentur: *Semper in ritibus et ceremoniis Christi Ecclesias usas esse libertate*, idque ex historia innotescere. Eandemque potestatem sibi vindicarunt ac in praxim deduxerunt non ita pridem Lutherani in regno Borussiae (2).

175. Non posse autem sine peccato ejusmodi ritus, in universa Ecclesia receptos, a quolibet Ecclesiæ pastore privata auctoritate aut omitti aut mutari, vel inde patet, quod hi ritus valde conferant ad instructionem fidelium, utpote arctissime conjuncti cum doctrinis dogmaticis et moralibus; quarum, ut ita loquar, expressio sunt (3). Hinc est, quod quicumque novitates in Ecclesia machinati sunt, semper cœperint a receptis his ritibus immutandis ac innovandis, non sine ingenti pacis et tranquillitatis jactura et populi offensione (4). Hoc pariter demum fassi sunt iidem Protestantes, qui in *Confessione Augustana atque Saxo-*

(1) Cfr. apud Rob. Sala, op. cit. tom. 1, lib. 1, cap. 6, pag. 90 et seqq. tum apud Coteler. *Patrum Apostol.* tom. 1, ubi etiam cfr. Guil. Beveregii, *De canon. apost. judicium*.

(2) Paucis ab hinc annis Borussiae rex proposuit *Liturgiam cultus Evangelici* Ecclesiis protestantibus Lutheranis-Calvinianis, quæ numerantur 7782. Ex his Regis jussioni statim 5343 obtemperarunt, et in praxim eam deduxerunt. Argumenta siquidem illius Regis multum valent ad persuadendum.

Cfr. *L'Ami de la Relig.* n. 1143.

(3) Sane S. Augustinus ex ritibus exsufflationis, exorcismorum, etc. adhiberi solitis in Ecclesia, argumentum instruit adversus Pelagianos, ad constabiliendam fidem, in eadem Ecclesia receptam, de peccato originali.

(4) Hæc non ita pridem in Jansenistarum molitionibus tum ad antiquas ac ubique receptas consuetudines abrogandas tum ad novas inducendas contigisse comperimus tam in Gallis quam in Italia.

nica aperte affirmant : *Peccare illos , qui ceremonias cum scandalo violant , atque superbe contemnunt , quippe ordinem disciplinæ ac regiminis intervertentes et turbantes tranquillitatem.* His consonat Melanchton , Oecolampadius , Hoffmeisterus , Grotius (1).

176. Sive igitur hujus potestatis originem spectemus , sive perpetuam Ecclesiæ praxim et sensum traditionalem , sive ipsorum adversariorum confessionem et praxim ac intimam ipsius rei naturam , luculenter patet , quod proposuimus , receptos nempe , etc.

DIFFICULTATES.

177. Obj. 1^o Ceremonias suas ac ritus Ecclesiâ ab usibus Hebræorum et ethnicorum derivavit , ut pluribus ostendit Spencerus (2). 2^o Aliquæ præterea ex illis ridiculæ sunt , 3^o et omnes inutiles ; cum nihil conferant ad Sacramentorum fructum , qui juxta Catholicos ex opere operato producitur. 4^o Sed et improbatæ fuerunt ab Apostolo , qui , Coloss. II , 8 , docet , non esse ab hominibus petendam doctrinam de vero Dei cultu , ne per inanem fallaciam abducamur a grege Christi *secundum traditionem hominum.* 5^o Eadem habet S. Augustinus , monito Apostoli obtemperans (3). 6^o Sane primitiva Ecclesia cultu admodum

(1) Grotius *Annotat. ad Cassandrum* , tom. IV , pag. 622 ; Hoffmeisterus , *Harmon. confess. August.* pag. 325 ; Oecolampadius in *Epist. ad Erasmus Ritterium* ; Melanchthon , *Epist. ad Rom.* Cujus tantum verba , ne longior sim , hic adducam : *Non probo , inquit , petulantiam illorum , qui ritus et traditiones sine probabili causa ubique violant , seu studio novitatis , seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas , sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius , quam asper-*

nari publicos mores , præsertim si videantur disciplinæ causa instituti ? Hinc Aphons. Virvesius , *Philippica XIV* , Catholicos a suorum diceriis liberat , quod in his ceremoniis vim agnoscant : *Nemo est , inquit , inter Catholicos tam stupidus et superstitiosus , qui credat , vestium colorem aut formam , et ceremonias alias hujusmodi justificare.*

(2) *De legibus Hebræorum rituum* libri tres , præsertim lib. III , diss. I , cap. 2 , sect. IV et cap. 8.

(3) *Epist. IV ad Jan.* cap. 19.

simplici mysteria celebrabat in spiritu et veritate; 7^o præsertim cum semper instet periculum, ne ejusmodi rituum apparatu ac multitudine fidelium mens obruatur, et quæ ceremonialia sunt cum essentialibus commisceantur, prout contigit Cornelio Pontifici, qui dubitavit de validitate baptismatis Novatiani, eo quod absque his ritibus ei fuerit administratum; 8^o imo et contigit Theologis ipsis, qui propterea nunc disputant de materia essentiali et integrali Sacramentorum. Ergo.

178. Resp. ad 1^m, *Dist.* Omnes ceremonias Ecclesia ab usibus Hebræorum et ethnicorum derivavit, *neg.*; nonnullas, *trans.*; vel *subdist.* mutato objecto et fine, *conc.*; secus, *neg.* Cum ritus ipsi per se indifferentes sint, ac totam suam bonitatem vel malitiam ex objecto et fine mutuuntur, mirum esse non debet, si nonnullos ritus Ecclesia ab Hebræis aut ethnicis adoptaverit, purificatos tamen ac mundatos ab omni superstitionis specie, ut faciliorem iisdem viam sternerent ad veri numinis cultum amplectendum, ut observat Benedictus XIV (1). Non desunt eruditi viri, qui negent, Ecclesiam nonnullos ritus ab ethnicis desumpsisse, sed contendant, eos vel ex naturæ lege et instinctu, vel ex Hebræorum institutis divinitus præscriptis, vel ex quibusdam Divinorum Librorum effatis, vel ex catholicis dogmatibus originem habuisse. Verum, hoc omisso, si ex eo, quod ritus quidam nostri hebraicis ethnicisque ritibus communes sunt, illi abrogandi essent, ergo et templa et altaria essent destruenda; siquidem et ea tum apud Hebræos tum apud ethnicos in usu fuere; quod nemo profecto contendet (2).

(1) Cfr. *De Sacrif. Missæ*, lib. 1, tum *De Beat. et canon. Sanct.* lib. 1, cap. 1. Cfr. etiam erudita Epist. Emman. de Azevedo S. J. *Ad Liturgicæ Academ. Conimbrinc. auditores*, præmissa opp. Bened. XIV, edit. Rom. 1747. Recolantur quæ diximus, *Tract. de Cultu SS.* n. 101.

(2) Profecto idem Spencerus hunc veluti scopum sibi proposuit in op. cit.

Deum scilicet voluisse, ut Moyses plures ex Ægyptiis et Zabienis ritus adoptaret, ut hac ratione populum sibi commissum ab idololatria atque a superstitione averteret, commutando eisdem objectum. Certum est, lotionem seu baptismum in usu fuisse tum apud Hebræos, præsertim post captivitatem, tum apud Ethnicos in mysteriis Isis et Mithræ. Num propterea abjicere de-

179. Ad 2^m, *Dist.* Si pravis aspiciantur oculis, neque attendatur ad eorum significationem, *conc.*; si debito pietatis sensu et ratione habita significationis, *neg.*

180. Ad 3^m, *Neg.* Apposite multiplicem sacrorum rituum utilitatem sic exponit Card. Bona: *Licet ipsæ ceremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simplices, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudo christianis et heterodoxis discernuntur* (1). Ad illud vero, quod additur de fructu Sacramentorum ex opere operato, reponimus, nihil obesse hanc doctrinam fructui accidentali, qui ex rituum apparatu colligi potest, pro majori vel minori pietatis ac fervoris sensu, ut aiunt, qui in animis nostris excitari potest, et *opus operantis* vocari consuevit.

181. Ad 4^m, *Neg.* Loquitur enim Apostolus in adducto textu de sublimitate fidei, non autem de ritibus aut ceremoniis. Merito autem asserit S. Paulus, fidem nostram non esse petendam abs doctrinis hominum, qui Christo contraria docent; agit enim hic de superstitioso Pharisaismo et de Hebraizantibus (2).

bemus baptismum, quem constat a Christo fuisse institutum et præceptum? Huc porro conducunt principia adversariorum. Ad hæc profecto non advertit Ant. Thysius, dum, *Exercit.* vi, contendit, ex Gentilibus Pontificios aspersionem suam accepisse. Cfr. apud Th. Crenium, fascic. iv *Opusculorum*, Rotterod. 1694, pag. 477. Hæc omnia præoccupata fuerant a nostris. Satis est oculos conjicere in opus mox citandum Card. Bona, qui ejusmodi nugæ non minus docte quam pie disjicit.

(1) *Divin. Psalm.* cap. 19, § 3; Benedict. xiv, *De Sacrif. Missæ*,

lib. 1, et Trombellius, *De Baptismo*, inter ceteros rituum sacrorum usum et dignitatem late exponunt. Nec defuerunt ex ipsis Protestantibus, qui apologiam texuerint nostrorum rituum; inter quos non infimum locum tenet Claudius Harmes Kiel Archidiaconus protestans, qui pluribus editis operibus sese opposuit pseudo-reformatorum semper novis pullulantibus opinionibus, et Catholicorum vindicias suscepit annis 1824 et 1825; qui propterea calumniis ac diatribis a suis lacessitus fuit.

(2) Cfr. Bern. a Pic. in hoc loc. Etiam Georg. Rosenmüller id fatetur, qui,

182. Ad 5^m, Vel *Neg.* vel *Dist.* Loquitur Augustinus de iis ceremoniis, quæ a privatis hominibus inductæ fuerant, quæque nullum in Scriptura, Traditione aut publico Ecclesiæ universalis usu habebant fundamentum, *conc.*; loquitur de iis, quas nos propugnamus, *neg.* Id patet ex orationis serie (1).

183. Ad 6^m, *Dist.* Ea scilicet ætate, qua fideles metu persecutionum compulsi, in cryptis plerumque ac cœmeteriis delitescerent, sacra peragere cogebantur absque illo magnifico rituum apparatu, quo, postea pace reddita, illico ab iisdem celebrata sunt, *conc.*; absque ullis prorsus ceremoniis, *neg.* Contrarium enim constat ex iis, quæ retulimus.

184. Ad 7^m, *Neg.* Ex dictis enim patet, fidelium mentem mirifice ad pietatem adjuvari, neque timendum est periculum, quod jactant adversarii, ex ceremoniarum usu, dummodo accedat opportuna instructio. Sane nemo est qui nesciat, validum esse baptismum in casu necessitatis absque ceremoniis collatum; id ipsum de ceteris dicatur. Nunquam porro dubitavit Cornelius de baptismi fructu ex defectu ceremoniarum Novatiano dati; sed dubitavit de ejusdem dispositione, prout suspectum Ecclesiæ semper fuit hac ipsa de causa baptismum clinicorum, eorum scilicet qui non nisi in extremo vitæ exitu baptismum suscipiebant (2).

explanans hunc locum, inter cetera scribit: *Verba: Secundum decreta et doctrinas hominum, conjungenda sunt verbo διαμαρτιζοσθε, v. 20, et sensus totius loci v. 20, 21, 22, est: quid suscipitis aut fertis, si quis vobis ingerit ista decreta (qualia sunt: noli tangere, neve gustare, neve contrectare hujus rei aliquid, quod est vetitum lege mosaica veterumque præceptis, cibos in primis interdicos, quod omne perit tamen, scilicet conficitur ipso usu), quæ certe decreta proficiscuntur a præceptis doctrinisque humanis.*

(1) Nam in hac ipsa *Epist. LV* probavit, quæ ab universa Ecclesia insti-

tuta sunt et ubique servantur; demum cap. 19, n. 35, invehitur in illos, qui nova semper obtrudunt, quique *servilibus*, ut ipse loquitur, *oneribus* (Ecclesiam) *premunt*, ut *tolerabilior sit conditio Judæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.* Existimat proinde, ubi facultas tribueretur, hæc esse resecanda. Sed hæc nihil commune habent cum ritibus, de quibus nos disserimus.

(2) Adeo semper Ecclesia abhorruit ab ejusmodi baptismi dilatione ut, irregulares declaraverit eos, qui in

185. Ad 8^m, *Dist.* Quoad omnia Sacramenta, *neg.*; quoad aliqua, *subdist.* quia adhuc re ipsa incerta est essentialis materia ob traditionis obscuritatem, et quia Ecclesia nihil circa eam decrevit, *conc.*; ob rituum inductionem, *neg.* Adde, ejusmodi Theologorum disceptationes speculativas esse nec quidpiam praxi officere.

CAPUT V.

IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA.

186. Ne cogereur disputationis seriem abrumpere, quam adversus hæreticos instituimus, intexendo peculiare controversias, quæ in scholis catholicis agitantur, maluimus nonnulla adjicere scholia, quæ simul et quæstiones istas complectantur et lucem affundant iis, quæ disputata sunt.

187. 1^o Circa Sacramenta Veteris Legis inquiri solet a Theologis in primis, num in statu innocentiae Sacramenta fuerint, aut saltem fuissent, si diu status ille permansisset. Porro nulla fuisse aut etiam futura fuisse Sacramenta in illo innocentiae statu, si diutius ejusmodi status permansisset, censet S. Thomas. Cum neque ut homines per ea sanctificarentur, neque ut depellerentur sensuum illecebræ, quæ nullæ in eo erant, Sacramenta essent instituenda (1). Alii tamen contrariam sententiam tuentur (2). Res incerta est, nec nos quidpiam affirmabimus aut negabimus.

mortis periculo susceperint baptismum. Causas vero, quibus plures inducebantur ad differendum baptismum, suo loco recensebimus.

(1) Cfr. p. 3, q. 61, a. 2.

(2) Ut Suarez, *In III. p. S. Th.* quæst. 61, art. 2, disp. 3, sect. 3; Isambertus, *De Sacram. in genere*, ad quæst. 61, disp. 1, art. 2 aliique, quos non vacat enumerare. Quod tamen magis mireris, est, nonnullos Protestantibus, qui vix duo Sacramenta a

Christo instituta agnoscunt, contendere tamen, Sacramenta fuisse in statu innocentiae. Jos. Volf. Jaegerus lutheranus, in *Jure Dei fœderato cum hominibus*, quæst. v, autumat, arborem vitæ Sacramentum fuisse; Joan. Braunius, in *Doctrina fœderis*, vol. 1, part. III, cap. 11, agnoscit duo Sacramenta *Paradisum* scilicet, et *arborem vitæ*; Herman. Wistius, in lib. 1, *De œconomia Dei cum hominibus*, censet fuisse *quatuor*: *Paradisum*,

188. Inquiri præterea solet, num in statu legis naturæ tam pueris quam adultis aliquo sensibili signo fuerit applicata fides, qua illi ab originali peccato, isti præterea a peccatis actualibus ablui ac sanctificari potuerint. Quoad adultos fere omnes conveniunt, aut per preces aut per sacrificia una cum interioribus dispositionibus eos consequi potuisse remissionem peccatorum (1). Verum quoad pueros res valde incerta est; cum Scripturæ de hoc remedio ad delendam in ipsis originariam labem penitus sileant, Patres vero in diversas abeant sententias. Certe Tertullianus (2), S. Gregorius M. (3) et S. Bernardus (4) censuerunt, per *solam parentum fidem* absque sensibili peculiari signo parvulos fuisse justificatos; alii autem docuerunt, etiam infantibus opus fuisse ad justificationem aliquo externo Sacramento, ut S. Augustinus. S. Thomas priorem sententiam probabiliorem arbitratur (5). Nihil proinde certi constitui posse videtur.

189. In statu legis scriptæ, ad quam refertur circumcisio, licet

arborem vitæ, sabbatum, arborem scientiæ boni et mali. Si quis cupiat ulterius inquirere, utrum forent Sacramenta quoad posteros Adæ, si ipse non peccasset, consulat Vasquez, *In III p. S. Th.* tom. 11, disp. 130, cap. 2 et seqq.

(1) Dixi: *Fere omnes conveniunt*; nam non desunt ex Theologis Scholasticis, qui inficiati fuerint, extitisse Sacramenta in statu legis naturæ, ut Dom. Soto, Ledesma, Durandus apud Vasquez, loc. cit. art. 3, quibus accessit Vasquez ipse.

(2) *Lib. de Bapt.* cap. 13, ubi respondens difficultati sibi propositæ contra necessitatem baptismi, eo quod prius *satis* fuerit fides: *Fuerit*, inquit, *salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem.*

(3) *Moral.* lib. 14, cap. 3. Cujus verba hæc sunt: *Quod apud nos va-*

let aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.

(4) Tract. *De Baptis.* cap. 1, n. 4. *In nationibus*, inquit, *quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatis, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem.*

(5) Nam *In 14 Sent.* dist. 1, q. 2, a. 6, scribit: *Quidam dicunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum... sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorii... ideo alii probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo.* Hugo Victorinus, *Summa*, tract. III, cap. 1, censuit, etiam pro parvulis necessaria fuisse Sacramenta. Cfr. tom. III, fol. 205.

jampridem hæc fuerit Abrahæ a Deo præscripta , certum est, plura in eo Sacramenta fuisse , agnum paschalem , Sacerdotum ac Pontificum consecrationem ac diversi generis sacrificia.

190. Doctrina Conciliorum Florentini ac Tridentini est , plurimum differre Sacramenta Antiquæ a Sacramentis Novæ Legis. In quo autem discrimen istud ponendum sit , Theologis investigandum reliquerunt. Porro differunt inter se quoad ceremonias , facilitatem , numerum , et quia vetera ad tempus , nova usque ad consummationem seculi instituta sunt. Atque ista apud omnes rata sunt.

191. Controversia autem viget circa gratiæ conferendæ vim. Communiter Theologi , Angelico præceptore duce , existimant , Sacramenta mosaica omnem conferendæ gratiæ virtutem *ex opere operantis* habuisse , seu ex merito fidei vel ministri vel suscipientis. Etenim Apostolus , Galat. IV , 9 , Sacramenta illa vocat *infirmas et egena elementa* ; et Hebr. IX , 9 , scribit : *Munera et hostiæ offeruntur , quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem* ; et ibid. 13 : *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis* , id est , tribuunt sanctitatem legalem ; quia addit , ibid. X , 4 : *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Communem hanc sententiam adoptavit Eugenius IV (1) , et insinuat Tridentinum.

192. Alii autem nec pauci nec ignobiles Theologi sentiunt , Veteris Testamenti Sacramenta , utpote signa protestativa fidei , vim habuisse remittendi peccata *ex opere operato* , non quidem *per se* , sed , ut aiunt , *per accidens* , quatenus Deus his signis fidei protestativis alligaverit gratiam suam. Nam , aiunt hi Theologi ,

(1) *Instruct. Armen.* Recensitis enim septem Novæ Legis Sacramentis prosequitur Summus Pont. : *Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam , sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant ; hæc vero*

nostra et continent gratiam , et ipsam digne suscipientibus conferunt. Apud Hard. *Acta Concil.* tom. IX , col. 439. Prolixam porro hanc doctrinam , quam ibi tradit Eugenius , descripsit ex S. Thomæ *Opusculo v , de Sacramentis.*

Sacramenta Veteris Legis *per se* instituta sunt ad significandum Christum; ratione autem hujus significationis gratiam producebant. Ita Hugo a S. Victore, S. Bonaventura, Estius alique (1). Hi propterea hoc agnoscunt discrimen inter utriusque Legis Sacramenta, quod mosaica primo et *per se* ordinata fuerint ad significationem futurorum, non autem ad efficiendum aliquid nisi exterius circa carnem. Attamen, quia significabant id, quod fides credit, in eorum susceptione fuerunt fidei protestatio, atque idcirco *per accidens* et *secundario* illa Sacramenta justificabant; Sacramenta vero Novæ Legis cum primo et *per se* ordinata sint ad gratiam conferendam, et non tantum ad significandum aliquid, justificant *per se*. Ita fere S. Bonaventura, qui concludit, Sacramenta Novæ Legis justificare *per se*, Sacramenta autem Veteris Legis non justificasse nisi *per accidens* (2).

193. Hæc sententia his Theologis commodior videtur ad componenda Scripturarum et Patrum testimonia, quæ videntur vim aliquam tribuisse V. T. Sacramentis. Sic, Levit. I, VI et XVII, et Num. XV, sacrificiis leviticis, quæ pro peccato offerebantur, effectus remissionis peccatorum tribuitur his atque similibus verbis: *Orabitque pro eo Sacerdos, et dimittetur ei, et propitius erit ei Dominus... Sanguis pro animæ piaculo est.* Hæc confirmantur ex iis, quæ scribit Apostolus, Hebr. V, 1; de sacrificiis V. T.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quibus consonant, quæ de Sacramentis V. T. habent S. Augustinus et S. Ambrosius; quorum prior dicit, ea *inenarrabiliter plurimum valere* (3); alter vero: *Circumcisio, inquit, purificavit, sanctificavit lex, vivificavit gratia* (4).

(1) Cfr. Estius *In* iv, dist. 1, § 28.

(2) *In* iv *Sent.* dist. 1, q. 5: *Multo probabilius est, inquit, quod Magister Hugo posuit, quod cum in illo operato esset professio fidei facta, quod ratione fidei conjunctæ erat in illis primo, et per illa (per accidens tamen) justificatio.* Opp. edit. Rom. fol.

tom. v, pag. 13.

(3) *Cont. Faust.* lib. xix, cap. 11.

(4) *In Luc.* lib. vii, n. 166. Cfr. Estius loc. cit. qui præterea solvit difficultatem petitam ex S. Th. a causa efficiente Sacramentorum, passione scilicet Christi, quæ non potuit esse prior suo effectui. Respondet enim, Christi

194. Quidquid porro de hac controversia sit, quam diutius non vacat expendere, illud commodi ex ea habemus, quod tuto possit affirmari, sententiam, asserentem Sacramenta Veteris Legis produxisse gratiam ex opere operato saltem per accidens, fidei non adversari; ut enim scite observat Bellarminus, hæc Scholasticorum doctrina, quæ talem tribuit efficaciam Sacramentis Veteris Legis præsertim vero circumcisioni, confundi nequit cum erroribus hæreticorum. Isti enim Sacramentorum omnium tam Novæ quam Veteris Legis vim exæquant detrahendo Novæ Legis Sacramentis, dum negant ab istis produci gratiam *ex opere operato*; contra vero Scholastici illi Sacramentis a Christo institutis nihil detrahunt, sed vetera tantum extollunt, nec sine aliqua restrictione (1).

195. In istorum Theologorum sententia facilius etiam componuntur, quæ de vi et efficacia circumcisionis contraria prædicari videntur sive a Sacris Litteris sive a Sanctis Patribus. Etenim Genes. XVII, 14, legitur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Quibus verbis potissimum innixus S. Augustinus, contendit circumcisionem institutam fuisse ad delendam originalem labem. Eum plures Theologi sequuntur. Contra vero Apostolus, I Cor. VII, 19: *Circumcisio, inquit, nihil est.* Et Genes. XVII, 11, instituta circumcisio perhibetur,

passionem esse *causam meritoriam* justificationis, ut declaravit Tridentinum, hinc eadem ratione poterat operari per Sacramenta V. L. qua operatur in Sacramentis N. L. Observat insuper per contrariam sententiam plus efficaciam tribui fidei in V. T. quam in Novo; etenim sine Sacramentis et sacrificiis potuisset justificare, quod amplius nunc non potest; deinde videntur in ea enervari probationes Catholicorum, qui ex similibus N. T. testimoniis probant, Sacramenta Novæ Legis gratiam conferre.

(1 *De Sacram.* lib. II, cap. 13, n. 6. Qui tamen censuit tum a Conc. Florentino tum a Conc. Tridentino definitum fuisse, Mosaica Sacramenta non producere gratiam ex opere operato. Sic enim initio hujus capituli, scilicet n. 1, scripserat: *Catholici omnes conveniunt, Sacramenta V. L. quæ proprie mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato. Id enim docent omnes Theologi, in IV, dist. 1; et idem definit Concilium Florentinum in Instruct. Armenorum, et Conc. Tridentinum,*

ut sit in signum fœderis, initi scilicet cum Abraham ejusque posteritate. Hinc S. Justinus scribit : *Circumcisionem* (Abraham) *accepit in signum, non ad justitiam* (1). Similia habent Irenæus, Tertullianus, Chrysostomus, aliique Patres græci ac latini (2). Bellarminus hos secutus nihil in circumcisione præter merum signum agnovit, nullam habens tollendi peccata efficaciam. Hi proinde Theologi spectant circumcisionem in se; alii, qui S. Augustino adstipulantur, spectant circumcisionem velut fidei protestativam. Nihil porro vetat, quominus sub hoc posteriori respectu in circumcisione etiam agnoscatur remedium ad delendum peccatum originale, dummodo tamen id non intelligatur in sensu, ut aiunt, exclusivo; cum plura alia media ad hunc effectum producendum esse potuerint, præsertim pro infantibus, qui ante octavum a nativitate diem decesissent, et pro feminis (3).

196. 2^o Et hæc de Sacramentis Veteris Lgis adnotanda erant. Nunc

quamvis brevius et obscurius, quia non erat necesse, cum jam res esset definita, sess. 7, can. 2. Ast, si id jam fuisset definitum, nemo Catholicorum ausus fuisset docere, aut circumcisionem aut Sacramenta Mosaica reliqua vim habuisse producendi gratiam ex opere operato, saltem *per accidens*, seu quatenus saltem erant signa protestativa fidei; attamen non pauci hanc sententiam, ut vidimus, tenuerunt. Adde, Instructionem Armen. non posse, si accurate loqui velimus, vocari definitionem Concilii Florentini; nam, ceteris omissis, sequeretur, de fide esse, porrectionem instrumentorum in collatione ordinum majorum esse materiam essentialem horum ordinum, quod tamen nec ipse Cardinalis contendit, imo contrarium adstruit, ut suo loco dicemus. Concilium denique Tridentinum loc. cit. hoc non definivit,

uti exposuimus.

(1) Τὴν περιτομὴν ἰσχυροῦς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν. In *Dial. cum Tryph.* n. 23.

(2) Cfr. apud Bellarm. *De Sacram.* lib. II, cap. 15.

(3) Hic obiter notanda est singularis Bedæ sententia, quam refert Hugo Victorinus, tract. III, *De Sacram.* tom. III, 205, ubi scribit : *De mulieribus autem quæritur, quod remedium contra originale peccatum haberent. Respondetur : fidem, oblationes et sacrificia. Solet quæri etiam de parvulis, qui moriebantur ante octavum diem, quod remedium haberent, vel utrum damnarentur; Beda videtur dicere, quod damnarentur, dicens, etc.* Prudenter tamen concludit Hugo : *Sed melius videtur hoc Dei relinquendum iudicio, quam temere aliquid definire.*

vero quod attinet ad Sacramenta Novæ Legis atque ad ea, quibus ea constituuntur et constant. Duabus ipsa præsertim conflantur partibus. Has veteres Patres et ecclesiastici scriptores appellarunt *res, signa, elementa, et verba, orationem*; instar omnium sit Augustinus, qui scribit: *Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum*. Postquam vero Aristotelica philosophia in christianis scholis adoptari cœpit, *materiæ* et *formæ* vocabula in Theologiam translata sunt, atque adscita a Concilio Tridentino, et ab Eugenio IV, qui in celebri suo *Decreto* scribit: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur; rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia* (1). Idque factum est ob quamdam analogiam, quæ intercedit inter partes physici compositi et partes Sacramenta constituentes. Jam vero per *materiam* Sacramenti intelligitur id, quod ante verba a ministro proferenda præexistere concipitur; per *formam* verba, quæ a ministro proferuntur in collatione Sacramenti. Ceterum non semper aliquid materiale in eâ re, quæ *materia* nuncupatur, requirendum est.

197. De forma conditionata ita scribit Benedictus XIV, *De Synodo diœces.* lib. VII, cap. VI: Eam a Scholasticis esse adinventam, nonnulli viri eruditi existimant; sed eos toto cœlo aberasse, ait Martene (2). Licet porro ante sec. VIII prædictæ conditionatæ formulæ expressam mentionem in Conciliis et Patribus non inveniamus, non recte tamen inde intulit Natalis Alex. illam non fuisse in usu; quinimo ex antiqua et constanti Ecclesiæ praxi oppositum colligi putamus. Quod hac argumentatione ostendimus. Perpetuum catholicæ fidei dogma fuit, unicum esse baptisma; quod propterea rite collatum sine gravi piaculo iterari posse, semper Ecclesia negavit. At eadem Ecclesia, quæ ita docuit, eos nihilominus, de quibus disputabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos præcepit. Jam

(1) Apud Hard. loc. cit.

lib. I, cap. I, art. 16, n. 9.

(2) *De Antiq. Eccl. ritibus*, tom. I,

vero, ne dicamus Ecclesiam incidisse in errorem rebaptizantium, quem toties detestata est, necesse est existimare, eam non aliter in ea dubietate baptismum conferri voluisse quam sub tacita et mente concepta conditione: *sinondum es baptizatus*. Hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cœpit sec. VIII cum ipsa baptismi forma exprimi et pronuciari; quam quidem disciplinam Alexander III ubique servandam edixit, eandemque sanctionem confirmavit Joannes XXII (1). Ita Bened. XIV. Porro illis Rom. Pontificibus accessit Pius VI, a quo *Deliberatio synodi* (Pistoriensis), *qua prætextu adhæSIONIS ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione* (et est Prop. XXVIII) proscribitur, in Constit. *Auctorem fidei*, tanquam *temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria*.

198. Illa tamen conditio passim ac temere non est adhibenda; sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis rite fuerit baptizatus et ordinatus, nec potuit post diligentem præmissam indagacionem rei veritas innotescere(2). Atque hæc quoad Sacramenta characterem imprimantia. Quoad Sacramenta reliqua consuli possunt Theologiæ moralis tractatores.

199. Notandum est, 3^o ex dictis circa formam, quæ tacite ac mente conceptam conditionem includebat, quæque obtinuit septem prioribus Ecclesiæ seculis, non modicam lucem affulgere ad enucleandam controversiam circa objectum intentionis, quæ ad Sacramentum conficiendum in ministro requiritur. Juxta Ambrosium Catharinum stat omnino ac valet Sacramentum, si minister duntaxat intendat celebrare ritum illum, quem Ecclesia celebrat, et illum reipsa libere, serio, omnique semoto joco, exterius usurpat, materiam adhibens formamque pronucians, in iis maxime circumstantiis, ex quibus determinatur ad agendum tanquam Ecclesiæ minister. Hinc nihil juxta ipsum obest valori

(1) Apud Raynaldum ad annum 1333, n. 42.

(2) Ita rursum Bened. XIV. loc. cit. n. 3. Apud quem cfr. quando pro-

babilis dubitatio adesse præsumi possit, ita ut licite sub conditione baptismi conferri queat.

Sacramenti, si minister intra mentis latebras contrariam intentionem gerat, qua nolit actionem suam esse talem Sacramenti actionem, qualem Christus instituit (1).

200. Catharini sententiæ subscribunt plerique Galli Theologi, his potissimum rationum momentis permoti: 1° Si Sacramenti valor ab interiori ministri intentione penderet, jam pravitas ministri officeret Sacramenti valori, secus ac Ecclesia doceat adversus Donatistas. 2° S. Augustinus, Innocentius IV et S. Thomas internam intentionem minime requirunt ad valorem Sacramenti, ut constat ex eorum testimoniis suo loco adductis (2). 3° Hæretici ad unitatem redeuntes interrogantur ab Ecclesia de materia et forma, qua susceperunt Sacramenta, nihil vero de intentione ministri, cur? nisi quia ritum exteriorem satis esse putat. 4° Male animarum bono ac tranquillitati prospexisset Christus, si Sacramentorum vim a ministri intentione pendere voluisset. 5° Sacramenta operantur ex *opere operato*. Itaque sunt ut ignis, quem si stupæ admoveas, utut vehementer nolis, eam accendit.

201. Contrariæ sententiæ de necessitate interioris intentionis adstipulantur plerique Theologi Itali ceterarumque nationum, qui his ferme argumentis pugnant: 1° Ministri Sacramentorum sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ergo eos oportet habere proprie dictam intentionem faciendi illud, quod Christus instituit. Id vero non præstat, qui simulat ministrare, imo positive intendit nolle facere, quod Christus instituit. 2° Eugenius IV et Concilia exigunt in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed Ecclesia non simulat, sed intendit facere rem sacram. 3° Alexander VIII hanc propositionem, quæ est n. XXVIII, proscripsit: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod*

(1) Cfr. Ambros. Catharinus, *De necessaria intentione in perficiendis Sacramentis*, opera Jac. Hyac. Serry, Patavii, 1727; qui postea edidit aliud opus, cui tit. fecit: *Vindiciæ vindi-*

ciarum Ambrosii Catharini, ubi nitidius etiam Catharini sententiam exponit.

(2) Cfr. sup. n. 153 et seqq.

facit Ecclesia (1). 4^o In rubricis Missalis Romani, a Clemente VIII probatis, irrita declaratur consecratio ejus, qui habens coram se undecim hostias *intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit*; cujus declarationis hæc affertur ratio: *Quia requiritur intentio*, utique interna, ut patet. 5^o Ad hæc accedit praxis universæ Ecclesiæ circa formam conditionatam, de qua nuper disseruimus, conditione tantum mente concepta; quæ quidem praxis per septem integra secula viguit. Cum igitur hæc conditio mente retenta ideo apponeretur, ne iterum administraretur Sacramentum jam rite collatum, patet, interiorem intentionem ex sensu Ecclesiæ influere in valorem Sacramenti; alioquin perperam apposita fuisset.

202. Horum ope difficile non est istis Theologis, sese ab adversariorum extricare argumentis. Hinc reponunt, longe diversam fuisse causam Donatistarum, ut permisceri eam non liceat cum præsentī controversia; illi enim ex pravitate morum inferebant invaliditatem Sacramentorum, hic vero agitur de intentione requisita ad conficiendum Sacramentum. De vera S. Augustini mente, nec non Innocentii ac B. Thomæ constat ex iis, quæ disputata sunt adversus Novatores. Ideo autem Ecclesia ab hæreticis ad unitatem redeuntibus nihil quærit de intentione ministri, quia hujus rationem nullam reddere possunt revertentes; atque hæc in ipsis ministris hæreticis fuisse præsumitur, nisi contrarium probetur. Incommoda, quæ urgent, nullius momenti sunt; cum hæc non minus ab intentionis defectu, quam a vitiata materia vel forma oriri possint. Deus præterea supplere potest per interiores dispositiones in adultis. Cetera ejus providentiæ relinquenda sunt. Argumentum denique ex ignis comparatione deductum supponit, quod in quæstione est positum, utrum scilicet Sacramenta sine intentione administrata velut ignis an velut glacies spectari debeant.

203. Ceterum Benedictus XIV, etsi fateatur, longe distare sententiam Catharini ab errore Lutheri, affirmat tamen negari haud posse, *grave vulnus* Catharini opinioni fuisse inflictum ab

(1) Cfr. Viva, op. cit. in hanc prop.

Alexandro VIII. Hinc sapienter edixit : *Si constet quempiam, aut baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia; urgente quidem necessitate erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum*(1).

(1) *De Synodo diæces.* lib. vii, cap. 4, n. 9. Ex his constat, nihil in praxi valere illorum Theologorum sen-

tentiam, qui negant necessitatem interioris intentionis.

VERSIO LATINA LOCORUM , QUÆ EX SCRIPTORIBUS ITALIS
IN HOC VOLUMINE CITANTUR.

Pag. 187, not. 1. Ex. Cl. Manzoni opere, *De doctrina morali catholica*, cap. 9 ;
De dilata conversione.

Tradatur illa doctrina (*de impotentia conversionis*), et dic quæso, quales consecutiones habebit quoad moralem hominum agendi rationem! Homo nequit sese ad Deum convertere? sola igitur peccatori superest desperatio, quæ omnem pietatis, humanitatis, et generositatis sensum excludit. Quo in horrendo statu, si quis placide et quiete perseverare posset, hac una lege regeretur, ut procuraret sibi, quomodocumque et quamdiu posset omne voluptatis genus. Homo nequit sese ad Deum convertere! Nullus igitur pœnitentiæ locus, nullus vitæ emendationi, nullus orationi: nulla jam spes, nulla redemptio, evangelium nullum; absurde ergo ageret, qui peccatorem hortaretur, ut supernaturalibus rationibus motus ad meliorem frugem se reciperet. Homo non judicatur pro eo statu, in quo reperitur, dum vita fungitur! Ergo nullus est status justitiæ vel injustitiæ: quandoquidem justitia ista, homini nequaquam conciliaret amicitiam Dei. Quid sentiendum foret de amicitia Dei, quæ hominem in æterno supplicio relinqueret? Ergo non servantur hujus vitæ operibus, præmia vel pœnæ, quoniam non supponitur in hac vita status, in quo homo alterutris dignus existat. Nulla ergo est ratio certa et præponderans, qua homines nullo non tempore ad honeste agendum impellantur. Hæc et similia forent consecratoria, hujus modi doctrinæ.... Sub regimine doctrinæ catholicæ, homo pravis affectibus ad malum deducitur; sed admissa ista doctrina, quam reprobamus, quo quis ratione diligentius uteretur, eo tetrius in pejus rueret. In doctrina catholica homines eo efficacius a pravis moribus avocantur, quo diligentius hæc doctrina ipsis inculcatur; doctrinam oppositam quicumque sequuntur, vehementius trahuntur ad inhonesta. At ejus modi doctrina notionibus rectæ rationis ac sensui religioso adeo adversatur, ut a nemine proposita fuerit, nec unquam recipi possit.

Pag. 195, not. 1. Ex eodem opere ejusdem auctoris.

At, si Ecclesia tam parum confidit de iis, qui appropinquante morte, ad meliora sese convertunt, cur sollicite peccatori moribundo succurrit? Sane ideo, quod exigua sit spes ejus, totis viribus succurrere conatur. Quoniam res difficilis est, omnem et sui cordis, et suæ suasionis caritatem impendit. Tenuissima spes salvandi filium suum sufficit Ecclesiæ, ut eum derelinquere nolit. Numquid Ecclesia propterea quemquam adhortatur, ut tenuissimam spem sibi reservet? Qui laudabiliter opitulatur homini, quem e flumine rapuerunt cum jam vitæ vel nullum vel incertum signum appareret, numquid arguendi sunt, veluti si homines, ad sese suffocandos incitarent?

Porrò observandum est, Ecclesiæ hac in re duplicem esse agendi rationem: peccatoribus, qui valetudinis vigore glorientes, et peccandi tempus et pœnitendi spatium, sibi in futurum promittunt, terrorem inspirare conatur; moribundis autem fiduciam ingerit. Nulla hic contradictio, sed prudentia et veritas. Peccatores in utroque statu dimidiam quæstionis partem considerant: Ecclesia autem ipsis eam partem repræsentat, cujus obliviscuntur. Possibilitate obtinendæ salutis illuduntur priores: utile est ipsis difficultatem ostendere; alii contra, hanc difficultatem ita animo volvunt, ut nihil eos magis a convertendis affectibus ad Deum impediatur, quam diffidentia, de Dei misericordia...

Et infra : Ecclesia revera cum benignitate suscipit hominem sotent, e societate, e vita ejciendum ; minister ejus se medium collocat judicem inter et carnificem. Uti- que inter judicem et carnificem, quia ubicumque occurrit anima salvanda vel conso- landa, ubicumque repugnantia superanda, vel dolorosorum affectuum absque mer- cede temporali series, ibi est Ecclesiæ ministro locus honorificentissimus... Quis edicet angustias hominis qui patibulum coram aspicit, et cogitatione ad conscientiam refugiens, delicti sui memoriam offendit ; qui non pro causa sancta mortem appetit, sed delicta sua ut expiet ? Et Ecclesia non conaretur acerbum hunc dolorem ad utilitatem convertere infelicis hujus hominis, qui eum effugere nequit ? Fieri ne posset, ut aliquando mi- sericordiam non polliceretur ; ut aliquando hominem derelinqueret ? Memor sangui- nis quem J. C. pro eo effudit, ipsi pandit brachia sua, conaturque efficere, ut pre- tiosus sanguis non in cassum pro illo effusus sit. Neminem autem certum facit, sive peccatorem, sive alterum ; et doctrinæ ejus adversatur quicumque se certum hac de re existimat.

INDEX.

TRACTATUS DE GRATIA.

PROOEMIUM.

Pag. 1

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I.	PRÆLIMINARE DE GRATIÆ ACTUALIS NOTIONE ET DIVISIONE.	6
CAPUT II.	DE GRATIÆ NECESSITATE.	10
ARTIC. I.	De erroribus Pelagianorum circa gratiæ necessitatem.	11
PROP. I.	<i>Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis.</i>	14
	DIFFICULTATES.	17
PROP. II.	<i>Necessaria est Dei gratia homini lapsu, tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas.</i>	23
	DIFFICULTATES.	27
ARTIC. II.	De erroribus Semipelagianorum circa eamdem gratiæ necessitatem.	33
PROP.	<i>Sine Sancti Spiritus illuminatione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei et in fide perseverantiam usque in finem.</i>	36
	DIFFICULTATES.	39
ARTIC. III.	De erroribus Novatorum sæculi XVI et Jansenistarum circa gratiæ necessitatem.	52

PROP. I.	<i>Potest homo lapsus absque speciali gratiæ auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, ac leves tentationes superare.</i>	55
	DIFFICULTATES.	60
PROP. II.	<i>Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere, nec omnia propterea infidelium opera vitia sunt aut peccata.</i>	67
	DIFFICULTATES.	72
PROP. III.	<i>Potest homo actuali gratia adjutus, ante adeptam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata.</i>	82
	DIFFICULTATES.	86
ARTIC. IV.	De erroribus circa gratiæ necessitatem post adeptam justificationem.	88
PROP. I.	<i>Non potest homo justificatus in toto peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio.</i>	90
	DIFFICULTATES.	93
PROP. II.	<i>Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare.</i>	97
	DIFFICULTATES.	100
CAPUT. III.	DE GRATUITATE GRATIÆ.	103
PROP.	<i>Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo.</i>	108
	DIFFICULTATES.	111
CAPUT IV.	DE NATURA AC DIVISIONE GRATIÆ ACTUALIS IN ORDINE AD COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII.	118
ARTIC. I.	De gratia efficaci.	121
PROP. I.	<i>Gratiæ efficacia nullam infert homini necessitatem, seu homo liber est in actibus salutaribus.</i>	122

	DIFFICULTATES.	124
PROP. II.	<i>Gratia efficaciæ non consistit in delectatione cœlesti, indeliberata, superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem ad assensum necessario impellente.</i>	129
	DIFFICULTATES.	134
ARTIC. II.	Theologorum systemata circa gratiæ efficaciam.	138
§ I.	<i>Systema Thomistarum.</i>	<i>ib.</i>
§ II.	<i>Systema Augustinianensium.</i>	145
§ III.	<i>Systema Congruistarum.</i>	146
ARTIC. III.	De gratia sufficienti.	153
PROP.	<i>Datur in præsentis statu gratia mere et vere sufficiens, quæ homini completam et relative ad præsentis ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quæ inutilis redditur ex humanæ voluntatis resistentia.</i>	155
	DIFFICULTATES	158
CAPUT V.	DE GRATIÆ DISTRIBUTIONE.	171
PROP. I.	<i>Justis omnibus, præsertim vero volentibus et conantibus, urgente præcepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia præcepta.</i>	173
PROP. II.	<i>Deus omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum peccata præcavere tum a peccatis resipiscere.</i>	179
	DIFFICULTATES.	181
PROP. III.	<i>Deus peccatoribus etiam obduratis et obcæcatis gratias vere sufficientes confert pro loco et tempore, quibus possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere.</i>	184
	DIFFICULTATES.	188
PROP. IV.	<i>Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem.</i>	196

PROP. V.	<i>Deus, quantam ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus absque baptismo præparavit, quibus ad salutem pervenire possent.</i>	206
	DIFFICULTATES.	207

TRACTATUS DE GRATIA.

PARS SECUNDA.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

CAPUT I.	PRÆNOTIONES.	210
CAPUT II.	DE JUSTIFICATIONE IMPII.	216
ARTIC. I.	De justificationis essentia seu natura.	217
PROP. I.	<i>In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur.</i>	219
	DIFFICULTATES.	221
PROP. II.	<i>Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiæ Christi vel sola peccatorum remissione; sed justificantur per gratiam et caritatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhæret; neque gratia, qua justificamur, est tantum favor Dei.</i>	227
	DIFFICULTATES.	231
ARTIC. II.	De dispositionibus ad justificationem.	236
PROP. I.	<i>In adultis ad justificationem consequendam aliquæ præter fidem dispositiones prærequiruntur, seu sola fides non justificat.</i>	240
	DIFFICULTATES.	244
PROP. II.	<i>Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quæ Deus revelavit.</i>	251
	DIFFICULTATES.	255

ARTIC. III.	De proprietatibus justificationis.	257
PROP. I.	<i>Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec proinde tenetur credere se esse justificatum.</i>	259
	DIFFICULTATES.	262
PROP. II.	<i>Accepta justitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera, non est propterea in omnibus æqualis.</i>	268
PROP. III.	<i>Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale.</i>	271
	DIFFICULTATES.	275

TRACTATUS DE GRATIA.

PARS TERTIA.

	DE MERITO.	280
CAPUT I.	PRÆNOTIONES. DOCTRINA ECCLESIAE CATHOLICÆ ET THEOLOGORUM OPINIONES CIRCA MERITUM.	284
CAPUT II.	DE EXISTENTIA MERITI.	287
PROP. I.	<i>Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam æternam ejusque augmentum.</i>	ib.
	DIFFICULTATES.	290
CAPUT III.	DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS.	295
CAPUT IV.	DE OBJECTO MERITI.	298

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROEMIUM.		301
CAPUT I.	DE SACRAMENTORUM NUMERO.	305
PROP.	<i>Sacramenta Novæ Legis a J. C. D. N. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, baptismus videlicet, etc.</i>	307
	DIFFICULTATES.	310

- CAPUT II. DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EFFICACIA SIVE EFFECTIBUS. 322
- PROP. I. *Sacramenta Novæ Legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.* 325
- DIFFICULTATES. 329
- PROP. II. *In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt.* 337
- DIFFICULTATES. 339
- CAPUT III. DE MINISTRO SACRAMENTORUM. 346
- PROP. I. *In Sacramentorum ministro ad valide conferenda Sacramenta non est necessaria fides, adeoque validus est Baptismus ab hæreticis rite collatus.* 347
- DIFFICULTATES. 352
- PROP. II. *Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert Sacramentum.* 358
- DIFFICULTATES. 361
- PROP. III. *In ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.* 366
- DIFFICULTATES. 368
- CAPUT IV. DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CEREMONIIS. 373
- PROP. *Recepti et approbati Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quem-*

	<i>cumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt.</i>	374
	DIFFICULTATES.	377
CAPUT. V.	IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA.	381
	<i>Versio latina locorum, quæ ex scriptoribus italis in hoc volumine citantur.</i>	392
	<i>Index.</i>	394

FINIS.

APPROBATIONES EDITIONIS ROMANÆ.

NIHIL OBSTAT.

RAPHAEL FORNARI, *Censor. Theol. Deput.*

IMPRIMATUR.

FR. DOMINICUS BUTTAONI, *O. P. S. P. A. Mag.*

IMPRIMATUR.

A. PIATTI *Archiep. Trapezunt. Vicesgerens.*

APPROBATIO EDITIONIS LOVANIENSIS.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ 27 Aprilis 1840.

J. B. PAUWELS, VIC. GEN.







